VIRGINIS PARTVS
EIVSQVE FILII EMMANVEL DIVINITATIS ET HVMANITATIS SCRIPTVRALIS DISSERTATIO, ATQVE DEMONSTRATIO

Aduersus Hebræos, & Hęreticos

TRACTATVS PRIMVS.

AD EMINENTISS. PRINCIPEM

D.D. PETRVM MARIAM BVRGHESIVM

S.R.E. CARDINALEM AMPLISS.

ET RELIGIONIS OLIVETANÆ PROTECTOREM VIGILANTISS.

Auctore D. Ignatio Landriano Mediolanensi Monaco Oliuetano Abbate Sancti Victoris.

Olim Theologo, & concionatore Sereniss. D. D. Ferdinandi Ducis Mantuæ, Montisferrati &c.



MEDIOLANI, Ex Typographia Ambrosiana. M.DC.XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

D.D. PETRO MARIA BVRGHESIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.
ET RELIGIONIS OLIVETANÆ
PROTECTORI VIGILANTISS.

Sacrarum litterarum lucubrationes, quas, multo tempore, assiduis laboribus, scribendo, & concionãdo, mihi congesseram; Nunc primò in lucem prodeuntes, sua sponte, et propensione, Te, omni iure, Eminentiss. Princeps adoptant, & exigunt patronum, & tutellarem; Ut potè; qui nostræ religionis protector, et supremus Moderator existis; et quã singulari amore, zelo, prouidentia, & benignitate, prosequeris, gubernas, foues, et ornas; Qui etiam eximijs promeritis me tibi adeò deuinxisti, vt nulli magis omnia mea debeam in terris, quam Em: Tuæ. Et equidem, cui aptius, & iustius conueniat hoc egregium opus perpetuæ Virginitatis, ac diuinæ Maternitatis Deiparæ Mariæ tutamen, et agmen, quam Tibi Eminentiss: Princeps? qui nomen geris huius integerrimæ Virginis; & ex splendidissima Burghesiorum prosapia Virgini addictissima, atque ex ea vrbe ortum ducis, quæ, apud

Etruscos, virorum virtutibus, atque sanctitate insignium facundissima parens, Virginis nomen sibi meritò vindicat. Huc accedit, quod potissimum est, diuino consilio statutum fuisse, vt Tibi vni, inter tot purpuratos orbis terrarum cardines, et principes popopuli Dei, à Summo Pontifice demandata fuerit protectio, et Regimen huius nostræ religionis; Huius, inquam, religionis Oliuetanæ, cuius initia, dum B. Bernardus ex nobilissima Ptolomæorum familia Senensi; adscitis sotijs, Patritio Francisci Patritij, et Ambrosio Nini Piccolomini, nobilitatis Senensis proceribus, diuino afflatus spiritu instituere moliebatur; ad Virginem deiparam, à qua paulò antè visum miraculosè accipiens, se illi voto religionis deuouerat; oratione tridua, et intensissima, eius opem implorans, meruit, obtinuit; Vt ipsamet cælorum Regina de Cælis, maximo Angelorum numero comitata, descendens, Guidoni Petramalio Episcopo, & Principi Arretij (ad quem Ioannes vigesimus secundus ex Auinione cum litteris Pontifitijs, miserat B. Bernardum, et socios, vt illis alicuius religionis catholicam normam præscriberet.) per somnium appareret alba veste amicta, et vultu splendentissimo; præcipiens illi, vt quos regula D. Patris Benedicti di uincire cogitabat, habitu candido indueret, suoq; nomine appellaret; hos enim sibi in filios eligere, atq; suis dumtaxat auspicijs hanc religionē instituere prouehere, & tueri, decreuerat. Tibi ergò Eminentiss.

Prin-

Princeps, cui, veluti Amantissimo, et Zelantissimo Patri, atque optimarum disciplinarum, regularisq; obseruantiæ strenuo promotori, huius virginei ouilis religionis Oliuetanæ, cura, & tutella cælitus ordinata est; hoc maximum, virgineum, ac diuinum opus, maxima etiam animi propensione, et obligatione, tua hæc religio deuotissima offert, dedicat, & consecrat; supplex rogans, vt hilari fronte, & animo benigno; quod maxime Principem decet; illud excipias, atq; in eo, non suam tenuitatem, sed intensissimam tibi gratificandi voluntatem, inspicias. Sic Deus, & Immaculata Virgo, cuius vices inter nos geris, te decus, & præsidium nostrum, nobis diú incolumem, sospitemq; conseruet, tueatur, & fortunet.

Humiliss., & addictiss: seruus

D. Ignatius Landrianus Abbas Oliuetanus.

Beneuolo, & studioso Lectori. S.

HAnc preclaram Prouinciam, & Apostolicum munus concionibus, & scriptis, christianæ Catholiceq; fidei dogmata, aduersus perfidiā hebraicam, comprobare, & demōstrare; post Sanctissimos Apostolos in actis, & Diuum Paulum ad hebręos; strenuè amplexi sunt, & gloriosè perfecerunt primores illi, nascentis Ecclesię Patres, & nutritij. Irenęus, Tertullianus, Epiphanius, Basilius, Cyprianus; Eusebius; Hieronimus, & alij; Quorum vestigijs inhęrendo, nostris sęculis, Doctissimi Sacrarum litterarum interpretes, linguæ hebraicę non ignari, Nicolaus de Lyra. Paulus Burgensis, Ioan: Bapt: Gratiadei; August: Nebiensis. Petrus Galatinus. Raimundus; & sequaces, idem munus nouo labore prosequuti sunt; Quatenus ex Rabbinorum, siue Talmude, siue vetustissimis glossis, siue fragmētis Cabbalisticis, siue recentiorum commentarijs, & doctrinis, collegerunt efficacissima argumenta; vt dicunt ad hominem; quibus, ipsis inuitis, velint nolint; & veritas catholica illustratur; &; quod est caput; illorum obcęcata mens, & perfidia, in veritate scripturarum, & mysteriorum Regis Mesię Iesu Nazareni occultanda, & violanda, detegitur. Horum spiritu ductus; cum litteris hebraicis mediocriter operam nauassem; me totum contuli ad hoc studij genus, in quo, non paucorum annorum spatio, aliquid profeci, & in multis Italię Ciuitatibus, pręcipuè Venetiarum, Veronę, Mantuę, & Ferrarię, concionibus, & disceptationibus sepissimè digladiando cum hebręis, non rarò victoriam retuli per Iesum Christum Filium Dei; ad cuius fidem; operante illius diuina, & efficaci gratia; triginta duos hebręos, ipse reduxit, & Sacro Baptismate regenerauit; Testor Deum, quia non mentior, & adhuc ex rena-

tis

tis sunt nonnulli superstites. Quid ergo mirum, si tot Sanctorum patrum, & orthodoxorum doctorum exemplo permotus, & impulsus, hoc idem apostolicum munus typis perficere, audeam, & curem? Certè, non alio fine, nisi; tùm vt Sacrarum scripturarum, & fidei euangelicę veritas eò magis elucear, tùm vt hebręi, si fortè ad eorum manus hęc peruenerint, illuminentur, resipiscant, & Verum Regem Messiam Filium Dei, Iesum Nazarenum, ex Virgine matre conceptum, & natum, credant, confiteantur, & adorent. Tùm denique, vt Ecclesię Dei, hęc studia, & labores nostri adiumento sint, & tutamini contra illius hostes; quod Theologi, & concionatores, his instructi auxilijs, facilè obtinebũt. Si quidem, vt ingenuè verum fatear, quamuis ex veteris testamenti paragraphis, Regis Messię arcana euidẽtissimè educantur, & pateant; attamen ad confringẽdã hebręorum iuniorum euangelij hostium, petulantiam, eorumque ora obturanda, mirum est, quantum veterum illorum sapientum doctrina, & authoritas, quibus tantopere gloriantur, valeat, & quas vires obtineat; Vnde non tam vtilissimum, quam necessarium censuerunt præcitati doctores nostri, hanc rationem confirmandi, quæ credimus, & profitemur, dogmata fidei nostræ, petitam ex monumentis hebræorum; Argumenta enim, & rationes, quæ ex proprijs, & concessis ab hostibus, desumuntur, veritatem, quam ipsi insimulant, quam maximè, & demonstratiuè corroborant, & constabiliunt. Ideò, ne mireris, si nõtarò adduco Talmud librum magnæ auctoritatis Apud illos, non enim excedam regulas indicis, neque bullã Clem. Oct. S. P., immò huic inhęrendo, afferam ea, quæ in eadem bulla, digna censentur, in lucem prodi, & ab omnibus sciri, vti vera, & catholica, & Iudęos fallitatis, & perfidiæ redarguentia; si tamen veluti aurum eligantur de stercore errorum, blasphemiarum, & nugarum, quibus innumeris scatet ille

liber;

liber; quod nos præstamus; scitum est enim illud; Veritas à quocumque dicatur, semper à Spiritu sancto dicitur. In quo labore, ni fallor, puto me satisfacere illis, qui desiderabant auctorem pertractantem sensum tantummodo litteralem nostræ vulgatæ editionis, ex hebræis fontibus, methodicè quidem, At non ita breuiter, & steriliter; vt nonnulli præstiterunt; Veritatem enim litteralem scripturarum, quæ prima est, & fundamentalis, tot Sanctorum Patrum, Doctorum, & interpretum expositionibus defensa, & illustrata, aliqua nouitate explico, illustro, & à tenebris errorum, & cauillationum iudaicarum vindico; atque, quæ à Sanctis Patribus, alijsue in veritatis fauorem allata fuere, sustineo, dilucido, & animaduerto; Qui stylus, & modus nobis vnicus est, & familiaris, in omnibus operibus nostris, quæ deo fouente, in lucem edituri sumus, & ostendit præsens opus; Cuius summa, & scopus, est, demonstrare virginæum conceptum, & virginæum partum Virginis Matris Regis Messiæ; simulq; Diuinitatem, & humanitatem filij, eiusdemet Virginis; ex aduersò omnium iudæorum recentiorum blasphemantium; neque Regem Messiam; quem adhuc expectant; nasciturum ex Virgine inuiolata, sed quidem ex patre, & matre, consueto, & naturali more, sicuti concipiuntur, & pariuntur cæteri homines; neq; eum fore verum Deum, & Dei filium, sed purum hominem tantum; quamuis magnum prophetā; Quæ duo fidei nostræ præcipua fundamenta, Virginitatem nempè perpetuam Matris, & veram diuinitatem, & humanitatem filij eius; Quoniam in veteri testamento, inter omnes prophetas, apertissimè vaticinatus est Euangelicus ille Vates Isaias, & capite septimo, octauo, & nono sui Vaticinij amplexus; Ideò, tribus tractatibus, prædicta tria capita continentibus, & exponentibus; illa inquam duo catholicæ fidei dogmata, declaro, probo, & demonstro. In quo opere

vtor

vtor glosis R. Salomonis, & R. Dauid, à me ex hebræo fideliter in latinum conuersis; illorum errores, detego, & reijcio, & Veritatem huius magnæ prophetiæ, quam confundunt, & peruertunt, contra illorum perfidiam, sartam tectam conseruo. Hic admonitum te volo beneuole lector; me traduxisse glossas R. R. verbatim, iuxta ordinem vocum, & hoc in gratiam tyronum linguę sanctæ, vt paruo studio legere, & intelligere possint ea, quę sine admuniculo punctorũ vocalium, ab illis traduntur; Hæc si iuuerint, statim alij duo tractatus, huic primo necessario annexi, sub prælo erunt; Interim ista vide, inspice, corrige, & admone, & sic adimplebis legem Christi. Vale.

F A

D. Andreas Raphaellius Lucensis Abbas Generalis Congregationis Oliuetanæ.

OPVS, *cui titulus*, Virginis Partus &c. *Auctore D. Ignatio Mediolanensi Abbate nostro, ac Theologo, cum ÿ, quibus à nobis demandatum fuerat, recognouerint, probauerint, dignumquè prælo censuerint, Nos quod possit eidem subÿci, & in lucem edi, quantum ad nos attinet, tenore præsentium facultatem impertimur.*

Neapoli in Monasterio nostro Sanctæ Mariæ Montis Oliueti. Kal. Ianuarÿ 1639.

Sign. D. Andreas Raffaellius Lucensis Abbas Generalis Oliuetanæ. Et sigillata &c.

Subsc. D. Dominicus Lucensis scriba de Mandato.

Appro-

Approbatio Operis:

EX commissione Reuerendiss. Patris Inquisitoris Mediolani legi librum, cuius titulus est: *Virginis Partus, eiusq; filij Emmanuel Diuinitatis, & Humanitatis scripturalis dissertatio, et Demonstratio, Aduersus Habraeos, & Haereticos, Tractatus primus &c. Auctore A. R. P. D. Ignatio Landriano Mediolanensi Monacho Oliuetano Abbate Sancti Victoris &c. & nihil in eo reperi quod, aut Orthodoxae fidei, aut omninò praescriptis regularum Indicis, aduersetur. Quinimmò, vt multo, & pio labore opus perfectum est; ita, si typis edatur ad excitandum linguae sanctae studium, & ad hebraeorum perfidiam ex hebraeis fontibus, & domesticis eorum testibus confutandam; vtilem fore censui.*

F. Gulielmus Focus S. Th. Mag. Ord. Praedic.

Imprimatur.

F. Angelus Maria de Bononia Lector Theolog. & Vicarius S. Offitij Mediol.

Io: Paulus Mazuchellus pro Eminentiss. D. Card. Archiep.

1639. *Ianuarij* 22.

V. Arias Reg. Sen.

VIRGINIS  PARTVS.

הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת

Vechárath Ben Veiolédeth Harah Hanghalmah Himneh

vocabitur Et; filiũ Pariet &, Concipiet Virgo Ecce

שמו עמנואל

el nghimmanu ſcemo

el Emmanu eius Nomen

Iſaiæ Cap.7.Verſ.14.

ואקרב אל הנביאה ותהר ותלד בן

Ben Vatheled Vathahar Hanneuiah el Vaechrau

filiũ Peperit &, Concepit &, Prophetiſſam ad, Et acceſsi

Iſaiæ Cap. 8. verſ.3.

ויקרא שמו פלא יועץ

Iongbez pele ſcemo Vaichra

Conſiliarius, Admirabilis, eius Nomen ,vocabitur Et

אל גבור אבי עד שר שלום

ſcialom ſar nghad Aui Ghibbor El

Pacis Princeps ,futuri ſæculi Pater ,Fortis, Deus,

Iſaiæ Cap. 9. verſ.6.

TRACTATVS TRES ADVERSVS HEBRÆOS, ET HÆRETICOS

Opus omnibus vtiliſsimum.

M E D I O L A N I,

Typis Io.Petri Ramellati. M.DC.XXXXI.



B. BERNAR. THOLOM. SENEN. MONACHO. S. MARIE, MONT. OLIV. FVNDA.
R.mo Dño D Valeriano Scalœa Brix: ejusdem ordinis Generali Optimo
D. D.

CAPVT OCTAVVM ISAIÆ *IVXTA VVLGATAM* ET HEBRAICAM VERSIONEM.

ET dixit Dominus ad me; Sume tibi librum grandem; *volumen magnum*; & scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, citò prædare. *Ad accelerandum spolium, festinandum prædam*; Et adhibui mihi testes fideles; *Et testificari mihi faciam*; Vriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ; Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium; Et dixit Dominus ad me; Voca nomen eius; Accelera spolia detrahere; festina prędare; *Accelera spoliū, festina prædam*; Quia antequàm sciat puer vocare Patrē suum, & Matrem suam; Auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ; *Auferet fortitudinē Damasci, & spolium Samariæ*; corā Rege Assyriorū. Et adiecit Domin⁹ loqui ad me dicēs; pro eo ꝙ abiecit populus iste aquas Siloeh, quæ vadunt cum silentio; & assumpsit magis Rasin; *Et gaudium cum Rezin*; & Filium Romeliæ; Propter hoc; *Et propter hoc*; Ecce Dominus adducet; *Adducens*; Super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius; Et ascendet super vniuersas ripas eius; *Aluæos eius*; *Et ibit super omnes ripas eius*; Et ibit per Iudam inundans, & transiens, vsque ad collum veniet. Et erit extensio; *Extensiones*; alarum eius implens latitudinem terræ tuæ; O Emmanuel. Congregamini populi, & vincimini; *Vociferamini, & consternemini*. Et audite Vniuersæ ꝑcul terræ. Cōfortamini, & vincimini; *Accingimini, & consternemini*; Accingite vos, & vincimini; *Accingimini, & consternemini*;

Inite consiliũ,& dissipabitur, loquimini verbum,& non fiet. Quia nobiscum Deus. *Quia Emmanuel*. Hæc enim ait Dominus ad me; *Quoniam ità dixit Dominus ad me*; Sicut in manu forti; *In manu forti*; Erudiuit me; *Et erudiuit me*; Ne irem in via populi huius, dicens; Non dicatis coniuratio; omnia enim, quæ loquitur populus iste, est coniuratio. Et timorem eius ne timeatis, neque paueatis; Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem; *Et erit in sanctificationem*; In lapidem autem offensionis, ac in petram scandali, duabus domibus Israel; in laquæum, & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi; *In eis*; Et cadent, & conterentur,& irretientur,& capientur. Liga testimonium, signa legem in Discipulis meis. Et expectabo Dominum; *Et anhelabo*; Et præstolabor eum. Ecce ego & pueri mei; *& pueri*; Quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël; *In signa & portenta in Israel*; A Domino exercituum, qui habitat in mõte Sion. Et cũ dixerint ad vos. Quærite à pythonib⁹, & à diuinis, qui strident in incantationibus suis; Nunquid non populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium; *Ad legem, & ad testimonium*. Quòd si non dixerint iuxtà verbum hoc; non erit eis matutina lux; *Quia non ei aurora*. Et transibit per eam, corruet; *Induratus*; & Esuriet. *Et famelicus*. Et cùm esurierit, & irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo; & suspiciet sursum, & ad terram intuebitur. Et ecce tribulatio, & tenebræ, dissolutio; *Pressura*; & angustia; & caligo persequens; *et caligo impulsa*; Et non poterit auolare de angustia sua: *Quoniam non est ei volatus, cui obsessio*. Siue. *Non est ei lassitudo, angustia ei*.

IN CAPVT OCTAVVM ISAIÆ COMMENTARIA

R. Salomonis Iarchi, & R. Dauid Kimchi.

VERSVS PRIMVS.

Et dixit Dominus ad me; sume tibi librum grandem; Et scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe; Citò prædare.

R.S. L*ibrum*; Volumen; *Stylo hominis*; in scriptura, quam currat omnis homo legens in ea; tàm quiuis homo, qui nō est sapiens; & ità declarat Caldæus; *Scripturā apertam, claram; Festina spolium*, ad Aduentum Senacherib, & ad spoliandum, vel deprædandum omnem facultatem decem tribuum; *Et accelera deprædationem*; Ad Nabucdonosor post eū & Sedechiam, & generationem siuè sæculum eius.

R.D. *Librum*; Epistolam; & Caldæus; *Tabulam magnam*; & dicendo ipse *magnam*; Cùm ipse non præceperit scribere in ea; nisi quattuor dictiones? Forsitan fuerunt res multæ, & significatum earum istud; *Festina spolium, Accelera prædam*; Vel non fuerunt, nisi quattuor dictiones solùm. Et epistola ista magna, ad prouerbium super terram Israel; sicut fuit volumen magnum, & scriptura parua in ea, ità fuit terra Israel spatiosa manibus, & habitatores in ea pauci, quando transmigrarunt decē tribus, & fuit destructa valdè. Et expositio *Stylo hominis*.

Quia hoc fuit in visione prophetica, dixit ei, quòd scriberet hoc stylo hominis: hoc est, quòd non cogitaret. Quoniam hoc, quod præceperit illi scribere in visione prophetica solùm; sed quòd faceret ità propriè, propter prophetiam, ab ipso scriberetur istud; *Stylo hominis*; Quoniam hoc, quod est scriptum; *Stylo hominis*; in visione prophetica, non est stylo hominis: Nàm non est factum propriè; Sicut quando Isaias ambulauit nudus, & discalceatus. Et accepit Oseas vxorem fornicationum; & ascendere fecit Ezechiel nouaculam super caput suum, & super Barbam suam, Totum hoc fuit in visione prophetica; & ideo dixit ei; *Et scribe in eo stylo hominis, festina spolium, Acclera prædam*; & dictiones istæ; חש כבל *Chephel*; *Nglinijan*; dupplicatio rei dictionibus duabus; & reduplicatio ad vigorem rei, siuè significati, & ad accelerationem eius.

VERSVS SECVNDVS.

Et adhibui mihi testes fideles: Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ; & accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium.

R.S. ET *adducam mihi*; Etiam in illis diebus, in diebus Iheoiachim, super illam punitionem, duos testes fideles; vnum ad annunciandum illis malum futurum, & venturum super eos, Vriam Sacerdotem, quem occidit Iheoachim, quòd dictum est; *Et etiam Vir fuit prophetans in nomine Domini Vrias filius Semei de Ciuitate Nghirim, & prophetauit super ciuitatem istam, & super locum istum omnia verba Ieremiæ*. *Et Zachariam filii*

Bara-

Barachie, (ideſt adducam) in Anno ſecundo Darij: *Adhùc ſedebunt ſenes, & vetulæ in plateis Ieruſalem.* Vrias ſignum Zachariæ. Si videbitis, quòd ſtabilietur prophetia Vriæ, eritis videntes, quòd ſtabilietur prophetia Zachariæ; quemadmodum adhibui teſtes in facto Senacherib, Amos, & Iſaiam; Amos ad punitionem eorum decem tribuum; *Et Iſrael tranſmigrando tranſmigrabit*; & Iſaiam, promittens ipſe, & ſecurum reddens Ezechiã, quoniam regnaturus eſſet.

R. D. Iſta ſunt verba prophetæ; & quamuis non meminit ſcripturæ voluminis; notum eſt, quoniam ipſe ſcripſit totum, ꝙ præcepit ei Deus, & amplius fecit illud, etiã ſi non videamus, ꝙ præcepit ei Deus teſtificari de eo teſtimoniũ; ideſt בחתים *bechethim*; ſigillare illud teſtibus, vt eſſet prophetia iſta ſcripta, & ſigillata; Quoniã ventura erat citò. Et Vrias prophetauit in dieb⁹ Iheoachim; Et Zacharias anno ſecundo Darij; & etiam quia ambo ipſi fuerunt in diebus Iſaiæ. Et ſententia RR. noſtrorum bonæ memoriæ, quòd non fuerunt tempore eodem; qui dixerũt. Et quid factum Vriæ cum Zacharia? Niſi quia Vrias prophetauit punitionem: *Sion quaſi Ager arabitur*; & Zacharias prophetauit conſolationes; *Adhùc ſedebunt ſenes, & vetulæ*. Prophetia Vriæ teſtimonium prophetiæ Zachariæ; Quando ſtabilita erit prophetia Vriæ, ità ſtabilietur prophetia Zachariæ; & ſecundum ſententiã illorum; Erunt; *Et adhibui mihi*; Verba Dei B; & ità exponit Caldæus; *Teſtatus ſum coram me.*

R. S. *Et peperit filium*; Iſte filius ipſemet eſt, quem vocauit propheti ſſa Emmanuel; quia erit D.S.B. in adiutorium eius ideſt Ezechiæ, quando videlicet regnabit; & non poteſt dici, quòd filius ſecundus, ſiue alter, ſit iſte; nàm tradidimus, quod anno quarto Achaz dicta fuit prophe-

tia

tia ista; & anno quarto Achaz occisus fuit Phechach; & non est possibile duos filios generari anno vno, istum post istum.

R.D. *Et accessi ad propheti ssam*; ista est Vxor eius, & vocatur prophetissa; quia erat vxor prophetæ. Et duas res testatur hoc factum; Scripturam voluminis, & filiũ natum Isaiæ prophetæ.

VERSVS TERTIVS.

Et dixit Dominus ad me; Voca nomen eius: Accelera, spolia detrahe; Festina prædare.

R.S. ET Isaias pater eius vocauit nomen eius; *Velociter spolia*; super punitionem venturam super Rezin, & Phechach filium Romeliæ, qui venerũt auferre regnum à filijs Dauid; & desistere regnum eius Ezechiæ.

R.D. *Velociter*; Non est vocatum nomen pueri quattuor dictionibus istis, sicut vna; sed dicit, quòd vocabunt nomen eius; *Velociter spolia*; aut; *Festina prædare*. Nàm duæ vnitæ, res vna; Aliquando vocabunt eum; *Velociter spolia*; & aliquando vocabunt eum, *Festina prædare*.

VERSVS QVARTVS,

Quia antequam sciat puer vocare Patrem suum, & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.

R.S. AVferetur: & ascendit Damascum, & cæpit eam, *Et spolia Samariæ*; Postquàm occisus fuit Phechach, & regnauit Oseæ filius Ela, ascendit contra eum Salmanasar

manasar Rex Assur; & factus est ei Oseæ seruus; & dedit ei tributum, & munus; hoc est spolium Samariæ, Omnia ista anno quarto Achaz.

R. D. *Quoniam antequam*; Tempus idem est hoc cum eo, quòd dictum est supra de filio Achaz; *Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum*; Nàm tunc incipit loqui puer, & principium verborum eius est, quod vocabit Patrem suum, & Matrem suam; Quoniam in hoc verbo assuefacient eum principio; *Auferet fortitudinem Damasci*: Auferet auferens facultates Damasci, & spolia Samariæ à facie Regis Asyriorum נשא *Issa auferet*; caret הנושא *Hanosch*; agente; sicuti Gen. 48. 2. *Nuntiatum est Ioseph*, Heb. legit; *& dixit*; puta המגיד *hammaghid* nuntius *Iosepho*.

VERSVS QVINTVS. SEXTVS. SEPTIMVS. OCTAVVS.

Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc dicens. Pro eo, quod abiecit populus iste Aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio; & Assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ: propter hoc, ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius, & ascendet super omnes riuos eius: & fluet super omnes ripas eius, & ibit per Iudam, inundans, & transiens, vsque ad Collum veniet. Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ o Emmanuel.

R.D. Dixit; *Et adiecit*, nàm significat in hoc idem subiectum; & ideò etiam dixit, *adhuc*.

Quia in Iuda, & Ierusalem multi fuerunt, qui voluerunt regnum Phechaoh filij Romeliæ, & reprobarũt Regnum

domus

domus Dauid; Nam manus regni Ephraim fortificata fuerat, & regnum domus Dauid infirmatum, in diebus Achaz; & meminit simul cum filio Romeliæ, Rezin; quia vniti fuerunt simul ad debellandum Iuda; & assimilat regnum domus Dauid aquis Siloach, quæ decurrunt occultè, quia est fons paruus; & aquæ eius vadunt in quiete; Ita regnum domus Dauid, non fuit eis virtus ad malefaciendum inimicis suis Rezin, & filio Romeliæ: *& gaudens cum Rezin;* fuerunt gaudentes, & lætantes cum eis, ac si regnassent ipsi in Ierusalē; & ideò; ויען *Anuan*, nō est per adiunctionem; nam est principium verborum; Cur dixit, *propterea?* quia fecerunt sic, & sic, faciet eis sic, & sic; sicut *& leuauit Abraham oculos eius;* Dicit propheta; *Dixit Deus ad me;* ob id, quod lætatum est cor eorum cum oppugnantibus regnum domus Dauid, cadent in manu magis crudelium ipsis; & ista sunt castra Assyriorum; & assimilat illa aquis fluminis fortissimis, & multis, eo modo, quo corroborantur, & crescūt in terra, & inundant totum, quod pertranseunt; ita Rex Assur, & castra eius copiosa, quæ capient totam terram Iuda excepta Ierusalem; *& omnis gloria eius;* hoc est exercitus eius magnus, quod glorificabit illum super omnes populos, & capiet eos sub manu eius; *& ascendet super omnes riuos terræ;* & dicit *ascendet;* contra terrā Israel, quæ est sublimis præ omnibus terris; idest omnis terra replebitur ex illis, sicut riuuli replentur aquis; & vlterius præ multitudine eorum fluent, ibunt super ripas riuulorum, & ista sunt labia vallium desuper, quæ eminent vallibus; *& ripas eius;* alludit ad omnes ciuitates Iudæ munitas; *& ibit;* Cald. & transibit; *vsque ad collum perueniet;* Assimilat Ierusalem capiti corporis; & quando aquæ perueniunt hominis vsque ad collum eius, certè

ipse

ipse est proximus immergendi in eis; & si parum crescat transeunt caput eius, & immergitur in eis. Ità Rex Assur in aduentu eius vsque Ierusalem fuit sicut aquæ prouenientes ad collum, proximæ ad captionem, nisi fuisset pietas Dei; & scriptum est; *vsque ad collum*; vsq; ad Ierusalem perueniet; *Et erit extensio alarum eius;* Extensio exercitus eius, & dilatatio eius adimplebit latitudinem terræ Iuda totam; & dicit; *O Emmanuel*; Qui est filius natus Achazio, in signum, quod non capietur; Vult dicere. Tu ò Emmanuel, qui es in Ierusalem, propter te cognoscent; quoniam cum eis Deus, qui liberabit de manu Assur; nam omne reliquum terræ tuæ erit, vel replebitur ex eis. Et in פרש *Parasc*, quot sunt extensiones Galli siluestris, vna ex sexaginta de alis eius, vna ex sexaginta exercituum eius Senacherib, implebit latitudinem terræ Iuda.

R.S. De regno domus Dauid, quod deducit (idest gubernat) sicut aquæ Siloeh, quæ decurrũt, in quiete שלח *sciloach*; fons est, & nomen eius Ghichon, & Sciloach; Quia voluerunt facere reuerti regnum domus Dauid in diebus Achaz ad Phecach filium Romeliæ. Et hîc prophetat, super Sobnam, & societatem eius, qui voluerunt rebellare ab Ezechia; nam reprobauerunt illum, quia viderunt, quod non eligebat mensam regum; sed comedebat libram herbæ, & studebat legi; de eo dictum est, *Iustus comedit sufficientiam vitæ suæ*; & vide nunc phecach comedentem quadraginta sata pipionum, post prandiũ Bichinuach Sangodah: & deridebant Ezechiam, & dicebant; hic dignus est, vt sit Rex? nõ est Rex, nisi Rezin, & filius Romeliæ fuerunt digni ad regnandum in vita eorum; & hoc est, *& assumpsit, vel lætatus est magis Rezin*; Dixit ei D.S.B. Edentes vos desideratis? Ego ad- 2.31

duco super vos comedentes multos; *Ecce Dominus ascédere facit super vos: Aquas fluminis robustas*; vice aquarum Sciloach debilium, & quietarum; Et ascendet flumen super omnes riuulos eius; & roborabũtur aquæ eius ascendendo super omnes riuos egressionis aquarũ eius; & ibit flumen de plenitudine eius super omnes riuos eius; *Et ibit per Iudam:* In terram Iuda, & inundabit in fortitudine; *vsque ad collum*; Vsque ad radicem fortitudinis colli eorũ. Cald. vsque ad Ierusalem peruenient; *Extensiones alarum eius. O Emmanuel,* Hic est Sceptrũ Iuda, quod roborauit illud D. S. B; vt esset cum illis in diebus Ezechiæ; secundùm verba prophetissæ, quæ vocauit nomen filij sui Emmanuel.

VERSVS NONVS, DECIMVS, VNDECIMVS, DVODECIMVS.

Cõgregamini populi & vincimini, & audite vniuersa procul terra; confortamini, & vincimini; Accingite vos, & vincimini; inite consilium & dissipabitur; loquimini verbum, & non fiet, Quia nobiscũ Deus. Hoc enim ait Dominus ad me; Sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius, dicens: Non dicatis coniuratio; omnia enim, quæ loquitur populus iste, coniuratio est; & timorem eius ne timeatis, neque paueatis.

R.S. C*Ongregamini populi*; expositio רעו *renghohu.* *Associamini*; ita Cald. *coniungimini*; simul exercitus Senacherib; *Et vincimini*; & rumpimini; accingimini, & consternemini; Accingimini in omni specie fortitudinis, & finis vester, esse fractos, prostratos; *Inite consilium*; Depositio, Imperatiuum. *In manu fortia.* Quando corro-

borata

[redacted]

borata est prophetia super me, quando videlicet addidit loqui ad me in verbo isto; sicut scriptum est supra; *Et adiecit loqui dominus ad me*; & in hoc sensu dixit Ezechiel; *& manus Domini super me confortans*; expositio, prophetia; *Et erudiuit me*; Animaduertendo me ne esse in consilio Sobnæ scribæ, & societatis eius, qui coniurauerunt rebellare contra Ezechiam; sicut expositum est in tractatu Sauehdrin; & est significatum in libro isto tibi Isaiæ. *Vade & ingredere*. *Et erudiuit me*; sicut ad erudiendum me; *Non dicatis coniuratio*; Vos societas eius regis Ezechiæ etiãsi vos sitis pauci quam societas Sobnæ, non dicatis, post multos inclinandum est; *Omne quod dicit populus iste*; Qui cum Sobnia; quia est coniuratio impiorum; & non sunt ex numero, & ita in coniuratione decem tribuum, quæ coniurauerunt cũ regibus Egypti; *Et timorem eius*; populũ istũ, qui dicunt vobis, timendum à Senacherib, & pacificandum cum eo, *ne timeatis, neque consternamini animo, ne timeatis*; fortitudo est; *& non paueatis*; est roborans vos.

R.D. *Congregamini*; Expositio; frangere, sicut *franges eos in virga ferrea*; dixit respectu populorum congregatorum cum Rege Assur, fregerunt, & postea fracti fuerunt; *Et vincimini*; frangite, & audite omnes longinqui terræ, omnes populi, qui venistis de longè ad Ierusalem, audite istam prophetiam; Quoniam principiò confringetis, & postea confringimini; *Accingimini*; accingimini principiò, confortamini ad prælium, & postea confringemini; *Inite consilium*; Quid proderit vobis consilium vestrum super Ierusalem, quoniam irritabitur; & ita verbum vestrũ cõtra eam, non stabilietur; *Quoniam ita dicit Dominus*; Quare dicit Quoniam? quia non stabilietur consilium eorũ contra Ierusalem: Quoniam ita dixit ad me in fortitudine

manus suæ; quoniam ipse erit timor vester, vel fortitudo vestra, qui dabit vobis fortitudinem, & firmitatem, vt sitis fideles ei, & sanctificantes nomen eius; etiā erudiuit me, ne irem in viam populi huius odientis regnum domus Dauid, propter timorem regum istorum. Et expositio, *In fortitudine manus*; in fortitudine prophetiæ; & ita; *Et manus Domini facta est super me fortitudo*; Et fortitudo in prophetia est, quia vidit in visione prophetica visionem terribilem, & mirabilem; siue quod dicit verbis tuis; *Et ipse erudiet me*; quod non abeam nisi in via Dei, & dicam idem cæteris, & admoneam illos, quod non ambulent in vijs populi huius rebellantis; & dixit illis; *Ne dicatis coniuratio*; non cogitetis, neq; velitis hoc, quod coniurent, neque rebellent à regno domus Dauid. *Et timorem eius ne timueritis*; Quod est, quod ipsi timebant? & sunt Rezin, & phecach, non timeatis eos, neque paueatis; non date eis in cordibus vestris, & in verbis vestris, fortitudinem, & robur, sicut populus iste facit; quoniam non est eis robur contra vos, nisi velit Deus. Et sunt exponentes istā prophetiam de diebus Ezechiæ, quando timuerunt à Rege Assyriorum. Et dicit, quod Sobnah, & societas eius fecerunt fœdus secretò cum Rege Assur, & ita exposuerunt RR.

VERSVS TERTIVSDECIMVS, QVARTVSDECIMVS, QVINTVSDECIMVS.

Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, et ipse tremor vester: Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel: in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offen-

dent

dent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

R.S. ET *erit* למקדש *lemichdasc*. Hoc consilium, quod consuluit Sobnah, & consuluit phecach ad destruendum regnum domus Dauid, erit in præparationẽ punitionis venientis super eos. *Lemichdasc*; sicut Exod. 19.15. *Sanctificamini, vel præparamini in crastinum. Et in lapidem offensionis*; idest percussionis, quia pedes offendent in illum; & significat laquæum Ierem. 13.16. *Antequam offendant pedes vestri*. psal. 90. *Ne forte offendas ad lapidem pedes tuos. Et in petram scandali*; idest lapidem offensionis, nam petra est lapis. *Duabus domibus Israel*; Nam venerunt, vt sint in laquæum, & in scandalum habitantibus Ierusalem. Et quæ duæ istæ domus? phecach filius Romeliæ, & socij eius, & Sobnah, & societas eius. *Et offendent in eis plurimi*. In illis lapidibus offendent ipsi, & ambæ societates illorum cadent in manum inimicorum illorum. Phacee occisus est, & decem tribus ceciderunt in manum Senacherib. Et Sobnah exiuit de Ierusalem, quando ascendit Senacherib cõtra eam, eundo contra Thirecah Rege Æthyopiæ subuersus est Sobnah, & societas eius; & perijt.

R.D. Dominum exercituum. Hic est dominus exercituum superioris, & inferioris, & in manu eius omnia; *Et timete eum, & sanctificate eum*; ipse liberabit vos ab exercitibus inferius bellantibus contra vos; *Et ipse timor vester*; quem timebitis ipsum solum; *Et ipse terror vester*; & ipse dabit vobis fortitudinem, & robur, & non poterunt inimici vestri offendere vos; *Et erit vobis in sanctificationẽ*; *sanctificatio*; est palatium, & locus refugij, vbi homo tuetur sicut; *Quoniam palatium regis est; & venit ad palatium*

b

latium suũ; dixit; Quoniam D.S.B. erit duabus domibus Israel; vni in securitatem, & isti sunt qui confidunt in eo, & volunt regnum domus Dauid, & alteri erit in petram scandali, in laqueum, & offendiculum, & rete habitantibus Ierusalem; Vni ex duabus domibus habitantibus Ierusalem, & isti sunt reprobantes regnũ domus Dauid, & amantes regnum filij Romeliæ; *Et sunt, qui exponunt de diebus Ezechiæ, Sobnah, & societate eius.*

VERSVS SEXTVSDECIMVS, ET DECIMVS SEPTIMVS.

Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.

R.S. L*iga testimonium.* Totum hoc ex prophetia, quæ dicta est supra. *Quoniam hæc dicit Dominus ad me*; (qui est versus vndecimus huius capitis) Et amplius hoc dixit (puta Deus) mihi; *liga testimonium*; sensus est secundùm illud Deut. 30. 19. *Testificor vobis hodie; & signa.* Imprime legem super cor doctorum meorum, discipulorũ tuorum; timentes Deum vocantur docti Dei; & si dices, quod vocabulum, *Liga*, non est eiusdem significationis cum discente legem; hoc loco est eius significati; quia dictum est; *Ligabis ea super cor tuũ semper; & expectabo*; dicit Isa. Ego sum anhelans Deum, occultantem facies suas à decem tribubus. Et sperabo ei stabilitatem verborum istorum; & quod saluam faciet domũ Dauid.

R.D. *Liga*; significatum eius est, Colligatio, 2. Reg. 20. 30. *Et erunt colligata*; &, *liga*, est infinitiuus, sicut, *signa*; & ista verba sunt Prophetæ; dicens, non est mihi nisi colligare, & imprimere legem in discipulis meis; idest simul cum

discipulis meis;quia non videbunt eam alieni, nisi discipuli mei; quoniam alieni nolunt videre, neque audire verba legis; & postea, quia ita conueniens est,quod minister liget illam, & sigillet illam, & non nominetur nisi discipulis; nam alieni, siue nominem, aut ostendam illis verba legis, & non facient illa; erit punitio illorum duplex, post admonitionem. Et sunt exponentes,quoniã ista sunt verba Dei;& erit, *liga, signa*; Imperatiuum.

VERSVS DECIMVS OCTAVVS.

Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.

R.S. Ecce *ego; in signa*; ad duo signa; punitionis phacee, ita vocatus fuit infans; *festina spolium accelera prædam*; & salutis domus Dauid; Ideo vocatus est infans Emmanuel; hoc redit in significatum secundum sensum suum litteralem. Et *Medrasc*; expositio, *Aggadah in berescith Rabba*, super Achaz; qui clausit scholas congregationis, siue sinagogæ; & scholas expositionum, siue Achademias, ne docerentur discipuli domus magnæ, legem; dicens; Si non erunt hædi, nec etiam arietes; Si nõ oues, nec etiam pastor; cansabo ei, vt auferat diuinitatem suã. Dixit illi propheta, omne hoc conspiras; testimonium, & sigillum legis occultare, ne inueniatur in Israel; nihil proderit tibi; *Et expectabo Dominum*; Non habes prophetiam difficiliorem, quã sit illa, illius temporis; quãdo dixit Moyses, Deut. 31. *Et ego abscondendo, abscondam faciem meam in die illo*; & etiam in hoc dedit illis spem; *Et respondebit canticum istud coram me in testimonium*,

quo-

quoniam; non tradetur obliuioni de ore meo semen eius. Ecce ego, & pueri mei. Isti sunt discipuli, qui amati fuerunt ab eo sicut filij; erunt in signa, & portenta; quia stabilietur lex per manus illorum.

R.D. *Ecce ego, & pueri mei;* Opera, quæ ego feci in signum, sicut est scriptura voluminis; & vocatio nominum puerorum; שאר ישוב *Scear lasciuu*, & מהר שלל חש בז *Maher. scial al; Casc Baz*; à domino exercituum; nihil feci à meipso; sed omne imperatum est mihi à domino Deo exercituum, qui habitat in Sion. Et ipse liberabit vos de manu Syriæ, & de manu regis Assur; & ista verba dixit propheta discipulis astantibus coram illo; & dixit etiam illis ita; *Et cùm dixerint ad vos*; idest, discipulos meos.

VERSVS DECIMVS NONVS, ET VIGESIMVS.

Et cùm dixerint ad vos: Quærite à phytonibus, & à diuinis, qui strident in incantationibus suis; Numquid non populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.

R.S. ET *quoniam dicent.* Dixit R. Simon, Beerah pater Oseæ filij Beheri prophetauit, duas istas lectiones, idest prophetias; & quia non fuit illis sufficientia libri, ideò adiunxerunt in Isaia; Et vaticinatus est illas ad captiuitatẽ decem tribuum; quando scilicet transmigrare fecit Sennacherib Ruben, & Gad, secundùm quod dicitur p. par. 5. *Beerah filius eius, quem transtulit Thiglath: rex Assur, ipse princeps Rubin;* quæ RR. traditio refertur etiam à R. D. *Et cùm dixerint ad vos populi; Quærite à phytonibus;* RR. in suis glossis explicant qui sint phytones; q̃ infra suo loco adimpleam. R.D. *Et cùm dixerint ad vos*

po-

populus iste, ad vos discipulos meos.

R.S. *Ad legem magis, & ad testimonium*; ista erit responsio vestra, quod custodiatis legem, secundùm quod est supra; *Liga testimonium, signa legem*; & non credatis verbis eorum.

R.D. *Si dixerint vobis.* Vos respondebitis eis. Nunquid non populus à Deo suo requiret? Certè qui quærunt à dijs alienis, omnis populus quærit à Deo suo, qui facit solem Deum suum, qui lunam, qui stellas, & omnia viuunt; & in ipsis est virtus; Attamen non conuenit quærere ab ipsis; Quoniam virtus, quæ est in illis, est à Deo benedicto; & ipse est dominus omnium; & ab ipso opus est quærere. Cœtera, quæ in suis glossis huius capitis afferunt RR. in fine huius primæ partis adducemus, & exponemus more solito.

D I V I S I O

Huius Secundi Tractatus

I N D V A S P A R T E S.

PRima pars agit de sensu litterali, & historico totius capitis Octaui; in quo Deus in visione prophetica ostendit, ab Isaia præmissũ partũ Virginis, & ortũ Emmanuelis, ab ipsomet Deo solo operandum, per accessum ipsius Dei ad Virginem prophetissam, quę Spiritu sancto superuenta, & obumbrata, virginissimè concipiet, & pariet Emmanuel, qui alio nomine vocatur à Deo, *Accelera spolia detrahe, festina prædare*; Quia antequã iste puer concipiatur, prius tempore, penitus extirpanda sunt duo regna, & duæ regiæ Ciuitates; Regnum Syriæ, & Da-

 mascus,

mascus, & Regnum Ephraim, & Samaria. Secunda pars agit de sensu allegorico principaliter intẽto in prophetia. Quod iste Emmanuel filius Dei, & filiꝰ Virginis, pphetissæ, qui est rex Messias; futurus erat celerrimus prædator fortitudinis, & spoliorum Sathanæ principis huius mundi; vix natus, adhuc infans, antequam sciat vocare Patrem suum, & Matrem suam, accipiet, auferet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ.

PARS PRIMA

VERSVS PRIMVS.

Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librũ grandem, & scribe in eo stylo hominis. Velociter spolia detrahe; citò prædare.

Obseruationes litterales.

SVme tibi librum grandem; heb. גליון *Ghillaion*; Volumen à גלל *ghalal*: voluere, membrana est, siue carta, in qua scribitur, & postea conuoluitur, & complicatur. Cald. לוח *luach*; tabulam magnam.

Velociter spolia detrahe, citò prædare; In fonte non sunt nisi quatuor dictiones; prima למהר *lemaher*; infinitiuus significat; *accelerare*; potest legi p gerundiũ; *accelerando*; vel, *ad accelerandum*, & etiam aduerbialiter, *celeriter*; ita vulgatus; *velociter*; Secunda dictio, שלל *scialal*; spoliare, deprædari significans; est nomen, *spolium*; vulgatus sequutus Cald. explicat per duas voces; *spolia detrahe*: Ad verbum; *Accelerare*; *vel ad accelerandum spolium*:

Tertia dictio חש *chase*; synonimum cum superiori מהר *maher*; festinare, est temporis præsentis; *Velox, festinans*; & sumitur aduerbialiter à vulgato, *citò*, sed est gerundiũ; *Ad festinandũ*. Quarta dictio est בז *baz*; à *bazaz*; synonimũ cũ dictione secũda שלל *scialal*; *præda, spoliũ, direptio*; est nomen, & potest inseruire Infinitiuo, vel Impatiuo, vt legit vulgatus, *prædare*; Hinc liquet ista nomina debere coniungi bina, táquã synonima; & reduplicata ad significandam maiorem celeritatem rei, de qua agendum est in hoc capitulo, qui est frequens hebraismus; & ad uerbum traducitur; *Accelerare spolium, festinare prædam*; siue; *Ad accelerandum spolium, festinandum prædam*. Quod repetitum nomen duabus dictionibus, ab Isaia imponitur iussu Dei filio prophetissæ v. 3. & non est differentia; nisi in additione litteræ ל *lamed*; dictioni primę מהר *maher*; למהר *lemaher*; significans subiectum, & materiam, quam scribere debebat Isaias in illa magna carta, siue volumine; nempè, *Accelerationem spolij, festinationem prædæ*; Quæ duo nomina imperatiuo modo v. 3. Imponuntur filio prophetissæ, quasi Deus loquatur illi infanti, & præcipiat illi; *Accelera spolium, festina prædam*; quia ipse puer, ipsemet debebat hoc spolium, & prædam celeriter auferre; vt suo loco patebit.

CAPVT PRIMVM.

An extra imaginariam visionem, realiter sensibiliter, in aliqua membrana, vel carta, calamo, & atramento scripserit Isaias illa quatuor nomina למהר שלל חש בז *lemaher, scialal, chase, buz*; Ad accelerandum spolium, ad festinandam prædam.

Certissimum est primò totam hanc mirabilem prophetiam, quæ his tribus capitibus comprahenditur fuisse

 re-

reuelatā Isaię in visione pphetica בְּמַרְאֵה הַנְּבוּאָה *Bemareh hanneuuah*, vt loquuntur hebræi; ab ipso Deo; hoc est in imaginaria visione per species infusas, & illius imaginatiuæ virtuti obiectas; itaut viderit Propheta non corporaliter, sed mentaliter volumen grande, siue membranam magnā; in qua iussus est scribere stylo hominis hæc quatuor verba; *Ad festinandum spolium; ad accelerandum prædam:* pari modo in eadem continuata visione imaginaria, mentaliter vidit Deum adhibentem illos duos testes; mentaliter vidit ipsum Deum accedentem ad quandam Sanctissimam Prophetissam, quæ virtute diuina obumbrata concepit, & peperit filium; mentaliter vidit Deum illi præcipientem, vt tali filio prophetissæ imponeret hoc nomen; *Accelera spolium; festina prędā;* Quod quęritur est, an re vera, & externè, sensibiliter, per actus sensibiles, peracta hac estatica visione imaginaria, & mentali, Propheta acceperit vel librum, vel membranam magnam, & calamo, & atramento in ea scripserit stylo hominis, hoc est, litteris apertis, maiusculis, & claris, quibus solet homo scribere, ista quatuor verba. RR. vt ex illorum glossis colligitur, id pręsupponunt vt certū; scripsisse Isaiam hæc quatuor verba in magna carta, siue tabula, litteris maximæ magnitudinis, & illam publicè exposuisse populo, cuique legenda; probat R. D., nam præcepit Deus Isaiæ, quòd scriberet stylo hominis; sed in visione prophetica, quamuis sibi visus fuerit scribere stylo hominis; non fuit tamen tale, non fuit factum tale propriè; & ideò, vt extra visionem realiter, & externè efficeret, quod iubebat illi Deus in visione, dicit; *Scribe stylo hminis*; verùm hæc ratio non cogit.

Nam esto hoc, præceperit ei Deus in visione prophetica, vbi reperitur, & attestatur scriptura hoc fecisse; nam per-

te, vt Isaia, multa præcepit Deus prophetis in visione imaginaria, vt facerent; & quæ dicuntur facta fuisse ab illis, extra visionem, per actiones sensibiles, & corporales; per te, inquam, facta fuerunt tantùm imaginabiliter; vt tu fateris in facto Oseæ de muliere fornicaria in vxorem accipienda; vbi quamuis subdat sacer textus; quod Oseas; *abijt & accepit vxorem*, quæ fuit adimpletio diuinæ iussionis, in visione; tu tamen asseris, non ita externè euenisse, sed totum fuisse in visione prophetica, & mentaliter, sibi visum fuisse, abijsse, & vxorem accepisse &c. veluti accidit sæpè homini in somnio; ergo multò minus verum erit, quòd etiamsi in visione præceperit Deus Isaiæ, quod scriberet stylo hominis, quod extra visionem materialiter, & realiter id adimpleuerit, cùm nō legatur adimpleuisse ad extra realiter; sed tantū id præceptum illi fuisse ad intra mentaliter; & hoc ad hominē dico. Nam certissimè tenendum est verè Isaiam post visionem propheticam, hæc omnia in libro magno suarum prophetiarum hoc capite octauo, scripsisse, & consignasse stylo hominis, hoc est litteris, & caracteribus apud homines notis; nempè apertè, & clarè, vt Caldæus exponit; vt ab omnibus legi possent, & intelligi; & hoc in testimonium huius magnæ prophetiæ, & promissionis; vt si inueniatur vera, vti certò inuenietur, & inuenta fuit; auctoritatem, & venerationem diuinam, vti par est, ab omnibus obtineret.

VERSVS SECVNDVS.

Et adhibui mihi testes fideles: Vriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachia.

Obseruationes litterales.

ET *adhibui* ואעידה *Veangbida*; Radix; עוד *ngud*; adducere in testimonium aliquem, ad comprobationē alicuius

cuius

cuius rei. Deut. 30.20. *Testes inuoco* העדתי *bangbidothi; hodie cælum, & terram: Testes fideles* נאמנים *Neemanim:* Acceptio huius adiectiui נאמן *Neeman; fidelis;* ferè semper stat pro homine fideli, in fide constanti, & probe vitæ. Num. 12.7. *In tota domo mea fidelis est*, i. Moises. Explicant RR. cum R. Bechai hic. *Dixit Deus Moysi;* Exod. 33.19. *Ego transire faciam omne bonum meum;* hoc bonum est illud, quādo peccauit contra illud pater eius primus, & non inuenit eum fidelem (iustum constantem in obedientia) ideò dictū est de Moyse, in omni domo mea fidelis, idest ipse, & non pater eius; Quæ sit domus Dei, explicant. *Quoniam domus mea, domus orationis mea*, idest Ecclesia. Hæc illi, ergo esse fidelem, est esse constantem in fide, iustum, probum, & sanctū, p. reg. 22. 14. Vocatur Dauid in omnibus seruis Saul fidelis; נאמן *neeman;* idest inculpabilis, non peccans; Isai. p. 21, Ciuitas נאמנה *neemanah:* fidelis, idest sancta in fide, & religione, non declinans ad Idololatriā. Neem. 9.10. de Abraham dicitur; *Et inuenisti cor eius fidele coram te;* constans in fide, obedientia, & religione; hos fideles iustos, & sanctos amabat, fouebat Rex Dauid, psal. 105.6. *Oculi mei ad fideles terræ.* Sicuti ex opposito, non esse fidelem, est deficere; peccare, esse iniustum, ps. 78.8. *Et non est creditus fidelis;* נאמנה *neemanah; cum Deo spiritus eius;* Cur? *Non custodierunt testamentum Dei;* &c. significatum ergo huius dictionis נאמן *neeman*, est, denotare virum iustum, rectum in fide, & probitate vitæ; Et sic qui hoc loco adducuntur testes, vocantur fideles, hoc est à fide diuina numquam deficientes, sanctitate vitæ conspicui, & inculpabiles.

CA-

CAPVT PRIMVM.

Explicatur glosa R. S. circa praedictum textum: Et adhibui mihi testes fideles; Vriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiae; *& eius falsitas, & tergiuersatio reuelatur.*

DEus loquens Isaiae in principio capitis, praecepit illi, vt in libro magno clarè, & apertè scriberet haec quatuor verba; *Ad festinandum spolium, accelerandam praedam*; prima duo verba; *ad festinandum spolium*; propheticè R. S. refert ad significandum aduentum Senacherib, vult dicere Salmanasar, qui spoliauit, & depraedatus est Samariam, & omnem facultatem decem tribuum; Alia verò duo verba, *accelerandam praedam*; refert ad significandum aduentum Nabucdon. contra tribum Iudam, Ierusalem, & Regem Sedechiam; modò continuans Deus suum sermonem cum Isaia, & immediatè subdens; *& adhibui mihi testes fideles*, idest, *adhibebo*, tempore futuro; cùm adductio horum duorum testium respiciat sensum propheticum horũ quatuor verborum praedictorum; & hâc veritatem intellexerit R.S. immediata verba Dei; *Et adhibui, adhibebo mihi testes fideles*; exponit, & applicat ad praedictam suam expositionem de captiuitate Babilonica, dicens; גם באותן הימים *Gam beothan haiamim: Etiam in illis diebus;* in diebus Iheioachim super illam punitionem (quę fuit captiuitas Babilonica) duos testes fideles; (supple adducam) Vnũ ad annunciandum illis malum venturum super eos, Vriã Sacerdotem, quem occidit Iheioachim; & Zachariam filium *leuarechiahu* (idest adducam) in anno secundo Darij. hęc ille. Ex quibus colligitur primò de mente hu⁹

R.S.

R.S. non adduci à Deo hos duos Prophetas testes veraces primorum duorum verborum; *Ad festinandum spolium*; quæ propheticè, per ipsum, denotant deprædationem Samariæ, & captiuitatem decem tribuum; sed tantùm duorum sequentium; *accelerandum prædam*; quæ captiuitatem tribus Iudæ Babilonicam innuunt, de qua Vrias Sacerdos prophetauit anno primo Iheoiachim, Ierem. 26. Quod supponamus verum, quomodo poterit verificare R. S. Deum adducere duos istos testes fideles super eandem punitionem, puta Babilonicam captiuitatem? nam Zacharias, qui anno secundo Darij, & anno decimotertio post reuersionẽ à captiuitate in Ierusalem, non prophetauit de illa punitione captiuitatis Babilonicæ, cùm iam transacta esset, & iam templi secundi fundamenta iacta erant; sed prophetauit de reædificationis templi continuatione; & ciuitatis Ierusalẽ restauratione; & præcipuè, & sæpè de aduentu, & qualitatibus Regis Messiæ; ad quid ergo Deus promittit, quod adducet hunc prophetam testem fidelem, idest testificatem, & confirmantem mysteria, & subiecta, quæ in illis quatuor symbolicis verbis; *Accelera spolium, festina prædam*; si tantùm continent punitionem Babilonicam, quam quidem vaticinatus fuit Vrias Sacerdos nonnullis annis, antequam eueniret; at verò nequaquam Zacharias; qui fuit, & prophetauit post illam tresdecim annis? Certè cùm à Deo adducantur hi duo Prophetæ in testes fideles; nempe, vt suis cuiuscumque temporibus, suis inquam vaticinijs, testificentur, declarent, & confirment mysteria prophetica, quæ in his quatuor nominibus includuntur, necesse est, vt talia mysteria sint illa, de quibus testificatus est Zacharias filius Barachiæ in suis prophetijs; sed ista mysteria in Zacharia sunt aduentus, persona,

sona,& qualitates Regis Messiæ;ergò ista mysteria continentur de Rege Mesia in illis quatuor mysticis nominibus; *Accelera spolium, festina prædam*; & præcipuè in subsequentibus; *Et accessi ad prophetissã & concepit, et peperit filium*; Minor probatur ex ipso R.S. qui volens ostendere quomodo adducatur Zacharias à Deo testis fidelis testificãs, probans, & ostendens secreta prophetica, quæ in illis quatuor verbis continentur, citat illa verba cap.8.4. *Hæc dicit Dominus exercituum; Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem.* qui locus apertissimè ostendit aduẽtum Regis Mesiæ, vti docent omnes RR. infra citandi, & nos luculenter paulò post ostendemus; ergo sequitur, quòd illa quatuor nomina scribenda ab Isaia in libro magno,& illa. *Et accessi ad prophetissam*; continent aduentum, & mysteria Regis Mesiæ; Neque iuuabit dicere, vt cõminiscitur R.S. quod Deus hic adhibuit hos duos testes Vriam, & Zachariam, eo modo, quo adhibuit duos testes in facto Senacherib (vult dicere Salmanasar) Amos videlicet, & Isaiam; siquidem Amos adhibuit Deus ad punitionem decem tribuum,c.7.17. *& Israel captiuus transmigrabit de terra sua*;& adhibuit Isaiam,qui promisit,& securum reddidit Ezechiam,quoniam regnaturus esset. hæc ille. sed nihil ad rem; nam primò in quo loco scripturæ reperiet R.S.Deum dixisse; *Et adducam duos testes fideles, Amos prophetam, & Isaiam filium Amoz.* Antequam esset in rerum natura multis annis,sicut de istis: Deinde falsum est, quòd Deus adduxerit Amos in testem testificantem prophetiam alterius prophetæ: sed fuit primus, & immediatus propheta,qui vaticinatus est transmigrationem decem tribuum in Assyriam; at in re nostra adducet Deus in futuris temporibus testes fideles,prophe-

tas suos Vriam Sacerdotem, & Zachariam, vt suis vaticinijs confirment, testificentur, & declarent ista quatuor verba prophetica, & eorũ mysteria, quæ Deus præcepit Isaiæ, vt in magna carta, litteris magnis in perpetuas æternitates scriberet; & deinde vt imponeret filio prophetissæ; itaut isti duo prophetæ sint futuri testes, huius prophetiæ Isaiæ, illam certificando, & declarando alijs illorum prophetijs, & verbis, quod non fecit Amos, neq; Isaias; & sic casus est diuersus: præterea inter prophetiã Vriæ de templo Salomonico, & ciuitate Ierusalem euertenda, & prophetiam Zachariæ de secundo templo reædificando, & ciuitate habitanda, est conuenientia, & cõformitas; & præsuppositis his duabus prophetijs, verùm erit dicere cum RR. si videris adimpletam prophetiam Vriæ; videbis etiam, quod adimplebitur prophetia Zachariæ; At non ita inter prophetiam Amos, & prophetiam Isaiæ; prophetia Amos agit de captiuitate decem tribuum Assyriaca, at prophetia Isaiæ agit, vt vult R.S. de securitate regni Ezechiæ in tribu Iuda; modò quæ similitudo, & conuenientia potest esse inter illas; vt adimpletio prophetiæ Amos fuerit signum, quod adimplebitur prophetia Isaiæ, fore regnaturum Ezechiam, nulla certè; Esset equidem consequutio, si esset similitudo inter istos duos prophetas Amos, & Isaiam, & eorũ vaticinia, quæ reperitur inter vaticinia Vriæ, & Zachariæ, quæ agunt de eodem subiecto; nempè templo Dei destruendo, & eodem templo Dei reædificãdo; vnde currit benè consequutio, si videris prophetiam Vriæ adimpletam, nempè templum primum dirutum, signum erit certum, quod adimplebitur prophetia Zachariæ, templum secundum reædificandũ; ita pari modo si Amos agens, & prædicens captiuitatem decem tribuum Assyriacam;

Iſaias vaticinaretur, quòd eędē decem tribus eſſent reuerſuræ ad terram Iſrael; valeret dicere, ſi videris adimpletam prophetiam Amos de captiuitate decem tribuū, videbis etiam adimpleri prophetiam Iſaiæ de reditu decem tribuum; Verùm cùm inter prophetiam Amos, & prophetiam Iſaiæ nulla ſint conuenientia, immò ſint penitus diſparatæ; falsò docet R. S. quod Deus adducit hos duos teſtes Vriam, & Zachariam eo modo, quo adduxit Amos, & Iſaiam; cùm iſti duo nullibi adducantur à Deo in teſtimonium; & eorum vaticinia ſint penitus diſſimilia, & diſparata. Tandem non inuenio, quod prophetia Iſaiæ reddiderit ſecurum Ezechiam fore regnaturum; Dices hanc ſecuritatem prædici in illis verbis: *Ecce virgo, etc. & vocabitur nomen eius Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus*, id eſt, cum Ezechia tempore obſidionis Senacherib Regis Aſſur; verùm quis non videat hanc ſecuritatem regnandi in domo Dauid primò, & immediatè promitti domui, & familiæ Regis Dauid; deindè Achazio, q tūc obſidebatur ab illis duobus Regibus conantibus auferre ſceptrum Iuda de ſtirpe Dauidica; deinde Ezechiæ tempore Senacherib, & cæteris Regibus Iudę horum poſteris; & ideò nomen pueri vocatur in plurali; *nobiſcum Deus*; in adiutorium, non in ſingulari; *tecū Deus*; fuit enim Deus cum tribu Iuda, cum domo Dauid, cum Rege Achaz tunc regnante, cum Ezechia, qui poſt eum regnauit, & cum Manaſſe eius filio, & cæteris ſubſequentibus Regibus in defenſionem regni, & ſceptri Dauidici; ſed quid hæc cum prophetia Amos, de captiuitate decem tribuum, nihil profectò ad rem noſtram, & veritatem indagandam huius prophetiæ.

Detegitur etiā alius error huius R. S., qui videtur innuere, quod Deus adducat in teſtimonium prędictorū quatuor

verborum; *ad accelerandum spolium, festinandam prædam*; Vriam Sacerdotem, tamquam potissimum, & principalem testem, vt potè, qui destructionem templi primi, & deprædationem Ierusalem apertè post hanc prophetiam annis centum, & triginta prędixit, quæ obscurè includitur in illis verbis; at verò Zachariam adducat testem secundum, veluti minus principalem, & accessorium, subordinatum ad prophetiam Vriæ, quatenus vaticinaturus erat reædificationem templi, quæ directè non includitur in illis quatuor mysticis verbis, quæ destructionem, & deprædationem sonant, & non ædificationem. hoc .n. innuit R.S. dum dicit; *Vriam esse signum, siue testimonium Zachariæ;* Verùm non ita res se habet; non .n. adducitur à Deo Zacharias propheta testis fidelis obiter, & accidẽtaliter in ordine ad reædificationem templi secũdi, de quo nulla mentio, nullus sensus in hac prophetia; Sed adducitur primò, & principaliter ad testificandum suis prophetijs sępè, & pluries; Admirabile, & diuinũ mysterium, quod in verbis sequentibus tangit Spiritus sanctus dicens; *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium;* Esto Vrias Sacerdos adducatur testis fidelis subuersionis templi Salomonici, obscurè figuratur illis duobus verbis; *festinandam prædam;* quia illam apertè vaticinatus est; At verò Zacharias adducitur testis fidelis admirabilis prophetiæ conceptus, & partus prophetissæ, quę & העלמה *hangalmah*; Virgo, per accessum ad eam Spiritus Sancti: *Et accessi*, quia hũc pluribus locis tetigit, explicauit, amplificauit, tum c. 8. *Adhuc sedebunt senes*; quem textum citant RR., & nos cum ipsis videbimus ibi esse prophetiam de Messia filio prophetissę. Tum c. 2. & c. 6. 12. *Ecce Vir oriens:* de quo in tract. 1. abundè egimus. Tũ c. 9. 9. *Ecce rex tuus venit*

tibi;

tibi; de quo infra, & alibi. Quis existimabit vnquam Deum adducturum testem fidelem tã insignem vatem, qui pęnè omnia mysteria, & secreta Regis Messię tetigit, nisi vt suis temporibus testificaretur, & explicaret eadem mysteria, quę in hac prophetia aliqua obscuritate reuelantur sub prędictis verbis: *Et accessi ad prophetissã, & concepit, & peperit filium; & dixit Dominus ad me. Voca nomen eius; Accelera spoliũ, festina prædã; Quia &c.* & hunc esse verissimum sensum docent Cald. Ionathę, antiqui Talmudistę, & RR. vti suo loco videbimus.

Vlterius est aduertendum quatuor illa nomina; *Ad accelerandũ spolium, festinandam prædam*; non pręcipi à Deo quod scribantur in grandi volumine, nisi quatenus sunt imponenda, veluti nomen vnum, filio prophetissę; ita .n. dixit Deus Isaię; *Voca nomen eius; accelera spoliũ, festina prædam*; vnde quidquid propheticè cõtinent, totum est in ordine ad hunc puerum filium prophetissę, itaut ipse puer futurus sit Accelerator spoliorũ, & festinus deprędator; quod sacer textus apertè declarat, dũ subdit cur tale nomen imponatur, & conueniat filio prophetissę. *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam; auferetur*, heb. *auferet fortitudinẽ Damasci, & spolium Samariæ*; de quo sensu suo loco latè; Hic R. S. confitetur imponi filio prophetissę duo prima nomina; *Accelera spolium*; ad denotandam punitionem venturam super Rezin Regem Syrię, & Phaceę Regem Samariæ, qui tunc temporis obsidebant Ierusalem, quęrentes auferre regnum à filijs Dauid; & certè hic est verus, & vnicus sensus; de quo loquitur pręsens Isaię vaticiniũ; ostendere per hoc nomen symbolicũ, ꝙ anteq̃ iste puer prophetissę *sciat vocare patrem &c.* venturus erat Thiglath, rex Assur cõtra Rezin, ipsũ occidere, Damas-

cum capere, & Syrios in captiuitatem ducere, & deinde venturus erat Salmanesser, non Senacherib, ad deprædationem spoliorum ciuitatis Samariæ, & facultatem omnem decem tribuum auferendam, atque hac ratione duplicari in nomine isto pueri eadem nomina, quæ litteraliter sunt synonima idem penitus significātia; *accelera spolium, festina prædam*: quia duplex ciuitatū Damasci, & Samariæ futura erat despoliatio, & præda; Duplex deperditio populi ab esse populus, Syriaci, & Ephraimitici; Duplex transmigratio in terram alienam, gentis Syriacæ in Cyrenen, & gentis Israeliticæ in Assyriam; ad quam duplicem deprædationem, & captiuitatem significandam in nomine pueri duplicantur eadem verba synonima, vt etiam docet R.D.& iuniores Iudæi. Harū enim Ciuitatum, Regnorum, & gentium deprædatio, & captiuitas noīne isto prædicitur, quia earū Reges, & populi Ierusalem obsidendo, quærebant auferre sceptrū Iuda à domo Dauid. Quare altera expositio, quæ duo verba synonima; *festinādā predā*; vult, præsagiant euersionem templi secundi, & captiuitatem Babylonicam per Nabuchdonosor, videtur aliena à sensu prophetiæ, in qua apertè, & distinctè tantùm prædicitur totalis deuastatio Regnorum, Ciuitatum, Regum, & populorum Syrorum, & Ephraimitarum prout hostium infestantiū, & auferre conantium sceptrum Iuda à domo Dauid; Nō verò euersio templi secundi, & excisio sceptri Iudaici à domo Dauid, quæ fuit facta per Nabuchdonosor; sed è contra promittitur à Deo ipsius sceptri in filijs Dauid continuata possessio, protectio, & prouectio; Attamen, vt verum fatear, si volumus concedere RR. aliqua ratione hæc duo nomina; *festina spolium*; filio prophetissæ imposita, simul, & semel vaticinari captiuitatem Babylonicam,

lonicam, & sceptri Regni Iuda à domo, & filijs Dauid excisionem fiendā per Nabuchdonosorem Regem Assyriorum, inueniemus euidenter totum prædici ab Isaia supra cap. 7. nu. 16. *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum Regum ipsorum;* quod repetitur, & est idē hoc cap. 8. 4. *Auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum;* quæ duæ despoliationes, & excidia Regnorū Damasci, & Samariæ, hieroglyficè recunduntur in mystico nomine imponendo statim filio prophetissæ; *Ad accelerandum spolium, festinandam prædam.* Porrò cùm num. 17. immediatè sequenti, subdat vaticinando Propheta; *Adducet* (subintelligitur dictio copulatiua, &, siue *etiam*) *Dominus super te, & super populum tuum, & super domum patris tui, dies, qui non venerunt à die separationis Ephraim à Iuda cum Rege Assyriorum; & erit in die illa; sibillabit Dominus Muscæ, quæ est in extremo fluuiorum Ægypti;* vbi ad litteram; sicuti latè docuimus ibi Tract. 1. par. 1. fol. 196. & sequentibus; prædicit tribui Iudæ, & domui Dauid, nisi credat verbis Dei, excidium Ciuitatis, Tēpli, & Regni Dauidici euersionem, non est alienum à mente Prophetæ, quod docet R.S., & aliqui alij in illis duobus nominibus; *Ad accelerandum spolium, festinandam prædam;* præsagiet Isaias captiuitatem Babylonicam per Nabuchdon., quam ante minatus fuerat domui Dauid, & tribui Iuda, dicens; *Si nō credideritis, nō permanebitis;* c. 7. v. 9. Ex quibus optimum colligitur argumentum contra R.S. qui illa verba; *Adducet Dominus super te;* &c. intelligit de Rege Senacherib, cuius numerosissimus exercitus vna nocte ab Angelo extinctus fuit, & ipse à filijs occisus, quod falsum, loco citato multis ostendimus esse;

esse; Siquidem quomodo in veritate huius prophetiæ potest fundare suam glossam; nomen scribendum in magna pergamena alludere ad Babylonicam captiuitatē, si propheta, tùm capite præcedenti, tùm præsenti, nullam per ipsum faciat mentionem talis deprędationis, & depopulationis Ciuitatis Ierusalem, tribus Iudæ, & desitionis sceptri Dauidici; quod cùm falsum sit, debet confiteri, quod negat, vt suę doctrinę, imò veritatis prędictę fundamentum iaceat; nempe, quod Isaias illis verbis; *adducet Dominus super te, & super populum tuũ, & super domum patris tui dies*; vaticinetur captiuitatem Babylonicam, quam symbolicè præsefert nomen puero prophetissę imponendo; *ad festinandam prædam.*

CAPVT SECVNDVM.

An extra visionem propheticam Isaias verè, realiter, & physice adhibuerit hos duos insignes, & notissimos testes fideles in testimonium huius magnæ, & publicæ scripturæ.

QVod queritur est, an Isaias post imaginariã visionem, ad suos sensus redactus statim cõuenerit, & aduocauerit hos duos testes suo tempore viuentes, & ibidem existentes in terra Iuda, & coram illis, tamquã testes omni exceptione maiores, scripserit authenticè, siue in magna pergamena, siue in libro suarum prophetiarum; & consignauerit omnia ista prophetica futuris temporibus; siue vt essent præsentes, quando ingrediebatur ad vxorem suam prophetissam, quę concepit, & peperit filium, cui, iussu Dei, imposuit iam scriptum nomen

men quattuor dictionum. R.S., vt vidimus, nõ admittit istos duos testes adductos fuisse ab Isaia; & illa verba; *& adhibui*, supponit esse D.S.B. cum suis magistris; asserunt tamen verba sequentia; *& accessi ad prophetissam*; esse Isaię, qui ad vxorem suã maritaliter accessit; ex quo accessu cõcepit, & peperit filium. R.D. Vat. Clari. Forer. Arias, & Sanctius asserentes hęc verba; *& adhibui*; *& accessi ad prophetissam*; esse Isaię; volunt; quod post visionem imaginariam, accitis his duobus grauibus testibus tunc viuentibus, Vriam, qui erat Summus Sacerdos, & Zachariam virum insignem, qui patrem habebat nomini Barachiam; & coram ipsis scripserit in carta magna hęc quatuor verba; sicque per ipsos adductio horum testium non refertur, & non fuit, vt adessent, quando Isaias accessit ad vxorem, & exercuerit actum illum ipsis spectantibus; qui enim ita sentiunt turpi errore, atque inuerecundo labūtur; sed vt interessent scripturę, quę vt publica, debebat esse rata, & firma per testes magnę auctoritatis, qui testarentur, & quibus incredulus populus crederet, ab Isaia manu propria exaratam esse. hæc illi. Sed contra hanc opinionem maximam vim habet ratio Lyrani sic dicentis; *Etiamsi testes illi tunc temporis adfuissent, non valeret; non sequitur, quia postquã dixerat; Et adhibui mihi testes fideles Vriam; Non dicit; Et scripsi, sed; Et accessi ad prophetissam.* hęc ille; quam rationem mirum, quod non viderint, et soluerint auctores pręcitati. Et, vt verum fatear, ordo, et connexio litteralis, et intrinseca textus demonstrat hunc textũ; *& adhibui*; siue in futuro; *& adhibebo mihi*; vniri, et colligari cum sequenti versu; *Et accessi*; siue; *Et accedam*; ita vt eluceat, hos testes adduci à Propheta, non vt assisterent scripturę, sed vt assisterent ingressui ad prophetissam,

illius, qui dixit; *Et accessi, & accedam*; sed hic, nefas est dicere, quod fuerit Isaias; Ergo est alia persona, quæ dicit; *& adhibui, & accessi*, nempè Deus; vt euidentiùs infrà probabitur. Secundò arguo contra R.D.Tũ quia se opponit suis magistris, qui, ipso teste, docent hæc verba; *& adhibui mihi testes fideles*; non esse Isaiæ, sed Dei S.B. Tum quia ipse non assignat, non explicat quinam fuerint isti duo testes fideles, tunc anno quarto regis Achaz viuentes adducti in testimonium ab Isaia. Tum quia gratis asserit, quod, etiam si Deus in visione prophetica nõ præceperit Isaiæ vt adduceret illos duos testes, coram quibus scriberet illam scripturam, siue accederet cõgressu maritali ad vxorem suam, quod tamen totum hoc effecerit extra visionem imaginariam, realiter per actus materiales, & sensibiles; hoc inquam gratis asseritur; vt ex prædictis patet in cæteris visionibus imaginarijs aliorum prophetarum; in quibus, quamuis legatur, quod præceptum fuit illis à Deo, vt sic & sic facerent; attamen nihil ad extrà realiter effecerunt; sed tantum, & totum in visione imaginaria visum fuit illis ita fecisse, sicut præceptum erat illis à Deo, vt ipse asserit vers. p. Eò magis in re nostra, vbi Deus nullum præceptum imposuit Isaiæ, quod reperiret illos duos testes, & extrà visionem illos adhiberet, & accederet ad prophetissam; verũ erit Isaiam hæc omnia externè per actus reales phisicos operatum fuisse: Sed omnia tantùm in visione prophetica, & imaginaria. Tùm quia si hi duo testes fuerunt Vrias, qui prophetauit in diebus Ioacim, vt ipse dicit, annis post istam prophetiam, centum, & triginta, quia si tũc temporis anno quarto Regis Achaz extabat, agebat certè ætatis suæ annum saltem trigesimũ, & sic opus est, vt vixerit iste Vrias Sacerdos vsque ad annum plus minus

mum Iheoiachim regis Iuda, à quo eodem anno occisus fuit, quod sic, tunc fuisset ætatis centum sexaginta annorum, quod quamuis non sit penitus improbabile, vt sic; redditur tamen certissimum, hunc Vriam Sacerdotem, tunc anno quarto Achaz non fuisse in rerum natura, neque ab Isaia adductum in testem fidelem, ex impossibilitate, quod testis secundus, qui fuit Zacharias filius Barachiæ, qui prophetauit in templo secundo; anno secundo Darij, vt ipse R. D. fatetur, potuerit esse in rerum natura anno quarto Achaz; cùm ab anno quarto Achaz, vsque ad annum secundum Darij fluxerint anni ducēti, & quinquaginta; & cùm tunc fuisset saltem annorum triginta, vitam protraxisset 280. annorum; & cùm vltra annum secundum Darij superuixerit alios annos, vixisset iste Zacharias annos trecentos, quod est à vero alienum, & consequenter penitus absurdum, & repugnans, quod fingit iste R. Isaiam extra visionem tunc temporis personaliter adduxisse istos prædictos viros in testes; sed omnia ista tantùm in visione prophetica contigisse, pro cuius maiori dilucidatione.

Notandum est R. Moysem Ægyptium in suo lib. Moreh p. secunda. cap. 46. docere, Omnia opera; quæ prophetæ dicunt se fecisse, non verè, externè, & realiter per actiones materiales, & sensibiles illa fecisse; sed tantùm in visione prophetiæ, & imaginariò fecisse; & quamuis in prophetia non commemoretur de qualibet parte, quod facta fuerit in visione prophetica; tamen intelligitur totum factum fuisse in visione prophetica, cùm dicat semper propheta; *& dixit Dominus ad me*; & subdit, quod ex vnico, & singulari indiuiduo vult sumere probationem ad omnia indiuidua illius speciei, cùm eadem sit ratio reliquorum. Multa adducit exempla.

Ezech. 3. 23. *Egressus sum in cãpum*; in visione prophetiæ accidit, sicut de Abrahamo dicitur; *& eduxit eum foras, & dixit suspice cælum*; fuit hoc in visione. Ezech. 8. 3. *& adduxit me in Ierusalem in visionem Dei*; 7. *Et introduxit me ad ostium atrij; & vidi; & ecce foramen vnum in pariete; & dixit ad me fili hominis, fode parietem; & cùm fodissem parietem apparuit ostium vnum; & dixit ad me, Ingredere, & vide &c. & ingressus vidi &c.* Quod totum sine dubio factum est in visione prophetiæ; nam in visione vidit, quod iussus fuerit illi fodere parietem; & in visione ipse fodit parietem, quod intraret, & videret, & ipse per foramen ingressus est, & vidit; omnia in visione contingerunt; & hoc exemplo, probat omnes actiones, & opera prophetarũ facta fuisse in visione imaginaria; & nũquam in apprehensione sensuum externè sensibiliter. Vti quod dictum est Oseæ; *Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum*; quamuis subdat sacer textus; *& abijt, & accepit Gomer filiam Deblaim; & concepit, & peperit filiũ*; totum inquam hoc, quod de generatione, siue partu liberorum, & filiorum appellationibus dicitur factũ fuisse solùm in visione prophetiæ; & subdit, quod vulgus hominum; homines qui non sunt firmo iudicio, hæc omnia intelligunt, ac si Propheta reuera fecerit sensibiliter id, quod à Deo iniunctum illi fuerit faciendum; quod Ezechias verè foderit parietem; quod Oseas verè vxorem fornicariam duxerit, & verè ex ea susceperit filios, & filias; Quod Isaias 20. 3. verè nudus, & discalceatus incesserit; & sic de reliquis, quæ omnia vera non sunt; Sub hac specie adducit isdem R. Moyses p. 2. c. 42. omnes visiones reales diuinitùs factas Sanctis Patriarchis, solũ fuisse in visione imaginaria. Gen. 18. *Apparuit Dominus*

Abraham sub quercu mambre, Gen. 32. *Et luctatus est vir cum ipso.* Num. 22. In negotio Bileami, totum illud, quod in via ei contigisse dicitur, & quomodo asina loquuta fuerit, in visione imaginaria, hæc & alia, tantum facta fuisse; Quæ sententia, improbabilis est, & erronea, imò hæretica, vniuersaliter loquendo de omnibus apparitionibus, & visionibus à Deo, siue per se, siue per Angelum Patriarchis, & Prophetis, factis; in multis enim, & præcipuè in apparitione Dei in valle mambre, sub forma visibili trium hominum, negat sensum litteralem, & historicum; sic enim tota illa mirabilis narratio trium illorum Angelorum ab Abrahamo, & duorum à Loth hospitio receptorum, esset fictitia; quod abhorrent omnes RR. & Talmudistæ; & præcipuè magnus ille R. Sel, qui ab hoc grauissimo errore fuit vbique alienus. Concedimus in aliquibus visionibus Prophetarum veram esse doctrinam R. Moysis; & præcipuè vbi exprimitur, quod illa facta fuerunt in visione prophetiæ, vt quando Ezechiel iussus est fodere parietem, & ipse fodit parietem; hoc est, visus est ei in visione imaginaria fodisse parietem, & ingressum fuisse foramen; nam sicut ille paries erat tantũ in visione imaginaria, & non extra; ita pariter fossio parietis, tunc enim Ezechiel degebat Babyloniæ, & tantùm spiritu prophetico translatus Ierosolimam. c. 8. 3. *Et adduxit me in Ierusalem in visione Dei*; sub qua ratione non currit illud memoratum Oseæ, quod non attendit R. Moyses; nam verè in visione prophetica accepit Oseas præceptum à Deo sumendi vxorem fornicariam; sed extra visionem realiter, & sensibiliter erat illa mulier fornicaria, quam posset sibi sumere in vxorem; & ideò vt sciremus Prophetam extra visionem imaginariam adimpleuisse Dei præceptum, subdit

quod,

quod; *Abijt, & accepit Gomer filiam Deblaim*; exprimit veritatem realem vxoris ex nomine proprio illius, & patris simul, immò & filiorum; Pariter illud etiam Isaiæ 20. quod in visione imaginaria vidit, & audiuit à Deo; *Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis*; Extrà visionem propheticam adimpleuit opere externo; cùm hæc omnia indumenta haberet, & à se exuere posset; & ideò subdit; *Et fecit sic vadens nudus, & discalceatus*; quod Deus statim euidenter asserit; adducens mysterium, & significatum illius nuditatis externæ; *Et dixit Dominus, sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus &c.* Neque obstat quod obijcit R. Moyses, & qui illum sequitur R. D. multum abesse à Deo vt Prophetas suos reddat similes stultis, vel ebrijs, iubendo eos facere actiones stultorum, & ebriorum; Quod Oseas sumeret mulierem fornicariam; Quod Isaias nudus incederet; Quod Ezechiel acciperit nouaculam, & capillos capitis, & barbæ raderet; non inquam hæc obstant; nam si ab homine fiant sponte, & imprudenter, sunt indecora; Si verò ex necessitate, vt si quis nudus fugeret, vt mortem euitaret, sicuti Dauid corã rege Achis se finxit stultum; esset laudabile; quantò magis, si hæc fiant iussu Dei; mãdatum dei omnem fœditatem abstergit, nam circumcidere partes genitales, inuerecundum est; vt tamen præcipitur à Deo, decorum, & sanctum est; præcipuè cùm fiat ob aliquod mysterium significãdum, siue ad instruendum populos, siue ad inducendum prophetas ad aliquem actum eximiæ obedientiæ, mortificationis, & humilitatis, Ex his colligo in re nostra efficax argumentum ad hominem, contra R. D. Hæc omnia, quæ hoc capite 8. Isa. referuntur vidit propheta in visione prophetiæ, cum sæpe dicatur, *Hæc dixit Dominus ad*

me, ergò nihil horum, quæ continentur in ea, opere externo, ab Isaia adimpletum fuit; non verè, & sensibiliter scripsit in carta; non realiter adduxit in testes illos duos eximios viros; Non corporaliter accessit ad prophetissam, & hæc non uerè concepit, & peperit; sed hęc omnia tantùm imaginariè, tùm quia hic nihil præcipitur ei à Deo, quod faciat extra visionem; & si præcipitur, totum fuit in visione; tùm quia non reperitur scriptum, quod adimpleuerit; quod accesserit; quod prophetissa conceperit, & pepererit filium; Nam non est maior ratio de Osea qui iubetur à Deo sumere Vxorem fornicariam, & de Isaia, qui per te, absq. Dei iussu accessit ad prophetissam, immò est maior ratio de Osea; nã præter præceptum; dicitur, quod abijt, & duxit vxorem &c., & generauit ex ea filios, quod non dicitur de Isaia; sed per te, tota illa series rerum Oseæ fuit solum in visione imaginaria; quantò magis illa Isaiæ, cùm sit eiusdem speciei visionis imaginariæ tantummodo. Videas R. D. quam sis tibi inconstans, & cõtrarius; qua fronte audeas dicere Prophetam post uisionem imaginariam, omnia in ea cõtenta opere externo sensibiliter adimpleuisse. O deploranda huius R., & sequacium cæcitas. Adde quod discedit ab expositione suorum antiquorum Talmudistarum, qui, vt ipsemet fatetur, & R. S. totum hoc negotium Oseæ in tractatu *pesſichim*, exponũt [illegible] *chemisimangho* secundùm sensum litteralem, & historicum; ita externè, & sensibiliter factum esse, vti sonat littera.

Dicendum ergo, cùm secundùm veritatem, & omnes Talmudistas, & Caldæum paraphrastem, verba illa; *& adhibui mihi testes*; & illa; *& accessi ad prophetissam*; nequaquam fuerint Isaiæ prophetæ; sed Dei, & Spiritus sancti; cui omnia futura, & præterita sunt præsentia; Prophetam

phetam illa omnia vidisse, & spectasse in sola imaginaria visione; verùm à Deo ipso suis temporibus statutis sensibiliter, & externè efficienda, & adimplenda esse. Nota, Deum, hoc loquendi modo, quod nempè ipsemet accesserit ad prophetissam, quo accessu ipsa concepit, & peperit filium, apertè declarare, quomodo, העלמה *hangalmah*; Virgo pdicta c. 7. posset concipere Virgo, & parere Virgo filium suum Emmanuel, verum Deum, & hominē simul; integerrima semper manente eius virginitate; nempè per accessum Spiritus sancti ad eam, miro, & ineffabili modo illam fecundante in conceptu; & obumbrante in partu; ob cuius maximi sacramenti testimonium, & asseuerationē affert Deus duos testes, qui futuri erant à tempore huius prophetiæ post multos annos, vt patebit; quæ omnia Isaias peracta visione imaginaria, vti præceperat ei Deus scripsit, & consignauit in magno libro, siue volumine suarum prophetiarum, adimplenda, postea futuris sæculis, à Deo præordinatis, quod est commune omnibus prophetijs, quæ in futurum respiciunt, vti est ista.

CAPVT TERTIVM.

Quinam fuerint illi duo testes fideles, quos Deus in illa imaginaria visione adduxit in testimonium tanti mysterij; & quos ecstaticè vidit Isaias.

QVI ex nostris putant prædicta verba esse Isaiæ prophetæ, vt qui à veritate recedunt, se implicant varijs difficultatibus; nam dum asserunt primū testem fuisse illum Vriam summum Sacerdotem, qui tem-

tempore Achaz regis Iuda viuebat. 4. Reg. 14. non attendunt quod adiectiuum [Hebrew] Neeman, fidelis, non reperitur in tota scriptura pro eo, qui est testis facti, vel publicæ scripturæ; sed pro viro iusto, constanti, & permanenti saltem in fide Dei, vt in obseruationibus vidimus; qualis non fuit, siue non perstitit in vera Dei Israelis fide hic Vrias summus Sacerdos; sed ædificauit in Ierusalem altaria idolorū, sacrificauit, adoleuit incēsum; quomodò testis fidelis, qui mentitus est, & à vero Deo defecit; *Testis fidelissimus non mentitur*; Prou. 14. 5. & num. 25. *Testis fidelis saluans animas*; at iste tot perdidit, suo exemplo illas ad Idololatriam trahens; præterea, certū est, hoc totū primò euenisse in visione imaginaria; quomodo probant Isaiam post visionem hæc omnia opere externo, & sensibili effecisse; non dixit Deus Prophetæ, quod in populos illam scripturam proferret, quod testes adhiberet; sed tantùm quod scriberet stylo hominis; idest caracteribus certis, & vsitatis in suo magno libro propheticarum; Tandem in omnibus propheticis visionibus, in quibus Deus voluit Prophetas suos, aliquid, extra illas sensibili opere adimplere, semper præmittit præceptum expressum, & illius realem, externam, & sensibilem exequutionem sæpissimè exprimit prophetia; at hic nullum præcedit diuinum præceptum, nulla, post visionem imaginariam, exprimitur sensibilis exequutio; ergo omnia fuerunt tantùm in visione prophetica. Præterea difficultas magna est, quisnam fuerit iste Zacharias filius Barachiæ, tunc viuens, & sensibiliter, & personaliter ab Isaia post visionem adductus in testem. Aliqui putāt fuisse illum Zachariam, qui sub Rege Ezechia domum Dei ab Achaz pollutam expiauit. 2. par. 29. 13. sed hic vocatur filius Asaph, non Barachiæ. Alij ex D.

Hieron. hoc loco Isaiæ putāt esse illum Zachariam prophetā, de quo dierum narrat liber, quod; *Ezechias filius Achaz quæsierit Dominum in diebus Zachariæ eruditi in timore Dei*; sed hoc est mendum in commentarijs Diui Hieronymi; non enim hæc habentur lib. 2. par. 29. c. vti falsò citatur in margine eiusdemmet commentarij; neque vllibi reperiuntur; nisi fortè sit illud 2. par. 26. 5: *Ozias filius Amasiæ exquisiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum*; Verùm hic Zacharias propheta præcessit Ezechiam, & Achaz plusquā octoginta annis; neque vocatur filius Barachiæ, siue Ieberechiæ, vt asserit Clarius malè; & non animaduerterūt alij; Tandem nonnulli imaginati sunt hunc Zachariam fuisse virum aliquem famosum, & notum, qui tūc viuens habuerit patrem nomine Berachiā; sed hoc est diuinari. Veritas est, quam docuerūt Caldæus Ionathas, primores Talmudistæ R. S. & R. D. quod cū ista verba; *Et adhibui mihi testes fideles*; non sint Isaiæ, sed Dei loquentis, & continuantis inceptum sermonem cum Propheta, in visione imaginaria, obiecerit Deus facultati imaginatrici ipsius Prophetæ aspectus, & simulachra horum duorum testium fidelium, Vriæ nempè Sacerdotis, & Prophetæ, de quo fit mentio Ierem. 26. 20. *Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Vrias filius Semei, de Cariathiarim*; & Zachariæ Sacerdotis, & Prophetę vndecimi inter minores Prophetas; qui denominatur *filius Barachiæ, filij Addo, siue Nghiddo*; Zach. p. 1. Esd. 2. 12. 16. Tandem asserūt R. D., & eius sequaces ex nostris; Isaiam; peracta visione prophetica, & illa concione habita coram rege Achaz, & principibus Iuda; adduxisse hos duos eximios viros, vt essent testes coram ipso, dum in magna carta scriberet illa quatuor nomina; sed si attētè

ponderetur sacer textus, hoc non colligitur; sed oppositum, quod ipsi tamquam turpe penitus negant; nempè Isaiam adduxisse illos duos testes vt interessent ad ingressum carnalem, & maritalem ad vxorem suam prophetissam. Postquam enim dixit Propheta; *& adhibui mihi testes fideles* non subiungit; *& scripsi*; sed; *& accessi ad prophetissam*; quod ipsi abhorrent.

Sed ad rem nostram, quæramus quinam fuerint isti duo testes; quid, & quando prophetauerint. Primus testis est Vrias Sacerdos; quod fuerit Sacerdos explicatur, dum dicitur Ierem. 26. *Vrias filius Semei de Cariathiarim*; ideſt de Ciuitate Syluarum, quæ erat in tribu Iuda Iud. 18. 12. pater eius, & ipse fuit Sacerdos, quod testantur antiqui Hebr. in Medrasc Haggada, ait R. S, infra citandus; qui adducentes hunc textum Isaiæ; *& adhibui mihi testes fideles, Vriam Sacerdotem*; & textum Ieremiæ, ostendunt quod iste Vrias Sacerdos, est Vrias filius Semei, de Cariathiarim. Iste ergo Vrias filius Semei floruit tempore Ieremiæ, vt habetur c. 26. 20. *Et prophetauit aduersus ciuitatem istam, & aduersus terram hanc iuxta omnia verba Ieremiæ*; quam prophetiam protulit, regnante Iheoiachim Rege Iuda, anno primo regni eius, sub initium, & quo tempore, adductum de Ægypto, quo Vrias confugerat iussit eum occidi prædictus Rex, historia refertur citato cap. Ierem. Cùm enim Ierem. principio regni Iheoiachim prophetasset in nomine Domini: *Dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc in maledictionem cunctis gentibus*: apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus dicens. Morte moriatur. At principes dixerunt non est viro huic iudicium mortis; quia in nomine Domini Dei nostri loquutus est; & adduxerunt exemplum Micheæ Morasthi, qui

F 2 fuit

fuit Propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda, Mich. 3. 12. dicens. *Hæc dicit Dominus exercituum. Syon quasi ager arabitur, & Ierusalem in acervum lapidum erit, & mons domus in excelsa Syluarum.* Et tamen neque Rex, neque omnis Iuda eum morti condemnauit &c. ergo nec vos debetis morti damnare Ieremiam; hæc dicebant pij, & iusti homines; at impij mortem prophetæ appetentes, induxerunt contrarium exemplum; nempè Vriæ filij Semei, qui prophetauit sicut Micheas, & Ieremias, Templi, & ciuitatis deuastationem; & tamen Rex quæsiuit eum interficere, & reuocatum ab Ægypto, quo confugerat, Rex Iheoiachim, percussit eum gladio, & occidit; ergo occidendus est etiam Ieremias; quæ occisio Vriæ euenit eodē primo anno Iheoiachim, qui occidere volebant Ieremiam. Ex quo colligimus hunc Vriam Sacerdotem testem fidelem fuisse prophetam, & prophetasse eandem prophetiam, quam prophetauit Micheas anno 6, vel 7. Ezechiæ Regis Iuda, postquam decem tribus fuerūt adductæ in Assyriam; & ideò de sola desolatione Jerusalē, & domus Dei primæ, loquuntur isti duo Prophetæ Vrias & Micheas sicuti & tertio loco idem penitus prædicit Ieremias; Quæ prophetia Micheæ non fuit abolita, & reuocata ob pœnitentiam quam fecit Rex Ezechias, & populus, sed solùm suspensa, & dilata, vsque ad tempora Vriæ, & Ieremiæ, qui illam reuocauerunt; Quod totum adimpletum fuit per Babylonios, & Caldæos; & hoc excidium ad litteram voluerunt Micheas, Vrias, & Ieremias, nec aliud senserunt RR.

Secundus testis fidelis à Deo adducendus est Zacharias filius Barachiæ, vnde cimus inter prophetas minores; Hic fuit insignis, & nobilissimus, vt potè nepos *Yunghidda*,

vnus ex principibus Sacerdotum, qui reuersi sunt ex captiuitate Babylonica cum Zorobabel, & Iosue Neem. 12. qui & Propheta describitur Esdræ 5.2. *Et Zacharias filius Addo prophetæ*. Hic statim reuersus Ierusalẽ anno secundo Darij Hystaspis regis Persarum cępit prophetare de reędificanda domo Dei, & animare populum ad illius ædificationem, & multa de rege Messia vaticinari. Esd. p. 5. 1. Certè isti sunt testes omni exceptione maiores. Ambo de tribu Leui, ambo Sacerdotes, Doctores, & Prophetæ, & ambo martyres, vt de isto multi exponunt Matt. 23. 35. Porrò Vrias sacerdos, & propheta primus testis, multo tẽpore post Isaiam vixit; & ab anno quarto Achaz, quo ista prophetia enunciata fuit, vsque ad primum annum Iheoiachim, quo & vaticinatus, & interfectus est, fluxerunt anni 130. non rectè Galatinus computat omnes vndecim annos regni Iheoiachim. Similiter Zacharias sacerdos, & propheta duobus seculis cum dimidio post hoc vaticinium Isaię, cępit prophetare; ab anno enim quarto Achaz; vsque ad secundum Darij prædicti, anni 250. decurrerunt. Hinc clarissimè constat non Isaiam, sed Deum adduxisse hos sanctos, & eximios viros in testes, solùm in visione imaginaria, & solùm mentaliter illorum imagines vidisse Isaiam; & dicendo Deus Isaiæ; *Et contestabor mihi, siue adducã mihi testes fideles*; erat illi insinuare, quod præcipiendo, vt scriberet in magno volumine illa quatuor mystica verba, quæ postea imponere debebat, velut nomen, filio prophetissæ, ad horum mysteriorum testificationem, & firmitatem ipsemet Deus loquẽs, & ad tempus futurum respiciens, in tempore futuro dicit; *& testificabor mihi*; idest, ego Deus ipse, qui hæc arcana promitto; & tibi ò Isaias præcipio, vt scribas in volumine magno; quia non eue-

euenient nisi futuris temporibus; ideò ad ea confirmanda, quod suo tempore à me decreto stabilientur, & implebuntur; iterum diuersis temporibus futuris, quæ præcedent adimpletionem horum mysteriorum, adducam duos Prophetas, qui fide, & sanctitate vitę fideles, denuò suis vaticinijs prædicent, confirmabunt hæc omnia arcana, quæ de filio prophetissæ in visione prophetica vidisti, & tibi præcepi vt in libro magno apertè scriberes.

CAPVT QVARTVM.

Ostenditur ista verba: Et adhibui mihi testes fideles; *esse D.S.B.& quanam fuerint illorum prophetiæ in testimonium huius Isaiæ.*

PRimò ex *Thalmud, Tractatu, qui dicitur* מכות *Machoth flagellationem cap. 3. Vbi adducuntur RR. quatuor, summæ auctoritatis, Gamaliel, Eleazar, Iosue, & Achiua; qui vt accesserunt ad montem domus, id est templi, videntes vulpem de Sancto Sanctorum egredientem: tres primi RR. cœperunt flere: At quartus, R. Achiua ridebat; & dicentes illi tres, cur rides? dixit eis, & vos quid fletis? Responderũt, locus de quo scriptũ est,* Et alienus accedés moriatur, *Nu. 3. 38. Nunc stabilitum est de eo;* super montẽ Syon, qui desertus est, vulpes ambulauerunt in eo; *Tren. 5. & non plorabimus? Tunc Resp. R. Achiua, Hac de causa ego rideo; Quia scriptum est;* Et testificabor mihi testes; *Isa. 8.* fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ; *Et quodnam est negotium Vriæ cum Zacharia? & nonne Vria fuit in templo primo, & Zacharia in templo secundo? sed suspendit scriptura prophetiam eius nempe Zachariæ, in prophetia eius, nempe Vriæ. De Vria scriptũ est*

est *Mich.* 3. Causa vestri Syon quasi ager arabitur, & Ierusalem acervus erit; & mons domus in excelsa syluæ. *In Zacharia scriptum est* 8. Adhuc habitabunt senes, & vitulæ in platæis Ierusalem;& vir cuius baculus in manu eius propter multitudinem dierum; *Donec non fuit stabilita prophetia eius Vriæ, fui timidus quod non stabiliretur prophetia eius Zachariæ. Nunc adimpleta est prophetia eius Vriæ, notum est quod prophetia eius Zachariæ stabilietur* מתקימה *mithchaijemah; & in sermone isto dixerunt ei, Achiua consolatus es nos, consolatus es nos, Deus consoletur nos.*

Hæc traditio, ex qua nõ apertè colligitur intentum, nempè secundum Talmudistas, verba illa Isaiæ 8. *Et contestabor mihi testes fideles*, esse verba non Isaiæ prophetæ, sed Dei S.B. quod non aduertit Galatinus; Verùm in Medrasc Echa Rabbathi, cap. vlt. in illis verbis; *super montẽ Sion, qui desertus est*; repetitur hæc traditio; vbi citato versu Zachariæ; *& plateæ Ciuitatis implebuntur pueris, & puellis ludẽtibus in plateis eius*; statim subdit traditio;

Dixit Deus S.B. אלו עדים לי שני הרי *Deri li scene ngheaim ellu*; Ordinaui mihi duos testes istos; *Et si stabilientur verba Vriæ, stabilientur verba Zachariæ; & si abolebũtur verba Vriæ, abolebuntur etiam uerba Zachariæ; & lætatus sum, quia stabilita sunt verba Vriæ, et tandem verba Zachariæ futura sunt vt stabiliantur;* עתידין להתקים *ngathidin lethchaiam; Et in sermone isto dixerunt ei; Achiua consolatus es nos, consolatus es nos, consoletur nos;* ברגלי מבשר *beragle mebaser; Per pedes euangelizantis.*

Hæc ibi ad verbum; ex qua traditione habemus explicitè intentum, verba nempè prædicta; *Et adhibebo mihi testes fideles, Vriam Sacerdotem & c.* secundùm Talmudistas, non esse verba Isaiæ prophetæ, sed Dei S. B. dum

apertè

apertè dicunt, quod dixit D.S.B. *Ordinaui mihi duos testes istos*; nempè prædictos paulò antè. Deinde, quod maius est, secũdum testem Zachariam in sua allata prophetia loqui de maxima consolatione, nẽpè de aduentu, & persona Regis Messię; dum Talmudistę concludunt, quod Deus consoletur illos, *per pedes euangelizantis*; qui est textus eiusdem Isaię cap. 52. v. 7. *Quam pulchri sunt super montes pedes annunciantis, audire facientis pacem, annunciantis bonum, audire facientis salutem dicentis Syoni, regnauit Deus tuus*; vbi de salute fienda per regem Messiam, qui sępè vocatur in abstracto *salus* ישועה *Iescengah*, idest saluator Israelis, omnes RR. exponũt; & sic adimpletionem prophetię Zacharię, per quã Deus consolabitur Israel, positam esse in aduentu, & persona regis Messię, quod infra dilucidabitur.

Secundò probatur auctoritate irrefragabili Caldęi R. Ionathę ואסהיד קדמי סהדין מהמנין ית לוטיא דאמרית לאיתאה בנבואת אוריה כהנא והא אתו אף כן כל נחמתא דאמרית לאיתאה בנבואת זכריה בר יברכיא אנא עתיד לאיתאה ועלית לות נביאתא ועדיאת וילידת בר *Vehashid chodamai sehidin Mehemenin; iath leuataia Daamarith leaithaah Binneuuath Vriah Chahana; Vehaatho aph chencol nechamatha daamarith leaithaah Binneuuath Zechariah bar Ieuerechia; Ana ngathid leethaah; Vengalith leuath neuiatha, Vengadiath, viledathbar; Et testari faciam coram me testes fideles, maledictiones, execrationes, quas dixi venturas in prophetia Viæ Sacerdotis; Et ecce veniet pariter sic omnis consolatio, quam dixi venturam in prophetia Zachariæ filij Barachiæ; Ego in futurum adducam: Et intrabo ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium*. Nonne euidentissimè colligitur ex hac paraphrasi, & thalmud, hîc loqui Deum, & non Prophetam; quis enim loquutus est

per

est per istos duos prophetas, maledictiones contra terrã Iuda, templum, & Ierusalem, & consolationes de Messia promissas, nisi Spiritus sanctus? Quod certè fatetur Magnus ille R. S. in sua glossa; dum illos duos testes fideles asserit, quod adhibuit in diebus Iheoiachim, vnum ad annunciandum illis punitionem venturam; qui fuit Vrias Sacerdos, quem occidit Iheoiachim; alterũ anno secundo Darij ad annunciandum consolationem, qui fuit Zacharias filius Barachiæ propheta; & quis fuit iste nisi Spiritus sanctus loquens per Prophetas diuersis temporibus?

Tandem R.D. in sua glosa id apertè fatetur sententiã RR. esse: *& adducam mihi testes fideles;* verba sunt Dei B. דברי האל יתברך *Diure hael ithbarach;* & affert adductum Caldæi testimonium. Si ita est, cur ò perfide inter omnes modernos tui temporis Rabbinos tu solus, & nouus recedis ab ista catholica, & antiquissima chabalah; sententia, & traditione? scribens in tua glossa; *& adducam mihi;* ista sunt verba Prophetæ? Esto quod Propheta tũc per visionem propheticam scripserit super cartam illas quatuor dictiones; quomodo vmquam probabis, quod aduocauerit illos duos testes ad publicam fidem faciendam illius scripturæ; si tu ipse fateris fuisse multos annos post Isaiam; si asseris, quod Deus non præceperit illi, quod tales testes adhiberet? Stat ergo veritas certissima, illa esse verba, quæ à Spiritu sancto audiuit Isaias.

CAPVT QVINTVM.

Quanam conuenientia sit inter istam prophetiã Vriæ, & hanc præsentem Isaiæ.

SVpposita allata doctrina Caldæi, & Thalmudistarum de nomine in volumine scribendo, certum est hos duos tes-

testes fideles adduci à Deo in visione prophetica, vt illorum vaticinia confirment, & stabiliant, hanc præsentem prophetiam de accessu Spiritus sancti ad prophetissam; de eius conceptu, partu, & filio; & de nomine ipsi filio prophetissę imponendo; quod vt euidẽtius pateat, quærendum nobis est, in quo conueniat Vriæ prophetia cum ista Isaiæ, vt esse possit istius testificatio, & probatio. Et primò prophetia Vriæ sacerdotis, quam docent RR. esse illam Micheæ 3.12. *Causa vestri, Sion quasi ager arabitur*; vaticinatur destructionem primi templi Salomonici, & primę ciuitatis Ierusalem factam per Assyrios & Caldæos, & per regem Nabuchdon., vt supra probatum est; nam Micheas prophetauit anno septimo regis Ezechiæ; Vrias, & Ieremias 16. *Dabo domũ istam*; certè primam Salomonicam, quæ tunc extabat; *sicut Sylo, & vrbem hanc in maledictionem cunctis gentibus*; igitur in prophetia ista Isaiæ opus est fiat mentio, & vaticinetur primi templi, & ciuitatis deuastatio; nam certè nulla alia conuenientia inueniri potest, vt prophetia Vriæ, quæ & Micheæ & Ieremiæ sit testis fidelis, huius prophetiæ Isaię. R.S, & eius sequaces versu tertio huius capitis; *voca nomen eius velo. iter spolia*; docet hoc dictũ esse super punitionem venturã super Rezin, & phecach filium Romelię; atque ita esse suadet textus subsequens; *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam; auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ*. Verùm nulla conuenientia cũ prophetia Vriæ, quæ fuit multis annis post deuastationem Damasci, & Samariæ; tùm quia illa Vriæ agit excidium templi, & vrbis, non Damasci, & Samariæ. Iisdem R.S. versu primo, diuidit illa quatuor nomina; *festina spolium, accelera prædam*; in duas partes; & docet quòd prima duo nomina puero

imposita,& prius in membrana scripta; *festina spolium*; portendere aduentum Senacherib, vult dicere Salmanasar, ad deprædandam omnem facultatem Samariæ,& decem tribuum; sed redit, quod dicebam, nullã penitus esse conuenientiam cum prophetia Micheæ, Vriæ,& Ieremiæ, quæ de excidio domus primæ, & vrbis agit; non de captiuitate decem tribuum, quę euenit anno sexto regis Ezechiæ, antequam Micheas, & alij duo prophetarunt. Deinde subdit R.S. quod alia duo nomina scripta,& imposita puero prophetissæ; *Accelera deprædationem*; vaticinatur Nabuchdon. venturum post Senacherib, qui spoliauit regem Sedechiam, & sæculum eius, templum primum combussit. ciuitatem sanctam euertit, & omnem tribum Iudam, partim ferro, partim fame necauit,& partim Babyloniam captiuam duxit; Et in hoc est vera, & adæquata conuenientia inter prophetiam Isaiæ,& Vriæ;& sic Vrias fuit testis fidelis huius prophetiæ Isaiæ in nomine filio prophetissæ imposito; *Accelera deprædationem*; nam Vrias prædixit templi, & ciuitatis deprædationem, & exterminium fiendum à Nabucdon. hyeroglyficè contentũ in nomine illius infantis, vt docet R.S. Et equidem ita res se habet, si benè, & attentè consideretur, quod nomen huius infantis; *festina spoliũ, accelera prædam, vel deuastationem*; propheticè innuebat, ablationem fortitudinis Damasci, & Syrorum captiuitatem in Cyrenen; tùm Samariæ deprædationem,& decem tribuum in Assyriam transmigrationem; tùm etiã & potissimè templi, & ciuitatis ruinam, & tribus Iuda, in Babyloniam deductionem; itaut sit germanus sensus, & litteralis; *Voca nomen huius filij prophetissæ, Accelera spolium, festina prædã; Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Da-*

Hieron. hoc loco Isaiæ putãt esse illum Zachariam prophetã, de quo dierum narrat liber, quod; *Ezechias filius Achaz quæsierit Dominum in diebus Zachariæ eruditi in timore Dei*; sed hoc est mendum in commentarijs Diui Hieronymi; non enim hæc habentur lib. 2. par. 29. c. vti falsò citatur in margine eiusdemmet commentarij; neque vllibi reperiuntur; nisi fortè sit illud 2. par. 26. 5. *Ozias filius Amasiæ exquisiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum*; Verùm hic Zacharias propheta præcessit Ezechiam, & Achaz plusquã octoginta annis; neque vocatur filius Barachiæ, siue Ieberechiæ, vt asserit Clarius malè; & non animaduerterũt alij; Tandem nonnulli imaginati sunt hunc Zachariam fuisse virum aliquem famosum, & notum, qui tũc viuens habuerit patrem nomine Berachiã; sed hoc est diuinari. Veritas est, quam docuerũt Caldæus Ionathas, primores Talmudistæ R. S. & R. D. quod cũ ista verba; *Et adhibui mihi testes fideles*; non sint Isaiæ, sed Dei loquentis, & continuantis inceptum sermonem cum Propheta, in visione imaginaria, obiecerit Deus facultati imaginatrici ipsius Prophetæ aspectus, & simulachra horum duorum testium fidelium, Vriæ nempè Sacerdotis, & Prophetæ, de quo fit mentio Ierem. 26. 20. *Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Vrias filius Semei, de Cariathiarim*; & Zachariæ Sacerdotis, & Prophetę vndecimi inter minores Prophetas, qui denominatur *filius Barachiæ, filij Addo, siue Nghiddo*; Zach. p. 1. Esd. 2. 12. 16. Tandem asserũt R. D., & eius sequaces ex nostris; Isaiam; peracta visione prophetica, & illa concione habita coram rege Achaz, & principibus Iuda; adduxisse hos duos eximios viros, vt essent testes coram ipso, dum in magna carta scriberet illa quatuor nomina; sed si attētè

pon-

ponderetur facer textus, hoc non colligitur; sed oppositum, quod ipsi tamquam turpe penitus negant; nempè Isaiam adduxisse illos duos testes vt interessent ad ingressum carnalem, & maritalem ad vxorem suam prophetissam. Postquam enim dixit Propheta; *& adhibui mihi testes fideles;* non subiungit; *& scripsi;* sed; *& accessi ad prophetissam;* quod ipsi abhorrent.

Sed ad rem nostram, quæramus quinam fuerint isti duo testes; quid, & quando prophetauerint. Primus testis est Vrias Sacerdos; quod fuerit Sacerdos explicatur, dum dicitur Ierem. 26. *Vrias filius Semei de Cariathiarim;* idest de Ciuitate Syluarum, quæ erat in tribu Iuda Iud. 18. 12. pater eius, & ipse fuit Sacerdos, quod testantur antiqui Hebr. in Medrasc Haggada, ait R. S. infra citandus; qui adducentes hunc textum Isaiæ; *& adhibui mihi testes fideles, Vriam Sacerdotem;* & textum Ieremiæ, ostendunt quod iste Vrias Sacerdos, est Vrias filius Semei, de Cariathiarim. Iste ergo Vrias filius Semei floruit tempore Ieremiæ, vt habetur c. 26. 20. *Et prophetauit aduersus ciuitatem istam, & aduersus terram hanc iuxta omnia verba Ieremiæ;* quam prophetiam protulit, regnante Iheoiachim Rege Iuda, anno primo regni eius, sub initium, & quo tempore, adductum de Ægypto, quo Vrias confugerat iussit eum occidi prædictus Rex, historia refertur citato cap. Ierem. Cum enim Ierem. principio regni Iheoiachim prophetasset in nomine Domini: *Dabo domum istam sicut Silo; & vrbem hanc in maledictionem cunctis gentibus;* apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus dicens. Morte moriatur. At principes dixerunt non est viro huic iudicium mortis; quia in nomine Domini Dei nostri loquutus est; & adduxerunt exemplum Micheæ Morasthi, qui

 fuit

fuit Propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda, Mich. 3. 12. dicens. *Hæc dicit Dominus exercituum. Syon quasi ager arabitur, & Ierusalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelsa Syluarum.* Et tamen neque Rex, neque omnis Iuda eum morti condemnauit &c. ergo nec vos debetis morti damnare Ieremiam; hæc dicebant pij, & iusti homines; at impij mortem prophetæ appetentes, induxerunt contrarium exemplum; nempè Vriæ filij Semei, qui prophetauit sicut Micheas, & Ieremias, Templi, & ciuitatis deuastationem; & tamen Rex quæsiuit eum interficere, & reuocatum ab Ægypto, quo confugerat, Rex Ihcoiachim, percussit cum gladio, & occidit; ergo, & occidendus est etiam Ieremias; quæ occisio Vriæ euenit eodē primo anno Ihcoiachim, qui occidere volebant Ieremiam. Ex quo colligimus hunc Vriam Sacerdotem testem fidelem fuisse prophetam, & prophetasse eandem prophetiam, quam prophetauit Micheas anno 6, vel 7. Ezechiæ Regis Iuda, postquam decem tribus fuerūt adductæ in Asyriam; & ideò de sola desolatione Ierusalē, & domus Dei primæ, loquuntur isti duo Prophetæ Vrias & Micheas sicuti & tertio loco idem penitus prædicit Ieremias; Quæ prophetia Micheæ non fuit abolita, & reuocata ob pœnitentiam quam fecit Rex Ezechias, & populus, sed solùm suspensa, & dilata, vsque ad tempora Vriæ, & Ieremiæ, qui illam reuocauerunt; Quod totum adimpletum fuit per Babylonios, & Caldæos; & hoc excidium ad litteram voluerunt Micheas, Vrias, & Ieremias, nec aliud senserunt RR.

Secundus testis fidelis à Deo adducendus est Zacharias filius Barachiæ, vnde cimus inter prophetas minores; Hic fuit insignis, & nobilissimus, vt potè nepos ryngbidda,

vnus ex principibus Sacerdotum, qui reuersi sunt ex captiuitate Babylonica cum Zorobabel, & Iosue Neem. 12. qui & Propheta describitur Esdræ 5.2. *Et Zacharias filius Addo prophetæ*. Hic statim reuersus Ierusalē anno secundo Darij Hystaspis regis Persarum cępit prophetare de reędificanda domo Dei, & animare populum ad illius ædificationem, & multa de rege Messia vaticinari. Esd. p. 5. 1. Certè isti sunt testes omni exceptione maiores. Ambo de tribu Leui, ambo Sacerdotes, Doctores, & Prophetæ, & ambo martyres, vt de isto multi exponunt Matt. 23. 35. Porrò Vrias sacerdos, & propheta primus testis, multo tēpore post Isaiam vixit; & ab anno quarto Achaz, quo ista prophetia enunciata fuit, vsque ad primum annum Ihcoiachim, quo & vaticinatus, & interfectus est, fluxerunt anni 130. non rectè Galatinus computat omnes vndecim annos regni Ihcoiachim. Similiter Zacharias sacerdos, & propheta duobus seculis cum dimidio post hoc vaticinium Isaię, cępit prophetare; ab anno enim quarto Achaz; vsque ad secundum Darij prædicti, anni 250. decurrerunt. Hinc clarissimè constat non Isaiam, sed Deum adduxisse hos sanctos, & eximios viros in testes, solùm in visione imaginaria, & solùm mentaliter illorum imagines vidisse Isaiam; & dicendo Deus Isaiæ; *Et contestabor mihi, siue adducā mihi testes fideles*; erat illi insinuare, quod præcipiendo, vt scriberet in magno volumine illa quatuor mystica verba, quæ postea imponere debebat, velut nomen, filio prophetissæ, ad horum mysteriorum testificationem, & firmitatem ipsemet Deus loquēs, & ad tempus futurum respiciens, in tempore futuro dicit; *& testificabor mihi*; idest, ego Deus ipse, qui hæc arcana promitto; & tibi ò Isaias præcipio, vt scribas in volumine magno; quia non eue-

euenient nisi futuris temporibus; ideò ad ea confirmanda, quod suo tempore à me decreto stabilientur, & implebuntur; iterum diuersis temporibus futuris, quæ præcedent adimpletionem horum mysteriorum, adducam duos Prophetas, qui fide, & sanctitate vitę fideles, denuò suis vaticinijs prædicent, confirmabunt hæc omnia arcana, quæ de filio prophetissæ in visione prophetica vidisti, & tibi præcepi vt in libro magno apertè scriberes.

CAPVT QVARTVM.

Ostenditur ista verba: Et adhibui mihi testes fideles; *esse D.S.B.& quanam fuerint illorum prophetia in testimonium huius Isaia.*

PRimò ex *Thalmud, Tractatu, qui dicitur* מכות *Machoth flagellationem cap. 3. Vbi adducuntur RR. quatuor, summæ auctoritatis, Gamaliel, Eleazar, Iosue, & Achiua: qui vt accesserunt ad montem domus, id est templi, videntes vulpem de Sancto Sanctorum egredientem; tres primi RR. cæperunt flere; At quartus, R. Achiua ridebat; & dicentes illi tres, cur rides? dixit eis, & vos quid fletis? Responderũt, locus de quo scriptũ est:* Et alienus accedés moriatur, *Nu. 3. 38. Nunc stabilitum est de eo;* super montẽ Syon, qui desertus est, vulpes ambulauerunt in eo; *Tren. 5. & non plorabimus? Tunc Resp. R. Achiua, Hac de causa ego rideo; Quia scriptum est;* Et testificabor mihi testes; *Isa. 8.* fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ; *Et quodnam est negotium Vriæ cum Zacharia? & nonne Vria fuit in templo primo, & Zacharia in templo secundo? sed suspendit scriptura prophetiam eius nempe Zachariæ, in prophetia eius, nempe Vriæ. De Vria scriptũ est*

est *Mich*. 3. Causa vestri Syon quasi ager arabitur, & Ierusalem acervus erit; & mons domus in excelsa syluæ. *In Zacharia scriptum est* 8. Adhuc habitabunt senes, & vitulæ in platæis Ierusalem; & vir cuius baculus in manu eius propter multitudinem dierum; *Donec non fuit stabilita prophetia eius Vriæ, fui timidus quod non stabiliretur prophetia eius Zachariæ. Nunc adimpleta est prophetia eius Vriæ, notum est quod prophetia eius Zachariæ stabilietur* מתקיימה *mithchaijemah; & in sermone isto dixerunt ei, Achiua consolatus es nos, consolatus es nos, Deus consoletur nos.*

Hæc traditio, ex qua nō apertè colligitur intentum, nempè secundum Talmudistas, verba illa Isaiæ 8. *Et contestabor mihi testes fideles*, esse verba non Isaiæ prophetæ; sed Dei S.B. quod non aduertit Galatinus; Verùm in Medrasc Echa Rabbathi, cap. vlt. in illis verbis; *super montē Sion, qui desertus est*; repetitur hæc traditio; vbi citato versu Zachariæ; *& plateæ Ciuitatis implebuntur pueris, & puellis ludētibus in platæis eius*; statim subdit traditio; *Dixit Deus S.B.* ודי לי שני עדים אלו *Deri li scene nghedim ellu*; Ordinaui mihi duos testes istos; *Et si stabilientur verba Vriæ, stabilientur verba Zachariæ; & si abolebūtur verba Vriæ, abolebuntur etiam uerba Zachariæ; & lætatus sum, quia stabilita sunt verba Vriæ, et tandem verba Zachariæ futura sunt vt stabiliantur;* עתידין להתקים *ngathidin lehithchaiam; Et in sermone isto dixerunt ei; Achiua consolatus es nos, consolatus es nos, consoletur nos;* ברגלי מבשר *beriagle mebaser; Per pedes euangelizantis.*

Hæc ibi ad verbum; ex qua traditione habemus explicitè intentum, verba nempè prædicta; *Et adhibebo mihi testes fideles Vriam Sacerdotem &c.* secundùm Talmudistas, non esse verba Isaiæ prophetæ, sed Dei S. B. dum

aperte dicunt, quod dixit D.S.B. *Ordinaui mihi duos testes istos*; nempè prædictos paulò antè. Deinde, quod maius est, secũdum testem Zachariam in sua allata prophetia loqui de maxima consolatione, nẽpè de aduentu, & persona Regis Messię; dum Talmudistę concludunt, quod Deus consoletur illos, *per pedes euangelizantis*; qui est textus eiusdem Isaię cap. 52. v. 7. *Quam pulchri sunt super montes pedes annunciantis, audire facientis pacem, annunciantis bonum, audire facientis salutem dicentis Syoni; regnauit Deus tuus*; vbi de salute fienda per regem Messiam, qui sępè vocatur in abstracto *salus* ישועה *Iescungah*, idest saluator Israelis, omnes RR. exponũt; & sic adimpletionem prophetię Zacharię, per quã Deus consolabitur Israel, positam esse in aduentu, & persona regis Messię, quod infra dilucidabitur.

Secundò probatur auctoritate irrefragabili Caldęi R. Ionathe ואסהיד קדמי סהדין מהמנין ית לוטיא דאמרית לאיתאה בנבואת אוריה כהנא והא אתו אף כן כל נחמת דאמרית לאיתאה בנבואת זכריה בר יברכיא אנא עתיד לאיתאה ועלית לות נביאתא ועדיאת וילידת בר *Vehashid chodamai sehidin Mehemenin; iath leuataia Daamarith leaithaah Binneuuath Vriah Chahana; Vehaatho aph chencol nechamatha daamarith leaithaah Binneuuath Zechariah bar ieuerechia; Ana ngathid leethaah; Vengalith leuath neuiatha, Vengadiath, viledath bar; Et testari faciam coram me testes fideles, maledictiones, execrationes, quas dixi venturas in prophetia Vriæ Sacerdotis; Et ecce veniet pariter sic omnis consolatio, quam dixi venturam in prophetia Zachariæ filij Barachiæ: Ego in futurum adducam: Et intrabo ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium.* Nonne euidentissimè colligitur ex hac paraphrasi, & thalmud, hîc loqui Deum, & non Prophetam; quis enim loquutus est

per

est per istos duos prophetas, maledictiones contra terrã Iuda, templum, & Ierusalem, & consolationes de Messia promissas; nisi Spiritus sanctus? Quod certè fatetur Magnus ille R. S. in sua glossa; dum illos duos testes fideles asserit, quod adhibuit in diebus Iheoiachim, vnum ad annunciandum illis punitionem venturam; qui fuit Vrias Sacerdos, quem occidit Iheoiachim; alterũ anno secundo Darij ad annunciandum consolationem, qui fuit Zacharias filius Barachiæ propheta; & quis fuit iste nisi Spiritus sanctus loquens per Prophetas diuersis temporibus?

Tandem R. D. in sua glosa id apertè fatetur sententiã RR. esse: *& adducam mihi testes fideles;* verba sunt Dei B. דברי האל יתברך *Diure hael ithbarach;* & affert adductum Caldæi testimonium. Si ita est, cur ò perfide inter omnes modernos tui temporis Rabbinos tu solus, & nouus recedis ab ista catholica, & antiquissima chabalah; sententia, & traditione? scribens in tua glossa; *& adducam mihi;* ista sunt verba Prophetæ? Esto quod Propheta tũc per visionem propheticam scripserit super cartam illas quatuor dictiones; quomodo vmquam probabis, quod aduocauerit illos duos testes ad publicam fidem faciendam illius scripturæ; si tu ipse fateris fuisse multos annos post Isaiam; si asseris, quod Deus non præceperit illi, quod tales testes adhiberet? Stat ergo veritas certissima, illa esse verba, quæ à Spiritu sancto audiuit Isaias.

C A P V T Q V I N T V M.

Quanam conuenientia sit inter istam prophetiã Vriæ, & hanc præsentem Isaiæ.

SVpposita allata doctrina Caldæi, & Thalmudistarum de nomine in volumine scribendo, certum est hos duos

impoſita,& prius in membrana ſcripta; *feſtina ſpolium*; portendere aduentum Senacherib, vult dicere Salmanaſar, ad deprædandam omnem facultatem Samariæ,& decem tribuum; ſed redit,quod dicebam, nullã penitus eſſe conuenientiam cum prophetia Micheæ, Vriæ,& Ieremiæ, quæ de excidio domus primæ, & vrbis agit; non de captiuitate decem tribuum, quę euenit anno ſexto regis Ezechiæ, antequam Micheas, & alij duo prophetarunt. Deinde ſubdit R.S. quod alia duo nomina ſcripta,& impoſita puero prophetiſſæ; *Accelera deprædationem*; vaticinatur Nabuchdon. venturum poſt Senacherib, qui ſpoliauit regem Sedechiam,& ſæculum eius, templum primum combuſſit. ciuitatem ſanctam euertit, & omnem tribum Iudam, partim ferro, partim fame necauit,& partim Babyloniam captiuam duxit; Et in hoc eſt vera, & adæquata conuenientia inter prophetiam Iſaiæ,& Vriæ;& ſic Vrias fuit teſtis fidelis huius prophetiæ Iſaiæ in nomine filio prophetiſſæ impoſito; *Accelera deprædationem*; nam Vrias prædixit templi, & ciuitatis deprædationem, & exterminium fiendum à Nabuçdon. hyeroglyficè contentũ in nomine illius infantis, vt docet R.S. Et equidem ita res ſe habet, ſi benè, & attentè conſideretur, quod nomen huius infantis; *feſtina ſpoliũ, accelera prædam, vel deuaſtationem*; prophetice innuebat, ablationem fortitudinis Damaſci, & Syrorum captiuitatem in Cyrenen; tùm Samariæ deprædationem,& decem tribuum in Aſſyriam tranſmigrationem; tùm etiã & potiſſimè templi, & ciuitatis ruinam, & tribus Iuda, in Babyloniam deductionem; itaut ſit germanus ſenſus, & litteralis; *Voca nomen huius filij prophetiſſæ, Accelera ſpolium, feſtina prædã; Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Da-*

masci, & spolia Samariæ. Hoc est, antequam prophetissa concipiat, & pariat filium; antequam nascatur iste puer, volo, & præcipio tibi, vt imponas illi hoc nomen mysticum, & portentosum, & illud scribas litteris clarissimis in magno libro; *Accelera spolium, festina prædã*; cuius interpretatio hæc est; priusquam iste admirabilis puer nascatur, omnia ista euenient; Auferetur à Rege Assyriorum Thiglatphileser fortitudo Damasci; auferetur deinde spolium Samariæ à Rege Assyriorum Salmanefer; Tandem auferetur à rege Assyriorum, & Caldæorum Nabuchdon: spolium Ierusalem, templum primum in cinerem redigetur, ciuitas sancta solo æquabitur, & tribus Iuda captiua in Babyloniam transmigrabit; quæ deprædatio fuit omnium præcedẽtium maxima, & atrocissima; & de qua postea vaticinati sunt, & Micheas, annis post istam prophetiam decem & nouem, ab anno quarto Achaz, vsque ad annum septimum Ezechiæ filij eius, quo cæpit vaticinari; & Vrias sacerdos, qui annis centum & triginta ab anno quarto Achaz, vsque ad annum primum Iheoiachim, quo prophetauit idem quod Micheas, templi videlicet primi Salomonici, & primæ ciuitatis Ierusalem excidium; & in hoc reperitur conuenientia inter mysticum nomen huius pueri filij prophetissæ, & prophetiã Vriç, qui ideò à Deo testatur testis fidelis, huius prophetiæ inclusæ obscuriter in his quatuor verbis; *Accelera spolium, festina prædam*; quia apertè, & dilucidè illam vaticinando declarauit, & confirmauit verbis propheticis Micheæ; *Causa vestri, Sion quasi ager arabitur &c.* Hoc totum non potest negari à RR. cùm sit doctrina Thalmudistarum. Et magni R. S. ex quibus conficitur hoc argumentum, quo euidentissimè probatur, illam prophetissam non fuisse vxorem Isaiæ, vel aliã

maiorem tunc viuentem, & existentem; sed alterã tempore venturo futuram; Ideò filio prophetissæ, Dei iussu, imponitur ab Isaia hoc nomen; *Accelera spolia, festina prædam;* vt tali nomine portendat citò eventurum excidium Regni Syriæ, & regni Samariæ, vt dicit sacer textus; *Quia antequam sciat puer &c.*, & simul regni Iuda; idest domus Dauid, primi templi, & ciuitatis ruinam, vt exponit R. S.; & affirmant Thalmudistæ; immò sacer textus adducens in fidem huius veritatis prophetiam Vriæ sacerdotis, istas punitiones, & maledictiones vaticinãtes; idem penitus testatur; sed dicere, *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam;* est dicere; Anteq̃ concipiatur, & nascatur ex prophetissa iste puer; istæ omnes punitiones debent tempore præcedere; ergo repugnat, quod prophetissa illa, tunc tẽporis anno quarto Achaz extiterit, conceperit, & pepererit filium; cùm ab anno quarto Achaz, vsque ad annum sextum Ezechiæ, quo ablata fuerunt, capta ciuitate Samaria, eius spolia fluxerint anni decem & octo. Cũ ab anno quarto Achaz vsque ad templi primi, & ciuitatis excidium, & captiuitatem Iudæ, transierint anni ferè ducenti; videas lector, quàm benè & rectè hæc omnia conueniant, & ex concessis à RR. probetur veritas huius prophetiæ, quam moderni ignorare volunt, & peruertere.

CAPVT SEXTVM.

Quæ conuenientia sit inter prophetiam Zachariæ, & istam Isaiæ, ut illa sit huius testificatio.

Prophetia Zachariæ, quam adducunt Thalmudistæ in fidem, & testimonium prophetiæ huius Isaiæ reperitur cap. 8.

cap. 8. v. 4. *Hæc dicit Dominus exercituum; adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem; & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ ciuitatis implebuntur infantibus &c.* & ex isto versu volunt etiam simul intelligere totum quod sequitur; vbi maximè aduertendum est duos esse huius capitis sensus litterales; Vnus litteralis, simplex, & historicus, verificandus illis diebus, non multum post ædificationem templi, & ciuitatis Ierusalem; alter sensus quidem litteralis, sed occultus, insinuatus & principaliter intentus, à propheta, vt est mos prophetarum, est de diebus Messiæ; qui dies incipere debebant durante domo illa secunda; & de duobus his sensibus agendum est diligenter.

Quoad primum clarum est, vt docet R. S., & colligitur ex lib. 1. Esdræ c. 5. quod anno secundo Darij histaspis, qui fuit annus tertius decimus post reditum populi à Babylone in Ierusalem; quo tempore, reuocato à Cyro decreto ædificandi domum Domini, cessauerunt ab ædificatione domus; & ciuitas Ierusalem tota diruta, & exterminata erat suis ædificijs, & habitationibus; clarũ est inquam, quod tunc temporis prophetauerunt Aggæus propheta, & Zacharias filius Addo prophetantes ad Iudæos, qui erant in Ierusalem, & Iudea, in nomine Dei Israel, & Zacharias præcipuè prophetauit de reædificando templo Domini, ita loco citato V. primo; quod reperitur Zachariam prophetasse in hoc capite 8. v. 9. *Hæc dicit Dominus exercituum, confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum in die qua fundata est domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur,* vbi RR. illud *confortentur manus vestræ,* exponunt, ad ædificandum, & perficiendum; & ne timeatis à populo terræ, roborate manus vestras, &

& properate vosmetipsos ad ædificandum: ficut scriptũ est in libro Esdræ ita R.S.; ad quod opus aggrediendũ, nempè ędificationis secundi templi, vt promptius, citius & alacrius se accingerent; prę mittit Zacharias, & vaticinatur forè, vt post secundi templi ædificationẽ; *habitet in medio Ierusalem, & Ierusalem vocetur ciuitas veritatis; & mons Domini, mons sanctitatis*; nam in eo viguit iugiter cultus Dei, vera Dei cognitio, fides, & religio; & constanter Synagoga fideliter semper adhęsit Deo suo, & reipsa post reditum à Babylone nunquam ad Idola se conuertit; promittit v. 4. quod reędificata ciuitati, quod postea præstitit Neemias; *habitaturi erant in ea senes, & anus in plateis eius*; idest forè vt Ierusalem abundet ciuibus omnis ætatis, & sexus, pueris, & puellis ludentibus in platęis, qui viuant longo tempore; & ita ad litterã exponunt R.S. & R.D. vti sonat littera; Quod contigisse ędificato secundo templo, & reędificata Ierusalęm, non possunt negare RR. & habetur 2. Mach. 3. 1. Immò cõstat ex textu sequenti 6. *Hec dicit Dominus si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis*; hoc est, quia tempore, quo hęc Zacharia vaticinabatur; & tempore etiã Neemię, quod amplius est, vt legitur l. 2. Esd. c. 7. 4. *Ciuitas erat lata nimis & grandis; & populus paruus in medio eius; & non erant domus ædificatæ*; & sic posteris illorum, quibus hęc prædicebantur, poterat hoc videri mirabile, difficile, & vix possibile; quod scilicet propter paucitatem populi, Ierusalem in posterum non posset populari, & forè felicem, ut abundet ciuibus, pueris, & puellis, qui prorogent vitam in senectam, & seniũ; ideò subdit, & respondit Deus; *Nunquid in oculis meis difficile erit dicit Dominus*? quasi dicat; Ego cui nihil est difficile, populabo ciuitatem istam; & subdit modum

 po-

nam cùm ex contextu clarissimè constet, quod Deus loquitur illis, qui reuersi è Babylone tunc erant in Iudæa, & Ierusalem, quibus dicit; *Sicut eratis*; idest vos, quibus nunc existentibus loquor, maledictio ingentibus, hoc est in Caldæa, Persia, Media, & in cæteris mundi partibus dispersi, & vobis loquor modo dicens; *confortentur manus vestræ*; hos omnes reuersos ex captiuitate Babylonica vocat; *Domum Iuda, & domum Israel*; quia multi ex Israelitis, qui captiui erant in Media, & Perside, & per omnia regna Cyri, virtute illius generalissimi ædicti, transierũt ad Iudeam, & cum eo redierunt in Iudæam, & Ierusalem, atque in vnam gentem coaluerunt; hoc alibi multis probo argumentis, nunc sufficiat scire, quod in primo, & secũdo libro Esdræ populus qui de Babylonia reuersus fuit in Iudam, & Ierusalem ferè semper vocatur populus Israel c. 2. 1. recensentur omnes; *Numerus virorum populi Israel*; non dicit, *Iuda*, nu. 59. *Et hi qui ascenderunt de Thelmalah &c. non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen; Vtrum ex Israel essent*; non dicit ex *Iuda*, nu. 70. *habitauerunt vniuersus Israel in ciuitatibus suis*; non dicit, *Vniuersus Iuda*; sed Israel; quo nomine cùm debeant intelligi duodecim tribus; & certissimum sit tribum Iuda, & Beniamin redijsse ad terram Iuda; ergo etiam clarum est cum hac tribu simul multos ex decem Israel associatos fuisse in reditu ad Ierusalem; ergo cùm hoc loco loquatur cum reuersis à captiuitate Babylonica, & nomine domus Iuda, & domus Israel eos compellet, euidens est, etiam ex decẽ tribubus Israel multos redijsse ad Ierusalem; Tandem cõfirmatur ex versu 14. & 15. *Quia hæc dicit Dominus exercituum; Sicut cogitaui vt affligerem vos*; equidem in captiuitate Babylonica; *cùm ad iracundiam prouocassent patres ve-*

Oliuetani. H *stri*

ſtri me;idola colendo,templum ſępè prophanando,Prophetas occidendo, ſanguinem innoxium effundendo; *Sic conuerſus ſum in diebus iſtis*;ergò illo tempore eodẽ & uon poſt duo millia annorum; *Vt benefaciam domui Iuda,& Ieruſalem*; nunc modò prædicta beneficia illis conferendo;dummodo, *loquamini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo*;R.D.ſic exponit;*Confortate manus veſtras in tempore iſto,propter conſolationes bonas, quas auditis,quod tempore futuro venient Iſraeli.* Hæc ille; Vult dicere, Accingimini, & roborate manus veſtras ad ædificandam,& perficiendam domum iſtam ſecundã, quia vobis vaticinatus ſum conſolationes optimas, quas adducet Rex Meſſias in diebus ſuis; quod nempè, *Adhuc habitabunt ſenes, & anus in plateis Ieruſalem*; & quæ ſequuntur; quę expoſitio inconueniens, & violenta eſt; quomodò .n. poterat Propheta hortari Iudęos ad ſtrenuè proſequendam inchoatam ſecundi templi fabricã, promittendo eis, vel poſteris ſuis, bona, & conſolationes,quibus frui nullus poterat ex illis toto tempore,quò ſtetit domus ſecunda?immò hac deſtructa, nec per duo millia annorum, ſed in fine mundi, illę vltimę reliquię Iſraelis tandem per aduentum ſui Meſſię adepturę erãt Quia potius,hoc erat illorũ animos relaxare, & penitus amouere à proſequutione ædificationis ſecundi templi; nam hac loquendi forma illis inſinuabat Propheta,illius ſecundę domus ruinam,& excidium per Romanos;cùm expectent RR. ſuum Meſſiam,qui in fine mundi veniat, & tertiũ templum materiale ædificet, & nouam Ieruſalem;& tunc temporis adimplebuntur, & eueniãt omnia bona, & conſolationes, quas Zacharias in hoc capite vaticinatus eſt. Audiant veritatem perfidi RR. Quò ad ſenſum primum litteralem,ſimplicem,hiſtoricum,vt lit-

tera sonat, loquitur Propheta de bonis, quibus frui debebant post ædificationem templi, & ciuitatis, tùm illi ad quos loquebatur, tùm reliquiæ, & posteri eorum durāte domo secunda, vt probatum manet; Verum etiam est quò ad sensum litteralem, secretiorem, & principaliorē, ad quē vnicè intendebat Zacharias, hoc capite, & alibi sæpè, quod loquebatur de magnis consolationibus, quas adducturus erat Rex Messias in suo aduentu, quod ipsi vltrò confitentur, durante ipsa eadem domo secunda, quod perfidè negant; quarum promissione vnicè excitabat Iudæos, vt incæptam domum secundam ædificarent, & perficerent, alacriter, & celeriter, certi, & securi hac promissione, quod reliquię, hoc est posteri illius populi Israelitici, tunc recenter reuersi à captiuitate Babylonica, durante illa domo secunda, quam cæperant ædificare, essent visuri, & fruendi illis bonis, & magnis consolationibus, quæ Rex Messias suo aduentu erat allaturus; nec certè alius sensus, & mens potest esse Prophetæ, vt patebit magis ex dicendis.

Verùm persistendo modò in primo sensu; si quæramus quænam sit conuenientia inter istam Zachariæ prophetiam sic litteraliter intellectam; & istam Isaiæ de partu, & cōceptu filij prophetissæ, & nomine eius, itaut illa Zachariæ, quæ fuit 250. annis post istam Isaiæ, tunc fuerit istius testis, & stabilitas, profectò nulla alia cōuenientia imaginari potest, nisi quam assignant RR. inter ipsasmet duas prophetias Vriæ sacerdotis, & Zachariæ filij Barachiæ, quod nempè si illa Vriæ adimplebitur, ita ista Zachariæ stabilietur; idest, si videris templum primum Salomonicum exustum, & ciuitatem dirutam, quæ est punitio, quam vaticinati sunt Micheas, & Vrias sacerdos; ita adimplebitur prophetia Zachariæ; idest reædificabitur

tur templum secundum, & ciuitas Ierusalem; *& in ea habitabunt senes, & anus in plateis*; quæ omnia vaticinatur Zacharias; ita inquam talis conuenientia, in sensu prædicto, erit prophetiæ Zachariæ cum prophetia ista Isaiæ, si videris adimpletam prophetiam Zachariæ, templum secundum reædificatum, & ciuitatem; & in plateis eius habitantes senes, & anus multorum dierũ, & pueros & puellas saltantes, & ludentes; quæ sunt consolationes quas vaticinatur Zacharias; Tunc certus eris, quod adimplebitur ista prophetia Isaiæ; quod Deus accedet ad prophetissam, quæ concipiet virtute diuina, & pariet filium, cuius nomen, à Deo per Isaiam prædictum erit; *Accelera spolium, festina prædam*; ex quo sensu colligitur, quod prophetia Zachariæ prius adimplenda erat, sicuti & prophetia Vriæ, antequam adimpleretur prophetia Isaiæ; prius primum templum, & ciuitatem Ierusalem euertendam fore, & Iudæos captiuandos; quod prædixit Vrias sacerdos; & in illo nomine pueri quatuor dictionum obscurè inuoluebatur; deinde secũdum templum, & ciuitatem Ierusalem reædificandam, & ciuibus populandam; quod vaticinatus est Zacharias filius Barachiæ; & postea stante eodem templo secundo adimplenda erat ista prophetia Isaiæ; *Et accessum ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium*; qui est Rex Messias.

Quò ad secundum sensum huius prophetiæ litteralem, & allegoricum per citatos Thalmudistas, Caldæũ, & RR. est de aduentu Regis Messiæ; quem sensum maximè intendit Zacharias propheta; est enim frequens prophetarum vsus, vel sub cortice litteralis historiæ alicuius facti innuere, veluti sub figura, & typo, potissimè figuratum, & antitypum; nempè aduentum Regis Mes-

siæ,& eius beneficia optima;vel loquendo de alijs interferere pertinentia ad dies Messiæ; vti facit hoc loco Zacharias propheta. Pro cuius pleniori cognitione, notandum est, quod paraphrastes Caldæus,explicans quo modo,& quo sensu Deus adducturus sit in testem fidelẽ huius prophetiæ Isaiæ,prophetam Zachariam, non assignat aliquam illius particularem prophetiam,vt faciunt Thalmudistæ,sed dicit;*Et ecce veniet pariter omnis consolatio,quam dixi uenturam in prophetia Zachariæ filij Barachiæ,ego in futurum adducam*. Quæro à Iudæis,quænam est ista omnis consolatio? certè nonnisi aduentus Mesiæ,de quo non semel & vno loco,sed sæpius apertè vaticinatur Zacharias cap. 6. 12. sub persona ducis Zorobabelis;*Ecce vir oriens nomen eius;* Mesiam Regem potissimè cognoscunt Cald. Thalmud. & R.S. cap. 9. 9. *Exulta satis filia Syon,iubila filia Ierusalem;Ecce Rex tuus;* Mesiam regem iustum saluatorem, & pauperem depingere omnes RR. attestantur; Hæc est omnis consolatio,idest totalis,& perfectissima;nempè rex Mesias redemptor, qui ideò à RR. inter alia nomina, hoc nomine Consolator מנחם *Menachem* appellatur; hæc inquam omnis consolatio,de qua sępius Zacharias vaticinatus est, est ille testis fidelis, qui à Deo adducitur in testem certissimũ huius prophetiæ Isaię, adimplendę suo tempore,quę est ista,immediatè sequens;*Et accedam ad prophetissam,& concipiet,& pariet filium*;ita R.Ionathã. Verùm citati Thalmudistę,pro tali teste fideli adducunt allatã particularẽ prophetiã,cap. 8. v. 4. *Adhuc habitabunt senes &c.* vbi R.D.& Thalmud. glossa ita se habet; *Ista est expositio; Consolatio futura in diebus Messie*;& dũ Propheta p̃mittit hęc verba,כה אמר יהוה *choamar Ihehouah hæc dicit Dominus*; ita exponit; *super omnem consolationẽ*

dicit

dicit; *Hæc dicit Dominus*; confirmãdo illam consolationẽ, *quoniam omninò erit reuersio*; idest totius Israel ad Ierusalem ab ista captiuitate, quã adhuc expectant fiendam à suo venturo Messia in fine mundi, quod confirmant R.D. ex textu 7. *Ecce ego saluabo populum de terra orientis, & de terra occasus solis*; dicens, ista est reuersio cõpleta ab oriente vsque ad occidentem; quia Israel dispersi sunt in omni loco. Quare admittunt omnes hebr. Doctores, quod testis fidelis, quem adducit Deus in prophetia Zachariç ad confirmandam fidem huius prophetiç Isaiç, sit omnis consolatio, idest aduentus regis Messię, ipsemet Messias.

Nunc quçrendum est, qua ratione hçc prophetia Zachariç de aduẽtu Messiæ sit testis fidelis, huius prophetiæ Isaiæ de accessu Spiritus sancti ad prophetissam, & eius conceptu, & partu, & filio eius vocãdo quatuor illis litteris; *Accelera spolium, festina prædam*; Si benè consideretur traditio illorum quattuor RR. qui docent conuenientiã inter prophetiam Vriæ sacerdotis, & Zachariæ filij Barachiæ prophetiã, eam esse respectu adimpletionis; ita ut sit sensus, si videritis adimpleri prophetiam Vriæ, quæ est maledictionum; nempè templum primum Salomonicum combustum, & ciuitatem Ierusalem deuastatam per Caldæos, & Babylonios; necessariò sequitur, quod pari ratione adimpleatur, & verificetur prophetia Zachariæ, quæ est omnis consolationis, putà de aduentu Messiæ. Hinc colligetur, conuenientiam inter duas istas prophetias, prout sunt testes huius Isaiæ, & inter hanc ipsammet Isaiæ, reperiri eadem ratione prout istis adimpletis, & terminatis, ista Isaiæ certissimè eueniet, adimplebitur, & stabilietur; quç conuenientia quod parum præstare posset ad hoc, quod hi duo prophetæ suis vati-

cinijs

cinijs nō testes fideles huius propheti Isaię, statim ostēdā; immò requiri quid amplius, & solidius. Nunc obiter ostendamus, quomodo illi quatuor RR. se decipiant, & ipsis inuitis veritatem prodant. Certum est hos RR. fuisse post deuastationem templi secundi, & ciuitatis Ierusalem per Romanos, qui RR. videntes montem Syon sicut agrem arari, & quæ erat domus Dei, foueam vulpium; hac consequentia inaniter se se cōsolabuntur; Videmus adimpletam prophetiam Vriæ, quæ est maledictionum, nempè templi ruinam; ergo certissimè adimplebitur prophetia Zachariæ, quę est cōsolationum, nempè de aduentu Regis Messiæ, qui ędificabit templum, & ciuitatem, *in cuius medio habitabunt senes, & vetulæ*; In qua consequentia nolunt miseri Iudęi cognoscere suum errorem, & veritatem simul; falsa est enim, & inanis illa consequentia; Nam Vrias sacerdos, non prophetauit de excidio ciuitatis Ierusalem, & domus Dei secundę ędificatę à Zerobabel, & Neemia; & destructę à Romanis per Titum; sed vaticinatur de prima domo fundata à Rege Salomone, & prima ciuitate Syon fundata à patre eius rege Dauid; eadem enim est prophetia Vrię, quę & Ieremię, & Micheę, vt patet; At verò domus, quam dirutam viderūt illi quatuor RR. & Sanctum sanctorum foueam vulpium; fuit domus secunda, templum secundum ędificatū à Zerobabel, & à Romanis destructum; vnde nulla est consequentia, quam faciunt RR. pascentes se hac spe inani; Videmus adimpletā prophetiā Vriæ, ergò adimplebitur prophetia Zachariæ; templum, & ciuitas reædificabitur tertia vice in aduentu Regis Messiæ falsa est consequentia; Nàm Vrias vaticinatus est destructionem primi templi Salomonici, & non secundi Zerobabelis, & captiuitatem Babilonicam, non Romanam; &

Zacharias prophetauit ędificationem templi secundi, & ciuitatis nouæ secundæ per Neemiam, non tẽpli tertij; & de reditu à captiuitate Babilonica, non Romana; vt ex primo sensu simplici, litterali, & historico liquet; sicut eodẽ penitus sensu simplici, & historico liquet, & intelligendus est Vrias sacerdos; & sic optimè quis concluderet, videns primam domum dirutam, & foueam Vulpiũ per Caldæos, diceret adimpleta est prophetia Vriæ; ergo adimplebitur & illa Zachariæ, quod secunda domus, & ciuitas reædificabitur, & populabitur; & tunc stante eadem domo secunda, veniet Messias.

Verùm concesso sensu litterali, & principaliter intento in prophetia Zachariæ adducta de aduentu Regis Messiæ, optima est consequentia ista. Video adimpletam prophetiam Vrię sacerdotis, templum primum dirutum, & ciuitatem sanctam euersam; ergo adimplebitur prophetia Zachariæ, quæ est omnis consolatio, idest aduentus Messiæ, stante domo secunda, & ciuitate secunda reædificata; & non post domum secundam, & ciuitatem exterminatam per Romanos; ad quam nõ respexit, neque intendit prophetia Vrię; ex quo desumitur huius veritatis probatio; Nam stabilitas, & adimpletio certa, & infallibilis prophetię Zacharię dependet per RR. ex adimpletione prophetię Vrię; hęc successit effectiuè in deuastatione primę domus, & ciuitatis, & transmigratione tribus Iuda in Babyloniam, ergo illa Zacharię, quę est aduentus regis Messię debuit impleri, & euenire effectiuè post reuersionẽ Iudęorũ à captiuitate Babyionica in Iudęam; & tempore quo secunda domus, & ciuitas Ierusalem reędificatę; per quadringentos, & viginti annos steterunt; iterum confirmatur, & declaratur. Nam templum, & Sanctum sanctorum dirutũ, ex quo illi RR,

viderunt vulpes egredientes, non erat domus prima Salomonica, de cuius euersione tantùm vaticinatus est Vrias, sed erat domus secūda Zorobabelis euersa à Romanis, de cuius euersione nihil omninò prædixit Vrias; ergo prophetia Zachariæ nullam habet dependentiam in adimpletione suæ propheticę de aduentu Messię post euersionem domus secundæ, sed tantùm post euersionē domus primę, de qua solùm prophetauit Vrias, & cui effectiuæ adimpletioni annexa est necessariò adimpletio prophetiæ Zachariæ de aduentu Messiæ; Quare euidenter sequitur probatū q; dicebamus, nēpè adimpletionē istam Zachariæ de aduentu Messiæ debuisse euenire, stante domo secunda, & ciuitate Ierusalem reædificata; & nō post illius euersionem, veluti iniquè tenent omnes perfidi, & perditi Iudæi. Hæc est illa fouea, quam sibi, & omnibus Iudæis foderūt Thalmudistæ, in quā seipsos, & omne genus eorum, sese præcipitant, in æternū damnati.

Nunc redeamus ad rem nostram, de conuenientia istorum duorum prophetarum cum Isaia; quomodo illorū prædictæ prophetiæ adducantur à Deo vt sint testes, & contestes fideles, & stabiliant, & ratificent veritatem, & euentum futurum infallibiliter huius prophetiæ Isaiæ; Asserere cum RR. hanc esse conuenientiam, quam diximus, quod sicut illæ duæ prophetiæ infallibiliter adimplebuntur, ita etiam ista Isaiæ, de nomine illo, filio prophetissæ imponendo, & de accessu Spiritus sancti ad illam, & conceptu, & partu, adimplebitur; non sufficit, inquam, ista cōuenientia; nam indifferenter poterat Deus adducere in testimonium huius prophetiæ, quemcumq; alium prophetam, tempore posteriorem illo; puta Ieremiam, Ezechielem, Aggæum, Malachiam, sicuti & illorū

prophetias varias; nam currit eadem ratio, si hæc stabilientur; quia sunt verba Dei; ergo & ista Isaiæ stabilientur, quod nõ conuenit, vt modò ostendam; sed hoc concesso, efficax deducitur argumentum contra RR. falsam opinionem, hanc prophetissam fuisse vxorem Isaiæ; Testis qui adducitur in testimonium, vt aliqua res promissa verificetur, stabiliatur, & effectiuè exhibeatur, debet prius existere in esse reali, antequam res, de qua promittitur, quod fiet, facta sit, & adimpleta; sed Deus adducit prophetias horum duorum testium fidelium, in testimonium adimpletionis huius prophetiæ Isaiæ; ergò prius tempore debent fieri, & adimpleri illæ duæ prophetiæ Vriæ, & Zachariæ, quam adimpleatur prophetia Isaiæ de ista prophetissa, & eius conceptu, partu, & filio, & nomine eius. Consequentia deducitur ex doctrina RR. qui docent prophetiam Vriæ esse סימן *Siman* signũ, & testimonium עדות *nghbeduth* prophetiæ Zachariæ, testificans, & verificans, quod ipsa adimpleta de euersione primi templi, & ciuitatis, infallibiliter adimplebitur prophetia Zachariæ de aduentu Messiæ; ergò à simili, cùm Deus adducat prædictas ambas prophetias, vt sint signa testimonia certificantia, & testificantiam hanc Isaiæ prophetiã foreadimplendam; ergo prius tempore istę duæ prophetiæ debent effectiuè adimpleri, quam ista Isaiæ adimpleatur. Confirmatur; dixit R. Achiua, dubius fui, & pauens, an fortè adimpleretur prophetia Zachariæ, vsque dũ adimpleta fuit prophetia Vriæ; & ex eo quòd istam Vriæ adimpletam vidi, templum nempè primum euersum, certus fui quod adimplebitur illa Zachariæ de ædificatione domus secundæ, & aduentu Messiæ. Ergo pari necessitate currit consequentia. Donec videam adimpletas illas duas prophetias, ero dubius, an ista

Isa-

Isaiæ adimpleatur; & istis adimpletis, certus sum, quod ista adimplebitur; nã illę duę sunt testes fideles in illorũ adimpletione, stabilimenti, & adimpletionis istius Isaiæ de conceptu, partu, & filio prophetissæ, & nomine illi imponendo. Sed istæ duæ prophetiæ, illa Vriæ adimpleta fuit annis 130., & illa Zachariæ annis 250. post istam prophetiam Isaiæ, ergò per doctrinam Thalmudistarum, impossibile est, illam prophetissam, tunc temporis fuisse vxorem Isaiæ, & eius filium, filium Isaiæ; sed postea; post, inquam adimpletionem vaticinij Vriæ, nẽpè templi primi ruinam; & post adimpletionem vaticinij Zachariæ, idest templi secũdi, & ciuitatis ædificia noua; futuram, & venturam stante templo secundo; immò secundùm RR. qui negant prophetiam Zacharię nundùm esse stabilitam, quia nondum venit suus Mesias, coguntur fateri, etiam hanc Isaiæ non esse adimpletam.

Dicamus ergo secundùm veritatem. Non solùm hi duo locupletissimi testes adimpletione suorum vaticiniorũ testabantur, certissimè adimplendam hanc Isaiæ præsentem prophetiam; nempè multo tempore post annum quartum Achaz, quo facta fuit; sed quid amplius, & altius testantur suis prophetijs, nempè quęnam sint res, subiecta, arcana, & mysteria, quæ Deus in ista Isaiæ prophetia promittit tempore futuro operari. Prophetia Zachariæ, quæ est principalis agit de aduentu Mesiæ, quę est omnis, & totalis consolatio, & docent RR. dum in fine traditionis dicunt, consoletur nos Deus; *in pedibus euangelizantis salutem*; nempè Mesiam, vt supra probatum fuit. Ergo ista tota prophesia Isaiæ est de Rege Mesia, & eius heroicis operationibus. Probatur primò; si ita non est, ergo frustra adducitur à Deo Zacharias, & inter multas illius prophetias hæc vnica de ad-

uentu Messiæ Regis;nam,vt diximus,quælibet aiia quæcumque,& cuiuscumque prophetæ, nondum reuelata, adhuc futura, & adimplenda,poterat adduci in testem fidelem infallibilis adimpletionis istius Isaiæ; Ad quid adducere in testimonium consolationes, quæ ab hinc ducêtis annis erant reuelandæ à Spiritu sancto huic prophetæ Zachariç, quæ sunt de aduentu Regis Messiæ;adimplendæ postea,ab hoc oraculo Zachariæ, annis quadringentis trãnsactis; & iam secundùm veritatem mille & sexcentis annis stabilitæ, & adimpletæ; nempe iam transactus aduentus Regis Messiæ, iam ædificata noua Ierusalem spiritualis,quæ est Ecclesia, & ad eam omniũ gentium vocatio, & adunatio;iam templum ex viuis lapidibus cõstructum,qui sunt credentes;hic enim est sensus; *Adhuc habitabunt senes & vetulæ in plateis Ierusalem*; (quem sensum vide infra par. 2. capite secundo) Ad quid inquam has consolationes adducit Deus in testimonium fidele huius præsentis Isaiæ prophetiæ; si in ea non est vaticinium Regis Messiæ?si iste filius prophetissæ,qui & Emmanuel,cuius est illud aliud nomen quatuor dictionum, non est Rex Messias? qui venturus erat celer spoliator, & deprędator animarum de manu, & potestate dęmonum,vt suo loco probabitur; Certè hæc conuenientia, & vniformitas inter prophetiã Zachariç, & istam Isaiç,nõ video à quo possit negari,nisi à perfido Iudęo. Secundò probatur, si conuenientia inter prophetiam Vriç, de euersione templi primi, & deprędatione,& ruina ciuitatis Ierusalem per Regem Nabucdonosor est res, subiectum, & materia, quæ continetur obscurè in duabus vltimis dictionibus nominis filij prophetissæ, putà; *accelera prædam*; Cur non erit eadem conuenientia etiam inter prophetiam Zachariæ, quæ est

est de omni consolatione, putà regis Messiæ aduentu; & inter istam Isaiæ prophetiam; ità vt eadem sit res, subiectum, & materia, de qua agitur in hac Isaiæ prophetia, nempè de persona, conceptu, natiuitate, & mystico nomine Regis Messiæ? Non enim videtur maior ratio; cùm ambæ istæ prophetiæ adducantur vt testes fideles, huius prophetiæ Isaiæ; Nàm si prima Vriæ est testis fidelis, quia post annos centum, & triginta vaticinatus est aperte partem huius præsentis prophetiæ, duas, nempè vltimas dictiones illius nominis; *Accelera prædam*; & quasi statim adimpleta, & stabilita fuit. Ergo pariter dicendum est idem de ista prophetia Zachariæ; Sed ista agit de omni, & perfecta consolatione, idest de Rege Messia, ergo subiectum, & principale negotium, in hac præsenti Isaiæ prophetia erit Rex Messias; Et sic illa prophetissa, quæ & העלמה *ngealmah*, virgo, quàm in visione prophetica vidit Isaias, erit Augustissima Regis Messiæ mater, & virgo simùl. Hæc, per accessum ad illam Spiritus sancti, illius infinita virtute obumbrata, & superplena, virgo concepit, & virgo peperit filium Emmanuel hominem, & deum; qui à Deo vocatur illis quatuor mysticis nominibus; *Festina spolium*; *Accelera prædam*. Qui est Rex Messias saluator animarum. De quo subiecto Parte secunda infrà agemus.

VER-

VERSVS SECVNDVS.

Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.

Observationes litterales.

ET accessi; ואקרב *Vaecbrau*; quamuis sit preteritũ grammaticè, tamen quoad sensum debet exponi per tẽpus futurum; *Et accedam*; vt infra probabitur; Radix קרב *charau*; accedere vario modo vsurpatur; habere rem cũ muliere, Leuit. 18. 14. *Ad vxorem eius ne accedas*; sepissimè pro accessu mentali, spirituali, & diuino ps. 145. 18. *prope est Dominus* קרוב ה׳ *charou adonai*; *accedens Dominus omnibus &c.* 3. Reg. 8. 59. *Appropinquantes Domino Deo nostro* קרובים *cherouim*; Hinc accedere Sacerdotes, vt ministrent Deo, Zach. 44. 15. *Ipsi accedant ad me, vt ministrent mihi*.

Ad prophetissam נבא *Nibba*; propriè significat predicere, vaticinari rem aliquam futuram antequam fiat, diebus, vel annis; & semper reperitur in significatione passiua; quia hoc munus prophetie infunditur à Spiritu sancto. Aliàs diuersimodè usurpatur. Qui laudibus celebrant Deum, 1. Reg. 19. *Cætus* הנביאים הנבאים *hanneuiim, hannibbaim*; *prophetarum prophetantiũ*; idest; *celebrantium Deum*; משבחים *mesciabbechim*. Cald. Qui docent, Ierem. 29. *Excitauit nobis Dominus prophetas*; Cald. מאלפין *mallephin*; doctores. Discipuli prophetarum, scribe, sapientes, 1. Reg. 10. *Occurret cætui prophetarum*; Cald. ספראיא *saphraia*; *scribarũ*; Sumitur pro falsis prophetis; at nullibi reperitur, quod dicatur de vxore alicuius prophete, itaut vocetur prophetissa hac ratione,

quia

quia sit vxor prophetę, nisi hoc loco, vbi nomine prophetissę; *Et accessi* אל הנביאה *ad prophetissam*; intelligūt Iudæi iuniores, & aliqui ex nostris; sed perperàm, & erroneè, vxorem Isaiæ prophetę.

CAPVT PRIMVM.

Quænam fuerit ista prophetissa; An vxor Isaiæ, an alia.

OMnes RR. certissimè tenent, excepto R.D., quę & vocatur העלמה *hang almah*; illa virgo, sit eadem, quę vocatur hoc cap. 8. הנביאה *hanneuiah*; *Illa prophetissa*; Verùm quod fuerit vxor Isaiæ prophetę, ad quam accesserit illam maritaliter cognoscendo, ex cuius congressu conceperit, & pepererit filiū, cui Isaias pater, iussu Dei, imposuerit prædictum nomen; Asserunt R.S. & iuniores Iudæi. Quę opinio mirum profectò, quòd tam arriserit quibusdam ex nostris nimium addictis, et Iudaizantibus, cum iunioribus Iudæis, quales fuerunt Vatab. For. Clar. Didacus Aluarez; & præcipuè Gaspar Sanctius. Cùm certè ex aduerso Burgen. oppositam sententiam de rege Messia, vocet glossam communem; & Lyranus asserat non solùm conformem, ad orthodoxam Patrum expositionem; sed etiam ad antiquorum RR. traditionem; Et doctissimus Cornelius à Lapide, & cæteri moderni vocent superiorem opinionem, iudaicam, spuriam, & Caluinianam. Et prima ratio, quæ probat contra R. S. istam prophetissam non potuisse esse vxorem Isaiæ, est ista: Si ita est, certè ista prophetissa erit illa, quæ fuit mater alterius filij Isaiæ vocatus c. 7. שאר ישוב *scear iascuu*; reliquiæ conuertentur; sed talis nequiuit esse; ergo

ista

ista prophetissa non fuit vxor Isaiæ. Minor probatur. Cùm ; *hangalmah* ; sit puella paucorum annorũ ad plus quatuordecim annorũ, imò per aliquos RR. non apta ad generandum ; talis non poterat esse vxor Isaiæ ; nàm quando Isaias iussu Dei egressus est in occursum Achaz cum hoc filio suo, vt habetur cap. 7. num. 3. Certè hic erat saltem octo annorum, & mater eius saltem vigintiduorum annorum; & sic non erat puella parua in annis; vt omnes dicunt : quod argumentum valet contra illos Iudæos, qui dicunt, quem Deus vocat filium Isaiæ: *& qui derelictus est Iasub filius tuus*, esse verum & naturalem filium Isaiæ ex sua vxore generatum : quod non asserit R.S. Prædicto argumento vtitur R.D. vt probet hanc; *hangalmah*, non fuisse vxorem Achaz matrem, Ezechiæ qui cùm, tũc anno quarto Regis Achaz, fuisset annorum tresdecim ; mater illius erat annorum saltem viginti septem; ergò dicit R.D. non poterat mater Ezechiæ esse hæc ; *hangalmah*; quæ significat puellam paucorum annorum. Dicet aliquis Iudæus hanc puellam paruam esse aliam à prima vxore, quàm, ista iam defuncta, duxerat in vxorem ; sed hoc insulsè, & diuinando dicitur ; & vt supra ostendimus tenebatur propheta in re tanti mométi aliqua ratione indiuiduari hanc ; *hangalmah*; quænam persona esset in indiuiduo, dicendo; Ecce *hangalmah*; vxor mea, siue prophetissa ; quàm nuper in vxorẽ duxi; Neque valet dicere, quod propheta Isaias, dùm hoc capite dicit : *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit*, satis superque ostendisse, & indiuiduasse illam *hangalmah*, fuisse vxorem suam, nihil inquam valet. Nam illa verba ; *& accessi ad prophetissam*, falsum est esse Isaiæ prophetæ. Sed sunt Dei S.B. siuè Spiritus sancti, vt modò pluribus ostendemus. Secunda ratio est;

Hæc

Hæc omnia facta sunt tantū in visione prophetica; ergo non fuit hæc prophetissa, neque hic accessus nisi imaginarius. Dicere post visionem, prophetam accessisse ad vxorem, est voluntarium cùm non acceperit à Deo præceptum eorū sicut accepit de scribendo super volumen, Tùm quia nō legimus hoc opere mādasse; neq; amplius nullibi huius filij fit mentio. Ergo omnia fuerūt, tantùm, in visione imaginaria.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur euidentissimè grammaticaliter & litteraliter verba ista: ואקרב אל הנביאה ותהר ותלד בן *Vaechrau el hanneuiah; Vathabar, Vatheled ben:* Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium: *Non esse Isaiæ prophetæ, sed Spiritus sancti loquẽtis ad illum in visione prophetica.*

P. Gabriel Vasquez modernus quidem, sed perdoctus nostri Isaiæ commentator incidens in verba prædicta: *Et accessi;* fol. 445., & videns omnes Patres veteres illa exponere de persona Spiritus sancti vnanimi consensu; ita scribit: Et ut verum confitear ingenuè; & si cuperem posteriorem de Spiritu sancto sequi, eo quod cum Euangelio consentiat; & conceptio virginis integerrimæ satis appositè proponatur; sed ab ipso orationis cōtextu prohibeor; qui non patitur hoc verbum; *Accessi;* alij attribui quā Isaiæ. sic .n. legitur; *Et adhibui mihi testes fideles etc.* & *Accessi ad prophetissam &c. Et dixit Dominus ad me. Voca &c.* Itaque filum ipsum dictionis postulat; & particula, *Et*, quæ est copulatiua, vt hæc duo verba; *Et adhibui; Et accessi;* sint eiusdē personæ, nimirum ipsius vatis.

Nam etsi aliquando sit in vatibus sub ita mutatio personarum; non tamen ita, vt connexio pereat, & consequutio. Pariter enim si hæc verba; *Accessi ad prophetissam* essent Dei verba, cùm præcesserit immediatè vatis oratio, & sermo; *& adhibui mihi &c.* & sequatur; *Et dixit Dominus ad me. Voca &c.* quæ introductio Dei loquētis indicat aperrè antea nō loquutum fuisse Deum. hęc ille.

Equidem si suppositum est verum, hæc verba; *Et adhibui mihi testes fideles*; non posse alij attribui quam Isaiæ; necessariò sequitur verba sequentia; *Et accessi ad prophetissam*; non posse conuenire nisi Isaiæ. Verùm si suppositum non est verum; nempè hæc verba; *Et adhibui mihi testes fideles*; esse verba prophetæ; sed esse verba Dei loquentis ad Isaiam; Dei, inquam, qui in principio capitis dixit; *Et dixit Dominus ad me; sume tibi librum grandem*; qui Deus continuans suum sermonem cum Isaia subiungat immediatè; *Et adhibui mihi &c.* necessariò sequitur, & requirit contextus sermonis; quod verba, quæ sequuntur; *Et accessi ad prophetissam*; sint eiusdemmet Dei continuantis suum sermonem cum propheta in illa visione imaginaria. Quod si ostensum fuerit, non dubito, quin omnes ex nostris contrarium sentientibus, relicta falsa, & Rabbinica, & noua illa opinione, libentissimè amplectentur ipsi, & omnes Doctores Catholici, & in posterum, tueantur hanc veritatem, quam omnes Patres orthodoxi docuerūt à principio nascentis Ecclesiæ; & certè per traditionem Apostolicā, instructi illi Patres de hoc huius prophetiæ litterali, & admirabili sensu, & mysterio; siquidem his verbis reuelat Deus modum sublimissimum, & supernaturalem, quo, *hangalmah*, illa Virgo, & virgo concipiet, & virgo pariet filium; nempè per accessum ad eam Spiritus sancti, illam obumbrantis,

& fęcundantis virginissimè, & sanctissimè; Quod, suffultus auxilio, & spiritu huius eximię prophetissæ, explicare pro mea virili conabor.

Not, primò, Omnes Grammatici, inter quos pręcipuè R.D. in lib. radicum, & R. Elias in lib. Habbachur orat. 1. fundamento 4. docent litterã וו *Vau*, *&*; tria habere offitia. Primum, quod sit principium verborum, siue sermonis; & hanc esse consuetudinem linguæ sanctæ, initio sermonis adhibere *Vau*, *&*; nõ vt sententiã vnam alteri coniugat; sed vt inchoet tantùm, & vocatur *Vau*, *&*, *inceptiuũ sermonis*; וו תחלת הדברים *Vau thechillath haddeuarim*; & ita inuenies ab hac littera multos libros sacros incipere, Exod. Leuit. Iosue &c. & frequentissimum est historicas narrationes incipere à *Vau*; &; ויהי *Vaihi*; *Et factum est*. Secundum munus est, quod cõiungat, & copulet; & hoc illi propriũ; & vocãt וו חבור *vau chibbur*; *Vau copulatiuũ*. Tertium munus, ꝙ in verbis præter copulam, variet, & commutet significationes temporum, futuri in præteritum, & præteriti in futurũ; & dicitur וו הפוך *Vau hippuch*; *Vau conuersiuum*; exemplum commutationis futuri in pręteritum adducitur ab Elias Isa. 6. *Et vidi Dominum*; ואראה את־י״י *Vaereh adonai*; Verbum ex se exfuturum; sed vau cametzatum mutat in præteritum; *& vidi*; Exemplum commutationis pręteriti in futurum, Exod. 12. 23. *Et trãsibit Dominus percutiens Ægyptũ*; ועבר י״י *Venghauar adonai*; *ngauar*, est præteritum; sed, *vau*, sceuatum, *ve*, conuertit illud in futurum; *& transibit Dominus*; & sic multa similia, in quibus, *vau*, *&*, est coniunctiuum simul, & conuersiuum; si quæras, quomodo cognoscã, quando, *vau*, *&*, est coniunctiuum tantùm, & quando simul conuersiuum. Resp. R. Elias; quando præcedit aliud præteritum, siue absolutum, vt Isaiæ 41. 4. *Quis operatus est?*

ויעש *mi pangal*; præteritũ absolutum; *Et fecit*; ויעש *Venghasah*; *Vau* sceuatum, ו *ve*, non conuertit, עשה *nghasah*, *fecit*, in futurum; sed tantùm vnit præterito absoluto præcedenti; *operatus est*; & legitur pariter in præterito sequens verbum; *Et fecit*; Pari modo, quando præcedit præteritum camethzatum, siue pathachatum; *vau*, *&*, sequens non est cõuersiuum, sed solum coniunctiuum, Isa. 6. *Et vidi Dominum*; *Vaereh ereh*, est futurũ primæ personæ; *Videbo*, sed, ו *vau*, præcedens punctatum vocali, *a*, camethz magno vertit in præteritum; *&* ו *idi*; sequitur; *& clamauit* וקרא *Vechara*; *alter ad alterũ*; ועמד *Veghamad*; *& dixit*; Vbi, *chara*; *eleuauit*, est præteritum; *Amar*, *dixit*; est præteritũ; sed, ו *au* sceuatum, *ve*; cuiusuis est conuertere præteritum in futurum; *& clam. bit*; *& dicet*; hic est tantùm copulatiuum, & non conuersiuũ; ratione verbi antecedẽtis præt. camethzati; *Et vidi Dominũ*; *Vaereh*; Si quæres illa duo futura ויעף ו *enghopheph*; *Et volabit*; & illud יכסה *lecasseh*; *operiet*; an sint legenda in præterito; *&* ו*olauit*, *& operuit*; Resp. equidem; Tùm ratione primi præteriti; tùm quia id moris est scripturæ, vt ponat futurum loco præteriti; & præcipuè vbi loqués in loquendo solet esse continuus, vt notat R. Elias.

Not. secundò dictionem, *Vau*, *&*, sæpissimè obtinere vim caussalem. Quia, ideò, ps. 60. *Da nobis auxiliũ de tribulatione* ושוא *Vesciau*; *Et vana*, *quia vana salus hominis*. Isa. 64. 5. *Ecce tu iratus es*, *et peccauimus*, heb. ונחטא בהם; *Vanecheta baem*; *Quia peccauimus in eis*; Cald. *propterea q peccauimus*, R. D. *Posteaquã peccauimus*, Isa. 39. 1. *Audierat*, *n. quod ægrotasset*, heb. וישמע *Vaiscmangh*; *& audiuit*; *Quia audiuit*, Cald. *Cad*, *Quoniam audiuit*; verùm scriptura scripturam exponit; nam vbi Isaiæ loco citato legitur; *Vaiscmangh*; *& audiuit*; 4. Reg. 20. 12. vbi idem re-

refertur, loco dictionis, *Vau*, *&*, ponitur dictio, כי, *chi*, causalis: *Quoniam audiuit quod ægrotasset Ezechias*; & sic sæpè hæc dictio non solùm est copulatiua, sed simul causalis, reddens rationem alicuius facti, & euentus præcedentis.

ot. tertiò, cum omnibus RR. cũ R. Elia citato loco, R. S. Isa. 42. 16. morem esse scripturæ, & admodum frequentem, loqui in præterito, loco futuri; præcipuè in verbis propheticis, quando de rebus futuris est sermo; & hoc ob certitudinem euentus; nam res, quæ prædicuntur futuræ, ita sunt certò futuræ coram Deo, ac si iam factæ essent; verùm cùm scriptura recenset rem iam gestam, id non obseruatur, addit R. Elia; & ideò omnia verba quocunque signo præterita, quæ in prophetis adhibentur ad significandam rem futuram, debent intelligi, & exponi in tempore futuro. Exempla obuia sunt. Num. 24. דרך כוכב מיעקב *darach cocau miiangachou*; *Orta est, incessit stella ex Iacob*; R. S. & omnes יקום מזל *Iachum mazal*; *Surget, orietur, incedet stella*, Cald. *consurget Rex*, item Isa. 42. 16. *Ista verba feci eis, & non dereliqui illos*; certè, quæ ante promiserat Deus debebãt futuris temporibus euenire; cur ergo loquitur in tempore præterito? Resp. R. S. sensus est; *faciam eis, & non derelinquam eos*; ita est phrasis prophetiæ, loqui de re futura, tamquam si iam facta esset, subscribit R. D. & ante istos Cald. legit: *ista verba faciam eis*: & RR. Medrasc ps. 107. *Dictum eius, videlicet D. S. B.* מעשה *manghaseh*, *factum est*. Præterea notant RR. etiamsi verbum principale sit præteritũ perfectum absolutum, & verba quæ sequuntur sint ex se in tempore futuro, attamen præcedat, *Vau*, signatũ puncto pathach, vel camez, itaut legi debeant in tempore præterito grammaticaliter; nihilominus intelligi debent, & ex-

exponi secundùm veritatem, & propheticè, in futuro, Ezech.28.18. *Præ multitudine iniquitatum tuarum, in iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuã; & eduxi* (educam) *ignem de medio tui; ipse comedit te* (comedet te) *& dedi te* (& dabo te) *puluerem super faciem terræ*, R.D. glossa, *proieci te, dedi te, eduxi te*; omnia præterita, vice futurorum: Nam hæc est consuetudo scripturæ, & in verbis prophetarum frequens. His sic positis; liquet, cùm hæc prophetia incipiat per verbum præteritum ויאמר יי אלי *vaiomer adonai elai*: *& dixit Dominus ad me*; verbum quod sequitur ואעידה לי *veanghida li*; *& adhibui mibi*; quamuis sit secundùm formã grammaticalem futurum: & quia *vau* sceuatum futurũ respicit; tamen traducendum in præterito; *& adhibui mibi.* Similiter tria subsequentia verba ואקרב *vaecheau*; *& accessi*; ותהר *vathahar*; *& concepit*; ותלד *vathele d*; *& peperit*; quamuis secundùm formam sint futura, debent tamen legi in præterito: tùm quia regulantur à primo verbo præterito; ויאמר *vaiomer*; *& dixit Dominus*; & persona loquens in loquendo ad prophetam, qui est Deus, est semper eadem, & continua: tùm quia illis, *vau* punctatum est camez, & pathach. Secundum veritatem tamen rei, quæ prædicitur futura more prophetico, illa quatuor verba in præterito, debent exponi, & intelligi in tempore futuro; vti sapientissimè traduxit Cald. Ieuathan ואסהיד קדמי *ueashid chodamai*; *et testificabor mibi*; ועליה *vengalith*; *et accedam ad prophetissam*; ועדיאת *vengadiath*; *& concipiet*; ותלידת בר *viledath bar*; *& pariet filium*; ita tenentur confiteri omnes RR. & rabbinizãtes si volunt Isaiam post visionem, & concionem factam corã rege Achaz, hæc omnia externè, & sensibiliter opere impleuisse.

Not.

Not. quartò, ſuppoſito per ipſos, ly, *&*; *Et adhibui mihi teſtes fideles*, eſſe, *vau*, ſiue, *&*, inceptiuum ſermonis inducens nouam perſonam ab antecedenti, quæ loquebatur, nempè Deo, diuerſam; qui eſt Iſaias; dicunt enim, *Et adhibui mihi teſtes fideles*, eſſe verba prophetæ, qui hîc incipiat loqui; & conſequenter erit cōtinuata loquutio eiuſdēmet perſonæ, ideſt Iſaiæ, quæ immediatè ſequitur; *Et acceſſi ad prophetiſſam, & concepit*; ſicque ly, *&*; *Et acceſſi*; erit tantùm copulatiuū innuens apertè perſonam, quæ acceſſit ad prophetiſſam, eſſe antecedentem, quæ dixit; *Et adhibui*, nempè Iſaiam.

His ſuppoſitis, intendo probare contra R.D. & noſtros; dictionem, *Vau*, *&*, affixam verbo ואעידה לי *Veanghida li*, *&* *adhibui mihi*; non eſſe incæptiuam ſermonis, & conſequenter non introducere nouam perſonā loquentem, ab ea, quæ immediatè præcedit, quæ eſt Deus; ſed eſſe copulatiuam tantùm; & ideò vnire id quod ſequitur; *Et adhibui mihi*; ad id, quod præceſſit, nempè ad perſonam loquentem, in præcedenti verſu, qui eſt Spiritus ſanctus, & pariter ſequi; ſubſequentem verſum ואקרב *Veacrau*; *& acceſſi ad prophetiſſam*; eſſe verba eiuſdēmet perſonæ antecedentis, nempè Dei, quod eſt principaliter intentum, & probandum.

Prima ratio deſumitur ex auctoritate irrefragabili Thalmudiſtarum, & Caldæi Ionathæ docentium verba iſta; *Et adhibui mihi teſtes*; eſſe Dei, & non Prophetæ; ergò, & ſubſequentia; *& acceſſi ad prophetiſſam*; erunt Dei, & non Prophetæ; patet conſequentia; nam per te in illo verſu; *Et adhibui*; noua perſona, nempè prophetæ, introducitur, quæ poſtea immediatè ſubdit; *&* *acceſſi ad prophetiſſam*; ita ut hîc non introducatur noua perſona; ſed ſit eadem, quæ dicit; *& adhibui*; ſed perſona, quæ

dicit,

dicit; *& adbibui*; est Deus; ergo est Deus, qui dicit; *& accessi ad prophetissam.* Clarius hoc explicat Cald. Ionaten, dum concludit, & ostendit Deum esse, & nō Prophetam, qui dixit; *& adbibui mihi testes*; dicens; *omnes consolationes*; אנא עתיד לאיתאה *ana ngathid leethaah*; *Ego tempore futuro adducere faciam*; certè hic non potest esse nisi Deus; qui Deus immediatè subiungit ועלית לות נביאתא ועדיאת וילידת בר *Vengalith leuathneuiatha vengaddiath viledath bar*; idest: *Et appropinquabo ad prophetissam, & concipiet, & pariet filiū*; vult dicere; Ego Deus, qui per Zachariam prophetam filium Barachiæ abhinc ducentis, & quinquaginta annis vaticinabor, & promittam me adducturum omnes consolationes, nēpè Regem Messiam, qui est ille filius prophetissæ, cuius nomen est; *Accelera spolium, festina prædam*; ille Emmanuel filius, *bangalmah*; Virginis; vt credatis, quia virginisimè concipietur, & parietur ab ista virginissima prophetissa, ego Deus ipse subiungo modum huius virginisimi conceptus, & partus mirabilis, promittens; *Et accedam ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium*; idest mea infinita omnipotentia, & sapientia, qua creaui omnia, accedam ad istam, *bangalmah*; virginem, & prophetissam; quia replebo illam Spiritu sancto, quo operante, & obumbrante, sanctisimè, & virginisimè concipiet, & pariet filium, qui erit homo simul & Deus; qui erit omnis consolatio, pax, bonum, salus, & saluator animarum, à potestate diaboli, & peccati; & ideò impono illi hoc aliud nomen; vt potè, qui sum pater eius, præcipiendo Isaiæ, *voca nomen eius, Accelera spolium, festina prædam.*

Secunda ratio à priori, & litteralis est ista; litteraliter dictio, *&*, præfixa verbo; *& adbibui mihi testes fideles*; non est inceptiua sermonis, sed copulatiua copulans sequentia

qui est

Deus; ergo Deus est, qui loquitur, & dicit; *& adhibui mihi*;& qui subdit statim; *& accedam ad prophetissam*; Deus est. Antecedens probatur, primò quoad RR. Nam isti in suis glossis per hos duos testes intelligunt Vriam sacerdotem, qui vixit & prophetauit 150. annis post hãc prophetiam Isaiæ; & Zachariam, qui in templo secundo prophetauit annis plusquam ducentis post. Cùm ergò impossibile sit, quod Isaias suo tempore potuerit inuenire hos duos prophetas, & eorum prophetias;sequitur necessariò,quòd persona loquens, & dicẽs; *& adhibui mihi testes fideles*; fuerit præcedens, nempè Deus,qui solus poterat dicere; *& adhibui mihi*;idest suo tempore ego stare faciam istos duos prophetas, & suis vaticinijs testificari quantũ præcipio tibi ò Isaias scribas in volumine magno nunc ad æternam memoriã; Quare euidenter apparet, quod dictio; *&*; *& adhibui*; non est inceptiua sermonis introducens nouã personam,nempè Isaiam; sed tantùm est copulatiua ad personam præcedentem, qui est Deus. Probatur secundò antecedens contrà nostros rabbinizantes,asserentes tunc temporis, peracta visione prophetica, Isaiam ad se reuersum, & & domui suæ peruentum,hos duos testes,conuocasse, & adduxisse in testimonium scripturæ. Primò quia,si tunc fuerit Vrias summus sacerdos primus testis adductus ab Isaia,quod non consonat textui;non reperient quis fuerit Zacharias filius Barachiæ; cùm nullus talis tunc temporis extiterit, vt supra probauimus. Tùm quia omnia ista primò fuerunt in visione prophetica reuelata Isaiæ; in qua solùm accepit à Deo mãdatum scribendi illa nomina;nõ autem de adducendis in testes illos duos viros; neque de accedendo ad prophetissam; sed nullus propheta nihil vmquam opere externo, & sensibili adim-

pleuit ex his, quæ Deus in spiritu illis reuelauit; nisi quod ab ipso Deo expressè, & distinctè præceptum fuerit; q ita, & ita illa facerent; ergò illa verba; *& adhibebo mihi testes*, & sequentia; *& accedam*; non fuerunt sensibiliter extrà visionem imaginariam opere à Propheta adimpleta; sed fuerunt tantùm in imaginaria visione dicta à Deo, & per species, obiecta, & rapręsentata imaginationi prophetę.

Tertia ratio ad hominem, & absolutè multùm efficax, sumitur ex doctrina R. D. huius falsæ expositionis author inter Iudæos; qui, vti doctissimus, & peritissimus inter omnes illorum grammaticos; hoc cap. v. 7. *Propter hoc; Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum*; (vbi in vulgato deest dictio, *&*, ante aduerbium, *propter*; *& propter*; quæ debet poni, & est in fonte ולכן *Velachen, ve, &, lachen, propter*.

Iste, inquam, R.D. considerans dictionem, *&*, præcedens aduerbium, *propter*; *& propter hoc*; principium versus septimi, docet hanc dictionem, *&*, non esse hîc positam ad copulandum, itaut sit copulatiua rei, vel significati cum superioribus, sed esse ו, *vau*, siue, *&*, incæptiuum nouæ orationis, & inductiuum nouæ personæ ab ea, quæ antea loquebatur. Ita ille דוו אינה לתוספת עין שארי הוא התחלת דברים *Hauau aenah letoseph eth nginian scehare hu hathec chillath deuarim*; vult dicere illa dictio, *&*; *& propter hoc non ipsa ad coniunctionem rei, siue subiecti; sed certè ipsa sit principium sermonis*. Si quæras à R. D. cur hoc loco dictio, *&*, constituat principium sermonis. Resp. quia hîc apertè mutatur persona loquens; Nam antea erat Deus, qui loquebatur, vt patet; sed hîc est propheta Isaias, qui loquitur, & dicit; *Et propter hoc; Ecce adducet Dominus super eos aquas*; probat exemplo sumpto ex

Gen. 22. vbi Angelus Domini loquens Abrahamo; *Non extendas manum tuam &c.* sequitur v. 13. *Et leuauit Abraham oculos suos.* In vulgato deest dictio ly, *&*, quæ est in fonte וישא *vaissa, va, &, issa, leuauit*; docet R. D. hanc dictionem, *&*; *& leuauit Abr. &c.* esse similem huic dictioni, *&*, hoc loco Isaiæ; *& propter hoc*; nempe esse non copulatiuam, sed initiatiuam sermonis; quia non est amplius persona antecedens, puta Angelus, qui loquebatur, sed noua persona, idest Abraham; *Et leuauit Abraham oculos*; ita hoc loco, *Et propter hoc:* non est amplius Deus qui loquatur, sed Isaias qui hic apertè seipsum introducit loquentem. Tunc dico ad rem nostram; si dictio, *&*, quæ præfigitur, *Et adhibui mihi testes*; non est per te copulatiua ad versum superiorem; ita ut sicuti, est Deus, qui dixit prophetæ, *sume tibi librum*, ita sit et Deus ipse, qui subdat; *Et adhibui mihi*: sed est initiatiua sermonis, ita ut propheta sit illa persona, quæ incipiat noua verba; & dicat; *Et adhibui mihi*, vt tu malè asseris: Cur hoc loco idipsum non doces, & animaduertis? vti præcipuè facere debebas. Si ista verba; *Et adhibui mihi*; vt tu dicis, sunt Isaiæ prophetæ, & non Dei; cùm persona præcedens loquens sit Deus; & subsequens omninò mutetur, & sit propheta; Certè dictio, *&*; *Et adhibui mihi*; non poterit esse coniunctiua; sed penitus disiunctiua ab antecedente versu; & noui sermonis, sicut nouæ personæ, initiatiua, & inductiua. Cur inquàm hac animaduersionem huic textui; *Et adhibui mihi testes fideles*; non adhibuisti? hoc siquidem versu, magis quàm versu septimo, opus erat talis annotatio; ly, *&*, non esse copulatiuũ, sed initiatiuum noui sermonis, & personæ, quam tu dicis esse prophetam, vt melius stabilires tuum figmentum; Cur inquã? nisi quia est diuersa ratio, & oppositus sesus.

Nam in versu septimo clarissimè apparet mutatio personæ loquentis et dicentis; *Et propter hoc, ecce Dominus adducet super eos*; Hic enim, est propheta qui loquitur: & excluditur Deus, qui immediatè ante loquebatur vers. 5. *Et adiecit Dominus, loqui ad me adhuc, dicens*; & v. 6. subdens; *pro eo, quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ*; Istà sunt verba Dei loquentis. Statim sequitur, v. septimus; *& propter hoc, ecce Dominus adducet super eos*; certè hîc, in textu euidenter excluditur Deus loquens, & introducitur persona prophetæ, qui minatur populo Iuda, qui rebellis domui Dauid, partes Rezin regis Syriæ, & Phacee Regis Israel fouebat; sub metaphora fluminis inundantis, aduentum magni exercitus Regis Assyriorum, in pænam rebellionis; & ideò dictio, *&*, præfixa aduerbio, *propter*; *& propter hoc; Ecce Dominus adducet &c.* necessariò est initiatiua sermonis, & inductiua nouæ personæ, qui est propheta, sicuti patet in textu à R.D. adducto; expressè specificatur in eo noua persona, quæ inducitur, qui est Abraham à persona, quæ antea loquebatur, qui erat Angelus; & ideò dictio, *&*; *Et leuauit oculos suos Abraham*; est necessariò initiatiua noui sermonis; Non ità reperitur in versu secundo; *Et adhibui mihi testes*; immò oppositum; Nam דגוף המדבר *haguph hammedaber*; persona loquens v. 1. est Deus; *Et dixit Dominus ad me; Sume tibi librum grandem*; sequitur v. 2. *Et adhibui*; siue quò ad sensum; *Et adhibebo mihi testes fideles*; non apparet, quod excludatur Deus, & introducatur persona prophetæ; sed euidenter elucet, quod sit eadem persona, nempè Deus; qui postquam præcepit Isaiæ quod scriberet illa quattuor mystica, & symbolica verba; subdat, & promittat, quod

testi-

testificari se faciet per testes fideles prophetas suos mysteria, arcana, punitiones, & consolationes, quæ in illis quatuor verbis figuratè continentur; *Et contestabor mihi testes fideles*; ita ad verbum; hocque solius Dei est; Et sic dictio *&*, præfixa verbo; *adhibui*; *&* *adhibui*; necessariò est tantùm copulatiua continuans personam præcedentem, nempè Deum dicentem; *Et adhibui mihi testes fideles*; *Et accessi ad prophetissam*; Ita veraciter intellexerunt Thalmudistæ, Ionathas, R.S. & alij; solus R.D. cum aliquibus ex nostris à veritate nimis iniustè recedunt, peruertẽdo germanum sensum huius mirabilis prophetiæ declarantis modum virginei conceptus, & partus virginis matris Emmanuel Regis Messiæ, videlicet ex solo diuino Spiritus sancti accessu, & repletione, vt ipsemet Deus promittit; *Et accedam ad prophetißam &c.* Hæc minimè ignorasse R.D. certum est; sed dissimulauit & falsis expositionibus sepeliuit in odiũ religionis Christianæ, vt est eius genium, & perfidia frequens; mirũ est ex nostris tot viros hebraicè doctos huic spurco errori illos adhæsisse potius, quam veritati, & Patribus, & antiquissimis RR.

Neque obstat quod obijcit Vasquez; quod postquam dixit sacer textus; *Et accessi ad prophetissam*; statim sequatur; *Et dixit Dominus ad me*; quasi videatur, postquam propheta accesserit ad prophetissam; Deus denuò loquatur ꝓphetæ; & dicat ei; *Et dixit Dominus ad me*; *Voca nomen eius*; Non, inquam, obstat; non enim per hoc fit variatio personæ; cùm sit frequens in prophetis hic modus loquendi, dũ dicunt; *Hæc dicit Dominus*; facies hoc, dices hoc, & post multa quæ præceperit Deus, finito versu, in quo Deus ipse loquitur; statim, ipsemet Deus loquens iterum inchoat alium sermonem; quasi denuò incipiens

loqui

loqui prophetæ; & tamen nulla noua introducta fuit persona, verùm eadem est, quæ ante, nempè Deus. Exemplum se offert in nostro cap. 8. Isa. v. 3. *Et dixit Dominus ad me; Voca nomen eius; Accelera spolia &c.* vsque, *coram Rege Assyriorum*; certè hic est Deus, qui loquitur; statim versu 5. subditur; *Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens: pro eo quod abiecit &c.* quod est idem ac si diceret vt supra; *Et dixit Dominus ad me*; sed hoc loco hic dicendi modus, nō inducit, & significat esse nouam personam, quæ loquatur, ab ea, quæ superiori versu loquebatur, immò confirmat esse eandem penitus, nempè Deum, vt patet; ergo pari ratione, cùm versu 2. *Et adhibui mihi testes fideles &c. & accessi ad prophetissam*; sit Deus qui loquitur, vt iam probauimus; etiam si postea immediatè dicat Isa. v. 3. *Et dixit Dominus ad me; Voca nomen &c.* non denotabit inductionem nouæ personæ, sed confirmabit, & ostendet esse eandem, quæ anteà loquebatur, quæ iterum loquitur Prophetæ; & hic est Deus. Adducemus aliud exemplum Iere. 11. 6. *Et dixit Dominus ad me; Vociferare omnia verba hæc in ciuitatibus Iuda, & foris Ierusalem*; dicens; *Audite verba pacti huius, & facite illa; Quia contestans contestatus sum patribus vestris*; & post pauca concludit Deus; *Et induxi super eos omnia verba pacti huius, quod præcepi vt facerent, & non fecerunt*; statim v. 9. subdit Propheta; *Et dixit Dominus ad me; Inuenta est coniuratio in viris Iuda &c.* Quis non videat, hoc loquendi modo, non solùm nouam personam diuersam à prima loquentem non introduci, sed penitus eandem esse, quæ anteà loquebatur, quæ est Deus, continuans suum sermonem, sed nouum subnectens negotium, loquendo cum Propheta in tertia persona; Ita penitus currit, & se habet

noster

noster textus Isaiæ multum huic Ierem. persimilis, veluti duo paralelli, scribitur cap. 8. Isa. in principio. *Et dixi Dominus ad me; Sume tibi librum grandem, & scribe in eo &c.* Scribitur eadem formula Ier. cap. 9. 6. *Et dixit Dominus ad me; Vociferare omnia uerba hæc in ciuitatibus Iuda;* subdit statim textus Isaiæ; *& adhibui mihi testes fideles; & accessi ad prophetissam:* quasi pari modo textus Ieremiæ; *Quia contestans contestatus sum patribus vestris &c. & induxi super eos omnia verba &c.* Iterum textus Isaiæ sequitur; *Et dixit Dominus ad me; Voca nomen eius;* Ita pariter Ierem. *Et dixit Dominus ad me; Inuenta est coniuratio &c.* In Ieremia, etiamsi post prædicta omnia illa à Deo prophetæ in prima persona subdat Ieremias; *& dixit Dominus ad me;* non mutatur loquens, qui est Deus, ergo etiã si in Isaia dicatur; *& dixit Dominus ad me;* erit isdem loquens à principio, nempè Deus, qui cõtinuans suum sermonem, & loqui Prophetę, describitur à Propheta, loquens eidẽ Prophetæ in tertia persona. Quare à primo versu capitis, vsque ad septimum versum; *Et propter hoc; Ecce Dominus adducet super eos;* quæ sunt verba Isaiæ, est vna tantũ persona loquens, nempè Deus, quando in prima persona; *Sume tibi librum &c. Et adhibui; & accessi;* quando in tertia; *Et dixit Dominus ad me; & adiecit Dominus loqui ad me adhuc;* Quæ veritas inuitò fatetur R. D. dum primò docet solũ dictionem, *vau, &,* versus septimi; *& propterea;* esse initiatiuam sermonis, & nouæ personæ, idest Isaiæ inductiuã; deinde; *Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc dicens;* docet esse idem subiectum, & eundem Deum loquentem, quem supra vide eius glossam. Hæc considerent nostri, & resipiscent ab opinione falsa.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Quam distent à veritate Iudæi, & nostri existimantes hanc prophetissam esse vxorem prophetæ: & quia dicitur ואקרב *Vaechrau:* Et accessi; *et quia vocatur* הנביאה *Hanneuiah prophetissa, quia erat Vxor Propheta.*

ALiquandò mihi obijciebat crassus, & carnalis Iudæus, verbum, *Accessi, charau,* denotare accessum viri ad mulierem per copulam carnalem; & præcipuè hoc loco cùm subdat sacer textus prophetissam ex hoc accessu concepisse, & peperisse filium; ergò hic accessus non potest esse, nisi carnalis, & maritalis prophetæ, inquam, ad Vxorem suã prophetissam; sed duplici responsione huic obiectioni satisfaciebã. Primò, admisso quod ista verba; *& accessi*, sint Isaiæ Prophetæ, nego tamen, quod hic accessus fuerit sensibilis, & carnalis; sed fuit imaginarius, & spiritualis tantùm. Ratio est, quia hæc omnia facta fuerunt solùm in visione prophetica; & præter opus externum scripturæ, quod fecit Isaias, à Deo iussus, vt illa quatuor nomina scriberet in volumine magno, quæ videmus & legimus scripta in magno libro suarum prophetiarum; nunquam probabitur, & verũ erit; prophetam extrà visionem, sensibiliter accessisse ad prophetissam vxorem suam, & eam carnaliter ex eo concepisse, & peperisse filium; Tùm quia de hoc non accepit mandatum à Deo, sicut de scriptione dixit ei Deus, *sume tibi librum grandẽ & scribe in eo stylo hominis*; hoc est, verè, & realiter scribes extrà visionem in libro reali, & magno, *stylo hominis*, hoc ste,

est, vero calamo, & atramento, quibus vtitur homo, quãdo sensibiliter scribit. At nullum mandatum, nullum verbum diuinum ad Isaiam, quod adhiberet testes, quod accederet ad vxorem extrà visionem sensibiliter, & per actus carnales maritales. Tùm quia etiã in visione ipsa prophetica negatur, quòd ille accessus prophetæ ad prophetissam imaginarius, fuerit carnalis, & maritalis; hoc est, quod in illa visione sibi visus fuerit accessisse ad prophetissam per copulam carnalem, hoc inquàm negatur, primò quia ista prophetissa in visione illa imaginaria nõ erat Vxor Isaiæ, vt infrà constabit; ergò repugnat, quod talis accessus prophetæ fuerit imaginariè carnalis; secũdò quia iste accessus potuit esse in tali visione alio modo, putà per prænotionem spiritus prophetici, ità vt Deus reuelauerit prophetæ, vti verè fuit, istam insignem, & Augustissimam prophetissam, ex cuius cognitione posset intelligere, quidnam esset illud, quòd paulò ante illi Deus præceperat, & ipse audierat; *Scribe; ad accelerandum spolium, festinandum prædam*: per hunc inquam accessum, & prænotionem propheticam, accessit Isaias in illa visione ad istam Eminentissimam prophetissam; & cognouit illam esse prophetissam, hoc est, plenam Spiritu sancto, quo obumbrante, & fęcundante, conceptura, & paritura erat filium; *Et concepit, & peperit filium*; cui, Deo iubente, imponere debebat illud nomen mysticum scribendum in magna carta. *Accelera spolium, festina prædam*. Secunda responsio ad argumentum Iudaicũ hæc est; Absolutè negando, qui dixit; *Et accessi ad prophetissam*; esse Isaiam; sed est Deus ipse, quod satis probauimus, & nunc amplius, & fortius ostendemus. Et notandum est, verbum: קרב *charau*; accedere, & appropinquare significans, aliquando attribui Deo, ad denotandũ

eius summum amorem, ergà nos, & intimam præsentiam & assistentiam, & operationes eius mirabiles in nobis. Locus insignis, & præcipuus est ille Deut. 4. 7. *Non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi; sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus.* ly *Deos appropinquantes sibi*; habet textus hebr. אלהם קרבים אלו *Elohim, cherouim, elau*; *Deos accedentes ad eum*, ly; *sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*; in fonte habetur, כיהוה אלהינו *Chaiehouah, elohenu*; *Sicut Deus dij nostri*, supple, *cherouim, appropinquantes in omnibus obsecrationibus nostris ad eum*; Quibus verbis, quod Deus accedat, & appropinquet nobis, vult ostendere Moyses; Deum nostri amantissimũ infinitis modis esse nobis præsentem, propinquum, & intimum, & secundũ sua attributa infinita, & mirabilia, mirabiles, & diuinos effectus in nobis operari. Hæc recondita theologia reperitur apud antiquissimos hebræorum theologos, exponentes quomodo Deus fuerit propinquus populo hebræo multò plus, quàm alienis populis, exponentes inquàm ly *Deos appropinquãtes; Elohim, cherouim;* phrasis plur.; hoc sẽsu אשר לו המדות קרובות אליו *ascer lo, bamiddoth, cherouoth, elau, quæ natio habeat diuina attributa appropinquãtia sibi*, ità doctissimus apud illos R. Bechai loco eodem Deut. Nil veriùs. Et primò sua omnipotentia infinita fuit Deus propinquus poculo suo in Egypto, tot signa, & prodigia operando, vt illos ab illa dura seruitute liberaret. Deinde sua infinita sapiẽtia ꝑpinquus fuit illi in dono legis, & prophetiarum oraculis, illi populo secreta pictoris sui reuelans. *Non fecit taliter omni nationi.* Vlterius se propinquum exhibuit Deus huic populo impertiendo illi suam gratiam dimittendo peccata illius, & illum iustificando, medijs sacrificijs, & oblationibus, quæ omnia sacrificia

crificia vocantur in lingua sancta. קרבן *Chorban*; ab isto verbo prædicto; *charau*; accedere, appropinquare, quia medio illorum Deus accedit ad nos, & nos accedimus ad eũ. Tandẽ Deus fuit proximus generationi huic in deserto,& ĩ terra Israel miris,& varijs modis illos,sua iustitia recta,puniendo. Quarè appropinquatio Dei ad nos fit per sua diuina attributa,omnipotentiam, sapientiam,bonitatem,iustitiam, & gratiã, in nobis, & pro nobis,& per nos,mirabilia,& portentosa operando. Hinc optimè Dauid psal.73.28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, heb. קרבת אלהים טוב לי *chiruath Eloim tou li*; *appropinquatio Deorum bonum mihi*, & psal.150.vocat populum Israel appropinquantem,siuè propinquum Deo. *populo appropinquanti sibi* עם קרובו *ngam cherouo*, nempè creatione,fide,religione,sacrificijs,beneficijs,& castigationibus; Sed altius quæso, Ieremias c.30.21. loquens de Rege Messia,dicit. *Et erit dux eius ex eo; & princeps de medio eius producetur. Et applicabo eum, & accedet ad me*; ly, *et applicabo eũ*, heb. והקרבתיו *Vehichrauthiu*;ab eadem radice, *charau*; *appropinquare*; in coniugatione הפעיל *hiphinghil*; cuius vis est facere, vt aliquid fiat; itaut agens sit primus operans, deinde patiens motus ab agẽte sit operans,& operetur; & ad verbum hebraicè sic traductio erit, *& appropinquare faciam eum*; Vbi duplex insurgit appropinquatio,siuè accessus,vnus Dei ad Messiam, vt possit appropinquare Deo, alter Regis Messiæ, quo appropinquet Deo; & ideò subdit Deus: *& accedet ad me*. Huius mirabilis prophetiæ, cuius intelligentia multum confert rei nostræ; duplicem inuenio apud heb. & nostros expositionẽ. Omnes conueniunt אדירו *Adiro principẽ eius, ducẽ eius, &* ומושלו *Vmomoscalo*; *Dominatorẽ eius ex eo*; hoc est ex Israel oriundum; fore Regem Messiam; At verò quòd sequitur; *& applicabo eum, & acce-*

det ad me; nõnulli exponunt de populo Iſrael, vt refert R.D. citans R.Ionath. qui in ſua paraphraſi legit, *& applicabo eos, & accedent ad cultum meum*, ſubſcribit R.D. *nàm Iſrael fuit populus* קרובי מקדם *cheroui Michedem appropinquans mihi ab initio, iſtum faciam, vt appropinquet ad me, & ipſi accedent ad me.* Hæc ille. Quæ expoſitio poteſt admitti per quandam ſimilitudinem; verùm eius ſenſus litteralis, & idoneus, eſt de dominatore על מושל *ngal Moſcel*, qui eſt Rex Meſſias, ingenuè fatetur R.D. ſubdens, על דרך שאמר *ngal derech ſceamar*, ſecundùm ſenſum illius dicti p. par. 13. והוא יהיה לי לבן ואני אהיה לו לאב *Vehu iheieh li leuen veaui eheieh lo leau; Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Quis non videat infinitam differentiam inter duas iſtas expoſitiones? Tranſeat quòd Deus appropinquare faciat ſibi populum Iſraeliticum; certè iſta appropinquatio non poteſt eſſe maior quàm per gratiam, per quàm ille populus erit populus Dei, verus veri Dei cultor: Et Deus erit illis in Deum amore, & charitate ſingulari illos proſequẽdo: ità apertè hoc ſubdit Deus v. 22. *Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Ità enim Deus appropinquat ſe animæ, & eſt illi in Deum communicando ei gratiam ſuam ſupernaturalem, iuſtificantem illam ab omni peccato, & labe, reddendo illam Deo ſimilimam, gratam, amicam, & filiam ſibi dilectiſſimam: in quo conſiſtit filiatio adoptiua filiorum Dei per participationem illius fidei, & gratiæ, quæ ſunt qualitates creatæ, & finitæ, quamuis ſupernaturales. Et anima, præuenta à Deo iam, eſt illi in populum: ipſum Deum ſuper omnia amando, eius legem obſeruando: & pænitentiam agendo: his omnibus, & cæteris religionis actibus homo appropinquat Deo, accedit ad Deum, & eſt ei in populum.

At

At verò appropinquatio, siuè accessus Dei ad Regem Messiam principem, & dominatorē ex Israel, & in Israel, est longè superioris; & infiniti ordinis, quam simplicis gratiæ, & adoptiuæ filiationis; & appropinquatio siuè accessus Regis Messiæ, vt homo, & vt secundùm carnem originem duxit ex Iacob; & ex domo Dauid, ad Deum; transcendit appropinquationem ad Deum per amorem, obedientiam; & voluntatem propriam, per omnia conformem voluntati diuinæ. Quæ ergò erit appropinquatio Dei ad Regem Messiam, quatenus homo est? nisi illa quā Spiritu sancto motus confitetur R.D. dicens, תכן לפרש על המושל *Ittehecen lepharesc ngal Hamoscel: Aptū erit, quadrat, exponere super Dominatorē, qui est Rex Messias; & applicabo eum, & accedet ad me, secundùm viam, siue sensum, quidicitur* p. parali. 17.13. *Ego ero illi in patrē & ipse erit mihi in filium;* Hæc est differentia infinita inter Regem Messiam, & populum Israel, in hac approximatione; ex hac, inquam, coniunctione Dei ad populū, & populi ad Deū, resultat talis dignitas, & gradus, vt Israel sit ī populū Dei, hoc est, fide, religione, & charitate, & gratia amicus, & dilectus Dei, & Deus sit illis in Deū; hoc est sit illorum gubernator, protector, Rex, & spōsus amantissimus; quæ omnia includuntur, & indicantur in adoptione filiorum Dei, hac ratione totus Israel, vocatur primogenitus Dei, Exod. 4.22. *filius meus primogenitus Israel;* sic; *filij excelsi omnes;* idest fide, religione, & gratia filij Dei adoptiui; pari modo Deus vocatur pater Israelis, per creationem; *nunquid nō ipse est pater tuus qui fecit te, & creauit te.* Deut. 32.6. Isa. 63.15. *Tu enim pater noster es,* idest, fide, lege, religione, & gratia per adoptionem, non per naturam. At verò approximatio Dei ad regem Messiam, vt homo, est suprà omnē

gratiam

gratiam creatam, suprà omnem paternitatem adoptiuā. Et approximatio Mesiæ ad Deum est suprà omnem supernaturalem creatam adoptiuam filiationem? & quænam erit ista appropinquatio Dei ad Mesiam, nisi quatenus Deus est naturalis, & substātialis pater Regis Mesiæ, per naturam veræ, & æternæ generationis; & Rex Mesias est verus, & naturalis filius Dei per verā, & substantialem generationem à Deo patre genitus? sic secūdùm R.D. debent exponi prædicta verba; *Et applicabo eum, & accedet ad me*; non in illa ratione communi; *& eritis mihi in populum*; hoc est in filios adoptiuos per gratiam, & gloriam, *& ego ero vobis in Deum*; hoc est in patrem adoptione, nempè per creationem, & gratiam filios meos adoptiuos regenerando; sic enim, quid excellentius haberet Rex Mesias super omnes Angelos, & electos, tàm viatores, quàm beatos; si ista appropinquatio Dei ad ipsum, ipsius ad Deum esset tantùm creata, & per gratiam adoptionis? Ergò debent exponi secundùm sēsum illorum verborum; *Ego illi in patrem*; certè per generationem diuinam naturalē, *& ipse erit mihi in filium*; Certè per filiationem diuinam; verus & naturalis filius veri, & naturalis Dei patris. Et sic rex Mesias accesit ad Deum, vt homo per vnionem personalem ad personā diuinam filij, quæ supponitans illud indiuiduum naturæ humanæ in rege Mesia, euexit ad infinitam dignitatem vnigeniti, & coæterni filij Dei, ità vt illud indiuiduū naturæ humanæ in Christo verè sit naturalis filius Dei personaliter; cùm illa natura humana in Christo careat propria personalitate; & personetur à persona; siuè hypostasi filij Dei; Cōsequēter Deus appropinquauit regi Mesiæ, vt Deus pater, vt inquam verus, & naturalis pater sui vnigeniti, & consubstantialis filij; & sic ēt verus, & nālis pater illius hominis, qui dicitur Christus; cū non alia per-

sona

sonâ suppositetur ille homo Christus, nisi persona diuina filij Dei patris. Quod altissimum sacramentum Incarnationis filij Dei in Rege Messia innuens Ierem. verbis prædictis; *Et applicabo eum, & accedet ad me*; mirè explicat, & fatetur illi hostis acerrimus fidei Christianæ R.D. docens debere intelligi secundùm illud; *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium id est naturalem*; saltem iste R.D. quem scio penitus negare hoc mysterium, Messiam esse Deum, vel filium Dei substantialem, & naturalem, tenetur confiteri multò excellentiorem, & digniorē esse appropinquationem, siue adhæsionem Dei ad regem Messiam, quàm ad cæteros iustos; & hanc esse quatenus Deus est pater Messiæ, & Messias filius Dei; quod si persistat hanc esse paternitatem, & filiationem adoptiuam; quid ergò amplius addet sua glossa, docens illa verba dei; *& applicabo eum, & accedet ad me*; debere exponi de rege Messia; non eo modo, quo de populo Israel, quē Deus fecit appropinquare sibi ab initio, certè, fide, lege, cultu, & gratia; En adoptio filialis; sed eo sensu, quo dicitur de rege Salomone à Deo per prophetàm Nathan 2. Reg. 7. 14. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filiū.* En alia paternitas, & filiatio, quæ erit propria, & solius regis Messiæ; Et quæ erit ista? certè non adoptiua; nam sic æqualiter omnes iusti sunt filij adoptiui Dei; debet inueniri differentia inter istas duas filiationes, iustorum, & regis Messiæ; Si de solo Messia intelligitur, Iy, *Et applicabo eum, & accedet ad me*; secundùm hunc sensum singularem, & partialem soli Messiæ proprium; *Ego ero illi in patrē*; vt præsupponit, & intendit R.D. pro cuius rei dilucidatione

Notandum est secundùm RR. & veritatem. Verba, & promissiones magnas, quas dixit Nathan propheta regi Dauid

uid ex ore Dei, 2. Reg. 7. 12. 13. 14. *Cumque cõpleti fuerint dies tui, & dormieris cũ patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo; & firmabo regnũ eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium; qui si iniquè aliquid gesserit arguam eum in virga uirorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiã aũt meã nõ auferã ab eo sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea.* Hæc inquam prophetica verba exponunt omnes ad litteram de Rege Salomone, & de Rege Mesſia, verùm cum maxima differentia; Nàm de Salomone litteraliter, partialiter, ad tempus præfinitũ; quo ad omnia, quæ promittuntur illi à Deo, tùm quia regnum eius nundùm durauit in ſuis poſteris, niſi quadringentis annis, vſque ad captiuitatem Babilonicam, quòd tempus longum vocatur ab heb. עלם *ngolam*, ideſt æternum; At regnum Meſsiæ eſt verè æternũ in hoc ſæculo, & futuro æternitatis; *Regnum tuũ, regnum omniũ sæculorum.* Tùm quia illud: *Ego ero illi in patrem*; exponitur de paternitate, & filiatione adoptiua per gratiam, quàm penitus amiſit Salomon apoſtaſia, & Idololatria; Et R.D. exponit hoc pacto. *Ero illi in patrem; Corripiã eum propter peccatum ſuũ, ſicut corripit pater filium ſuũ; non auferã ab eo regnum, ſicut abſtuli à Saule; ſed regnũ erit filijs ſuis uſque in ſæculum.* Hæc ille. Immò, vt habetur p. par. 22. 10. Moriens Dauid, & fabricam templi commendans filio Salomoni, reddit rationẽ, quia à Deo ad tale opus erat electus, tamquam filius, *Ipſe ædificabit domum nomini meo; Et ego ero illi in patrem*; qui omnes reſpectus filiationis, & paternitatis ſunt extrinſeci, & tẽporales, & finiti. At in rege Meſsia opus eſt ſit iſta diuina filiatio interna, ſubſtantialis, & eſſentialis; ità vt ſit ſenſus iam explicatus; *& ipſe erit mihi in filium*; Hoc eſt

erit

erit meus naturalis, & consubstantialis filius a me ex mea essentia genitus ab æterno; vti apertissimis verbis per os tuum de rege Mesia loquens, Vocaui eum filium meum in æternitate à me genitum; בְּנִי אַתָּה אֲנִי הַיּוֹם יְלִדְתִּיךָ *beni athah ani haiom ielidthicha; Filius meus es tu, ego hodie genui te*; psal. 2. 7. Quare litteraliter quidem, sed extrinsecè, partialiter, & accidentaliter dicitur de Salomone; *& ipse erit mihi in filium*; At de rege Mesia; siue dicas litteraliter, vnam enim litteram duplicem sensum litteralem haberi aliquando, fatentur etiam RR., vt in hoc loco; siue dicas allegoricè, conueniunt ei proprijssimè, intrinsecè, substantialiter, & plenissimè eadem verba; *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*; quæ sunt explicatiua verborum Ieremiæ; *& applicabo eum, & accedet ad me*; per vnionem personalem humanitatis Christi ad verbum diuinum vti diximus.

Hoc ineffabile mysterium vnionis naturę, & carnis humanę cum persona diuina filij Dei, voluit Spiritus sanctus, non sine ratione, explicare per hoc verbum; *Charau*; quo significatur, appropinquatio, adhęsio, accessus, etiam maritalis viri cum vxore, ratione cuius, cum sint duo fit vnũ in carne vna; Et hoc est, quod clarè promittit Deus, in hac nostra prophetia, operaturus tamquam pater accedendo ad prophetissam; *Et accedam* וָאֶקְרַב *Veachrau ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium*; Certè hic accessus ad prophetissam à Deo promissus, non fuit mutatione loci, Deus enim intimè per illapsum, vt loquuntur theologi, est in omni creatura præsens, propinquus, & intimus; sed per nouam, & admirabilem operationẽ, quatenus tempore præfixo, sua infinita omnipotẽtia, & sapientia, huic eximiæ prophetissæ, & virgini integerrimæ conferret virtutem concipiendi in suo vtero filium

ex ſe ſola, ſine viri vllo commercio, & pariendi eũdem; ſemper, tàm in conceptu, quàm in partu, illibata, & intemerata permanente illius virginitate, concipiendi, inquam, & pariendi filium, qui eſſet verus Deus, & verus homo, Emmanuel, nobiſcum Deus in carne humana. In quo admirando, & diuiniſſimo myſterio operando omnem ſuam omnipotentiam, ſapientiam, bonitatem, & charitatem; omnia ſua diuina attributa impendit, & manifeſtauit Deus mundo, coniungens in vnum, in vna perſona diuina filij Dei, duo infinitè diſtantia, naturam nempè diuinam, & humanam, in vtero huius Excellentiſſimæ virginis prophetiſſæ, integerrima, & immaculata virginitate eius iugiter permanente. Hoc eſt illud ſignũ, & portentum, & miraculum omnium miraculorum Dei maximum, quod noſter Iſaias ab initio dixit, Deũ ipſum ſolum, & non alium, non hominem, non angelum, forè facturum, & daturum; *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum;* הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנו אל; *Hinne hangalmah harah veioledeth ben vecharath ſiemo aghimmanuel; Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen eius Emmanuel;* Myſterium tam incognoſcibile ab intellectu creato, quomodo fieri poſset, quod Virgo ſine virili ſemine & conſortio, conciperet in ſuo vtero verum, & naturalem filium, abſque læſione ſuæ virginitatis; & ſimul ex ſuo vtero pariendo emitteret eundem verum filium clauſtris virginitatis reſeratis, & intactis; Vt, inquam, hoc Sacramẽtum omnem excedens potentiam, naturalem, & mentem creatam fide crederetur; primò teſtatur Propheta, quod Deus ipſe, & non creatura, ſua infinita omnipotentia, & ſapientia, qua omnia ex nihilo creauit; & ex terra formauit primum hominem, & ex coſta primi hominis fabricauit primam

mulierem; hic omnipotens Deus dabit ipe faciet ipse hoc prodigium, quod virgo se sola sine viro virgo concipiat, & virgo pariat filium verum hominem, & verum Deum. Deinde ipsemet Deus, vt sciremus, & crederemus quomodo ista celeberrima virgo prophetissa posset concipere, & parere semper virgo, sine accessu viri; testatur hoc capite, quod ipsemet Deus accedet ad istã Eminentissimam prophetissam virginem miro, & inaudito modo sua infinita, & omnipotenti virtute operabitur, & faciet, vt in vtero suo concipiat, & ex vtero suo pariat verum filium suũ Emmanuel, verum hominem, & verum Deum, salua semper eius virginitate; Et vlterius, vt crederemus hanc prophetissam sine accessu viri, verè & realiter concepisse, & peperisse verum, & naturalem filium hominem ex suis purissimis sanguinibus, ex sola diuina diuinitatis appropinquatione ad eam, & ex solo accessu Spiritus sancti superuentione, & obumbratione super eam; dignatur Deus vti verbo, quo significatur talis accessus; sed etiam, quo aliquando denotatur accessus mariti ad vxorem, quo mulier naturaliter cõcipit; vt intelligeremus, quod Deus ad instar mariti, & sponsi accedens ad istam fœlicissimam prophetissam, fecit, vt verè in suo vtero conciperet filium suum, verum hominem, factum ex suis solis purissimis sanguinibus; & hoc totum salua, & integra eius virginitate; cùm sola diuina actio, & operatio ad hoc admirabile opus concurrerit; ideò apertè loquitur Deus; *Et accedam ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium.*

Hæc orthodoxa doctrina mirè describitur à D. Cyrillo Patriar. Alexan. c. 8. Esa. lib. 6. cuius verba sunt ista: *Et accessit ad prophetissam, & in vtero concepit, & peperit filiũ; Quod non ex sanguine, & carne, neque ex voluntate viri,*

Christi natiuitas secundum carnem peracta fuerit; sed ei insolitè, & vltrà leges humanæ naturæ extiterit; Deus prophetæ reuelauit. Etenim ipse inquit, qui dicit: Cape tibi librum nouum magnum, accessit ad prophetissam. Considera verò, quo pacto hominis pennicillo Christi Mysteriū, nostrisque verbis scribatur: Illud autem accessit pro coijt, vel coniugali ritu communicauit, ex more suo dicit diuina scriptura. Vidit ergo propheta etiam congressus formam cum sancta Virgine, quam prophetissam quoque dicit, rem veram docens; dein autem conceptionem factam ait, filiumque editum. Illud enim sanctissimum corpus ex Spiritu sancto è supernis Verbo formatum esse, cui dubium esse poterit? Qui etiam spiritus, & virtus, ac vis, perquā illud corpus in sancta Virgine formatum fuit, hoc congressus habitu, & figura, obliquè significatur. Primitiæ siquidem factus est Christus hinc eorum, qui sanctificati sunt in spiritu, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt. Natus est ergo ex Spiritu sancto, iuxtà carnem, ipse ante alios, vt & nos quoque per illum nasceremur. Hæc ille. Accedat sanctissimi Doctoris Hieronymi confirmatio; qui hoc c. 8. *sume tibi &c.* sic scribit: *Postquam Isaias domui Dauid promiserat ei, quod Virgo paritura erat filium, cuius nomen Emmanuel, idest nobiscum Deus; rursus sub alia figura partus describitur virginalis.* Hæc ille. Sed certè non alijs verbis, neque alia figura in hoc c. 8. describitur, & describi potest partus virginalis, nisi in præallegatis; *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.* In eo enim consistit figura, quod Deus loquatur more humano, & maritali, vt intelligeremus opo solum diuina hanc prophetissam verè concepisse, & peperisse filium suū Emmanuel integra semper

eius virginitate.

Instabit, & obijciet secundò rudis Iudæus, hanc esse vxorē prophetæ, à cuius nomine, vti eius vxor, denominatur prophetissa. Si Iudæus, & in hoc iudaizantes, haberent exemplum ex sacra scriptura certè garrirent; sed quia non habent, mutescunt. Dicet aliquis, vocari prophetissam, quia vti noua Vxor Isaiæ desumpta fuit ex cætu virginum, quæ in templo seruiebant Deo, quæ vocātur prophetissæ. At qui ità loquitur, nihil probat; Vnde enim sciuit ista? Vbi in scriptura veteri mulier, siuè virgo seruiens Deo, vel orans Deum, vocatur prophetissa? Dicet R. S. in sua glossa, Hanc hangalmah, virginem, siuè puellam vocari prophetissam, וזו תשרה בה רוח הקדש *Vuzu Thisreh bah ruach hacodesc. Et ideò super eam requieuit Spiritus sanctus*; & subdit. *Et non inuenimus mulierem Vxorem prophetæ, quæ vocetur prophetissa; nisi prophetauerit*. Sed si ità est, ostendat mihi in sacra scriptura quænam Vxor prophetæ dicatur prophetissa; non quia Vxor prophetæ; sed quia prophetauerit; nullam certè inuenies. Dices esse istam Vxorem Isaiæ; assumis probandum; nàm vt hoc sciam quod dicis, debes mihi ostendere per aliam scripturam, aliquam vxorem prophetæ vocatam fuisse prophetissam, non quia vxor prophetæ, sed quia requieuit super eam Spiritus sanctus, & prophetauit. Prætereà ostende mihi, vbi ista prophetauerit, certè nullibi reperies. Dicet aliquis prophetauit imponēdo nomen filio suo Emmanuel nomen propheticum; ostendens forè Deum liberatorem ab illa obsidione; sed contrà; nàm hoc nomen Emmanuel, & eius aperta explicatio, & significatio prædicata fuit ab Isaia corā Rege Achaz, & domo Dauid; & populo Iuda, anteq̄ ipsa *hangalmah* conciperet, & pareret illum filium, & vbi

caret eum Emmanuel; & quomodò impositio huius nominis per matrem poterat esse prophetica, noua, & per Spiritum sanctum illi reuelata? Ad quid Spiritus sanctus requiesceret super istam puellam; si iam hoc nomen Emmanuel, & eius significatum, erat notum toti Iudeæ. Hinc colliges falsam esse consequentiam, quàm faciunt ex nostris: Ista mulier vocatur prophetissa, ergo est vxor prophetæ; nàm aliquæ mulieres vocantur prophetissæ, & tamen nullæ fuerunt vxores prophetarum; sicut aliquæ fuerunt vxores prophetarum, & tamen non vocantur prophetissæ; Sarah vxor Abraham qui fuit propheta, non vocatur prophetissa. Ezech. 24. 18. *Et mortua est vxor mea vespere*; nō dicit, *prophetissa vxor mea*. Ose. p. sumit in vxorem mulierem fornicariam, quæ nūquam vocatur prophetissa. Tandem infrà v. 22. luculentor, & magna euidentia ostendo, Isaiam nūquam habuisse, neque filios, neque vxorem.

Præterea audiat RR. Iuniores, & discāt amare, & docere veritatē, & nō somnia. Vbicūq; in sacra scriptura aliqua mulier vocatur prophetissa, describitur à nomine proprio, & personali, à cognatione, & à viro, si habeat illum; & eius prophetia expressè narratur, & quòd prophetauerit, & hac ratione vocetur prophetissa. Quattuor mulieres nūcupatas hoc nomine prophetissa, cum hac supradicta censura, reperio in sacra scriptura, & non plures. Prima est Maria soror Aharon, & Moysis. Exod. 15. 20. *Et sumpsit* מרים הנביאה *Miriam Hanneuiiah; Maria prophetissa soror Aharon tympanum in manu sua*; primo vocatur nomine proprio, *Maria*; Deinde *prophetissa*, Deinde eius cognatio notatur; *Soror Aharon*; & viri illius nulla fit mentio, euidens signum, quod tunc erat, *ngalmah* idest Virgo; si enim maritata, non à fratre soror, sed à viro

uxor

vxor talis viri diceretur, velut de sequentibus exprimit sacer textus. Quòd prophetauerit, probat R. S. ex chabalah, siuè traditione, Nàm antequàm nasceretur Moyses frater minor Aharon, ipsa prædixit, matrem suã forè parituram Moysem, qui redempturus erat Israel. Secundò probatur ex num. 12. *Num per solum Moysem loquutus est Dominus. Nonne, & nobis similiter loquutus est;* Vbi RR. ità dixerunt; quia ipsi ambo fuerunt prophetæ, כי הם היו הנביאים *Chi, hem, haiu, hanneuijm.* Præterea vaticinata est Maria; canendo canticũ illud Exod. non quod illud didicisset à Moyse, sed vt docent RR. ואמרת השירת הזו בעצמה ברוח הקדש *Veomereth hascirah hazu bengazmah beruach hachodesc.* *Et dixit canticum istud à seipsa sicut Moyses, in Spiritu sancto.* Secunda prophetissa refertur Iud. 4. 14. *Deborah* אשה נביאה *iscia Neuiah. mulier prophetissa, vxor Laphidoth.* Hæc nominatur proprio nomine personali, describitur à viro suo, & eius nomen specificatur, & volunt hebræi, quod fuerit Barach. Hæc per spiritum propheticũ iudicabat populum; multa prædixit de Victoria contra Sisaram, & canticum propheticum cecinit. Tertia reperitur 2. Reg. 22. 14. *Ierunt itaque Helcias Sacerdos* אל חלדה הנביאה *el culda Haneuiah; ad Culddam prophetissam, vxorem Sciallum.* Nomẽ personale eius, & viri illi⁹ explicatur, & eius ꝓphetia ibidem distenditur. Quarta habetur l. 2. Esdræ 14. *Memẽto ei Domine prò Tobia, & Sannaballat iuxta opera eorum talia; sed & Nongadiæ prophetissæ; Hanneuiah, & cæterorum prophetarum, qui terrebant me.* Saltem nomine proprio specificatur ista prophetissa. Et dicit R. S. quod hæc, & cęteri prophetarum falsitatis acceperunt mercedem à Sannaballat, & socijs eius, vt terrerẽt Neemiam prophetijs falsis illorum. Hæc ille. Ex his quatuor

tuor prophetissis nulla denominatur talis, quia vxor prophetæ, sed quia primæ tres habuerunt donum prophetiæ, & quarta erat prophetissa falsitatis, quo nomine etiam falsi prophetæ nominantur. Qua ergò ratione dicere possunt RR. hanc nostram esse vxorem Isaiæ? Scriptura tam diligens, & accurata in alijs veris prophetissis describendis, de hac tam insigni, quam somniantur esse vxorem tā celebris, & post Moysem omnium prophetarum primarij, erit Spiritus sanctus tam negligens, & vecors, vt, neque nomen, neque cognationem, neque prophetiam eius meminerit? Quis audebit hoc dicere? Neque iuuabit, si addat Iudæus, quod sufficit eam vocasse prophetissam; cùm alia non poterat intelligi, nisi vxor sua; siquidem eodem penitus tēpore in Israel, & in Iuda poterat esse aliqua alia mulier prophetico spiritu prædita; sicut eodem tempore, & die in diebus regis Iosiæ fuerunt duo prophetæ, Ieremias, Zephaniah, & Culda prophetissa, vt aduertit R. S. 2. reg. 22. 14. Ergò ad maiorem certitudinem debebat Isaias, quando dixit; *Ecce hangalmah, Virgo, vel puella concipiet &c.* Addere conditionem; *Vxor mea*; vt iste hic quàm addit, sed falsò, R. S. in sua glosa; vel nomen eius personale illius exprimere. Dices tandem, hæc omnia satis, immò euidentissimè insinnasse, & demonstrasse in istis verbis; *Et accessi, & concepit, & peperit filiũ.* Certè ista non potuit esse nisi eius vxor. Resp. neque hoc sufficere cum ex prædictis probatum fuerit, illa verba antecedentia, *& adhibui mihi* &c. esse Spiritus sancti, & consequenter, quæ subsequuntur; *& accessi ad prophetissam*; esse eiusdemmet Spiritus sancti; sed si fuissent verba ipsius prophetæ accedentis maritaliter ad suam vxorem, necesse erat, vt omnis auferetur æquiuocatio,

& dubi*tas penitus, quando dixit; *& accessi ad prophetissam;* adderet; *Vxorem meam;* quod cùm non dixerit; abstulit omnem ambigendi locum, quin hæc verba non sint prophetæ; sed Spiritus sancti in visione prophetica illi loquentis. Confirmatur hæc veritas R. Bechai; & R.D. de pomis in suo dictionario pag. 85. col. 4.; & ille Exod. 13. Hæc referunt ex eorum antiquis doctoribus. *Et quidē quod prophetia habitauit super mulierem (id est Saram; & fuit prophetissa sicut Maria, siue maior illa, ideò vocata fuit* וסכא שרה *Iascah Sarah; Coperta, obumbrata Sarah; quia cooperta, siue tecta fuit,* שסכתה ברוח הקדש *beruach hachodesc; Spiritu sancto; vt constat Genes. 21. 12. Omnia quæ dixerit Sarah, audi vocem eius; docens, quod fuit Abraham* טפל *taphel; minor Sarah in prophetia;* Et exposuerunt RR. in tractatu Meghillah. Septem fuerunt prophetissæ; & istæ sunt Sarah, Maria, Debborah, Annah, Culdah, Abhigail, Ester, quod non legit Tost. p. reg. 25. q. 12. qui ex sententia Iudæorum, sed iuniorum, annumerat inter prophetissas, vxorem Isaiæ; Item in *Sader ugolam,* chronologia magna heb. legitur; *Hi sunt quadraginta octo prophetæ, & prophetissæ septem; quæ apud Israelitas vaticinatæ sunt; quarum mentio facta est in scripturis.* Hæc ibi. Sed inter has prophetissas in sacra Scriptura recensitas nullus RR. antiquorum enumerat istam in Isaia, & tamen vocatur à Spiritu sancto prophetissa, cuius insigni titulo neque Sarah, neq; Anna, neque Abhigail decorantur, neque Ester; Et si vocatur prophetissa, quia habitauit Spiritus sanctus in ea, & prophetauit, vt rectè docet R. S. ex doctrina suorum sapientum; Cur isti tui magistri primores ò Iudæe, non solùm non enumerant inter illas septem, sed ne minimum quidem verbum faciūt de ea? Sarah vxor Abra-

gratiam creatam, suprà omnem paternitatem adoptiuã. Et approximatio Messiæ ad Deum est suprà omnem supernaturalem creatam adoptiuam filiationem? & quænam erit ista appropinquatio Dei ad Messiam, nisi quatenus Deus est naturalis, & substãtialis pater Regis Messiæ, per naturam veræ, & æternæ generationis; & Rex Messias est verus, & naturalis filius Dei per verã, & substantialem generationem à Deo patre genitus? sic secũdùm R.D. debent exponi prædicta verba; *Et applicabo eum, & accedet ad me*; non in illa ratione communi; *& eritis mihi in populum*; hoc est in filios adoptiuos per gratiam, & gloriam, *& ego ero vobis in Deum*; hoc est in patrem adoptione, nempè per creationem, & gratiam filios meos adoptiuos regenerando; sic enim, quid excellentius haberet Rex Messias super omnes Angelos, & electos, tàm viatores, quàm beatos; si ista appropinquatio Dei ad ipsum, ipsius ad Deum esset tantùm creata, & per gratiam adoptionis? Ergò debent exponi secundùm sẽsum illorum verborum; *Ego illi in patrem*; certè per generationem diuinam naturalẽ, *& ipse erit mihi in filium*; Certè per filiationem diuinam; verus & naturalis filius veri, & naturalis Dei patris. Et sic rex Messias accessit ad Deum, vt homo per vnionem personalem ad personã diuinam filij, quæ suppositans illud indiuiduum naturæ humanæ in rege Messia, euexit ad infinitam dignitatem vnigeniti, & coæterni filij Dei, ità vt illud indiuiduũ naturæ humanæ in Christo verè sit naturalis filius Dei personaliter; cùm illa natura humana in Christo careat propria personalitate; & personetur à persona; siuè hypostasi filij Dei; Cõsequẽter Deus appropinquauit regi Messiæ, vt Deus pater, vt inquam verus, & naturalis pater sui vnigeniti, & consubstantialis filij; & sic est verus, & nralis pater illius hominis, qui dicitur Christus; cũ non alia persona

sonâ supponitetur ille homo Christus, nisi persona diuina filij Dei patris. Quod altissimum sacramentum Incarnationis filij Dei in Rege Messiâ innuens Ierem. verbis prædictis; *Et applicabo eum, & accedet ad me*; mirè explicat, & fatetur illi hostis acerrimus fidei Christianæ R.D. docens debere intelligi secundùm illud; *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium idest naturalem*; saltem iste R.D. quem scio penitus negare hoc mysterium, Messiam esse Deum, vel filium Dei substantialem, & naturalem, tenetur confiteri multò excellentiorem, & digniorē esse appropinquationem, siue adhæsionem Dei ad regem Messiam, quàm ad cæteros iustos: & hanc esse quatenus Deus est pater Mesiæ, & Mesias filius Dei; quod si persistat hanc esse paternitatem, & filiationem adoptiuam; quid ergò amplius addet sua glossa, docens illa verba dei; *& applicabo eum, & accedet ad me*; debere exponi de rege Mesia; non eo modo, quo de populo Israel, quē Deus fecit appropinquare sibi ab initio, certè, fide, lege, cultu, & gratia; En adoptio filialis; sed eo sensu, quo dicitur de rege Salomone à Deo per prophetàm Nathan 2. Reg. 7. 14. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filiū*. En alia paternitas, & filiatio, quæ erit propria, & solius regis Mesiæ; Et quæ erit ista? certè non adoptiua; nam sic æqualiter omnes iusti sunt filij adoptiui Dei; debet inueniri differentia inter istas duas filiationes, iustorum, & regis Mesiæ; Si de solo Mesia intelligitur, Iy, *Et applicabo eum, & accedet ad me*; secundùm hunc sensum singularem, & partialem soli Mesiæ proprium; *Ego ero illi in patrē*; vt præsupponit, & intendit R.D. pro cuius rei dilucidatione

Notandum est secundùm RR. & veritatem. Verba, & promissiones magnas, quas dixit Nathan propheta regi Da-

uid ex ore Dei, 2. Reg. 7. 12. 13. 14. *Cumque cōpleti fuerint dies tui, & dormieris cū patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo; & firmabo regnū eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium; qui si iniquè aliquid gesserit arguam eum in virga uirorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiā aūt meā nō auferā ab eo sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea.* Hæc inquam prophetica verba exponunt omnes ad litteram de Rege Salomone, & de Rege Mesſia, verùm cum maxima differentia; Nàm de Salomone litteraliter, partialiter, ad tempus præfinitū; quo ad omnia, quæ promittuntur illi à Deo, tùm quia regnum eius nundùm durauit in suis posteris, nisi quadringentis annis, vsque ad captiuitatem Babilonicam, quòd tempus longum vocatur ab heb. עלם *ngolam*, idest æternum; At regnum Mesſiæ est verè æternū in hoc sæculo, & futuro æternitatis; *Regnum tuū, regnum omniū sæculorum.* Tùm quia illud; *Ego ero illi in patrem*; exponitur de paternitate, & filiatione adoptiua per gratiam, quàm penitus amisit Salomon apostasia, & Idololatria; Et R. D. exponit hoc pacto. *Ero illi in patrem; Corripiā eum propter peccatum suū, sicut corripit pater filium suū; non auferā ab eo regnum, sicut abstuli à Saule; sed regnū erit filijs suis usque in sæculum.* Hæc ille. Immò, vt habetur p. par. 22. 10. Moriens Dauid, & fabricam templi commendans filio Salomoni, reddit ratione, quia à Deo ad tale opus erat electus, tamquam filius, *Ipse ædificabit domum nomini meo; Et ego ero illi in patrem*; qui omnes respectus filiationis, & paternitatis sunt extrinseci, & tēporales, & finiti. At in rege Mesſia opus est fit ista diuina filiatio interna, substantialis, & essentialis; ità vt sit sensus iam explicatus; *& ipse erit mihi in filium*; Hoc est

erit

erit meus naturalis, & consubstantialis filius à me ex mea essentia genitus ab æterno; vti apertissimis verbis per os tuum de rege Messia loquens, Vocaui eum filium meum in æternitate à me genitum; בני אתה אני היום ילדתיך *beni athah ani haiom ielidthicha; Filius meus es tu, ego hodie genui te*; psal. 2. 7. Quare litteraliter quidem, sed extrinsecè, partialiter, & accidentaliter dicitur de Salomone; *& ipse erit mihi in filium*; At de rege Messia; siue dicas litteraliter, vnam enim litteram duplicem sensum litteralem haberi aliquandò, fatentur etiam RR., vt in hoc loco; siue dicas allegoricè, conueniunt ei propriissimè, intrinsecè, substantialiter, & plenissimè eadem verba; *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*; quæ sunt explicatiua verborum Ieremiæ; *& applicabo eum, & accedet ad me*; per vnionem personalem humanitatis Christi ad verbum diuinum vti diximus.

Hoc ineffabile mysterium vnionis naturę, & carnis humanę cum persona diuina filij Dei, voluit Spiritus sanctus, non sine ratione, explicare per hoc verbum, *Charau*; quo significatur, appropinquatio, adhęsio, accessus, etiam maritalis viri cum vxore, ratione cuius, cum sint duo fit vnũ in carne vna; Et hoc est, quod clarè promittit Deus, in hac nostra prophetia, operaturus tamquam pater accedendo ad prophetissam; *Et accedam* ואקרב *Veachrau ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium*; Certè hic accessus ad prophetissam à Deo promissus, non fuit mutatione loci, Deus enim intimè per illapsum, vt loquuntur theologi, est in omni creatura præsens, propinquus, & intimus; sed per nouam, & admirabilem operationẽ, quatenus tempore præfixo, sua infinita omnipotẽtia, & sapientia, huic eximiæ prophetissæ, & virgini integerrimæ conferret virtutem concipiendi in suo vtero filium

mulierem; hic omnipotens Deus dabit ipe faciet ipse hoc prodigium, quod virgo se sola sine viro virgo concipiat, & virgo pariat filium verum hominem, & verum Deum. Deinde ipsemet Deus, vt sciremus, & crederemus quomodo ista celeberrima virgo prophetissa posset concipere, & parere semper virgo, sine accessu viri; testatur hoc capite, quod ipsemet Deus accedet ad istã Eminentissimam prophetissam virginem miro, & inaudito modo sua infinita, & omnipotenti virtute operabitur, & faciet, vt in vtero suo concipiat, & ex vtero suo pariat verum filium suũ Emmanuel, verum hominem, & verum Deum, salua semper eius virginitate; Et vlterius, vt crederemus hanc prophetissam sine accessu viri, verè & realiter concepisse, & peperisse verum, & naturalem filium hominem ex suis purissimis sanguinibus, ex sola diuina diuinitatis appropinquatione ad eam, & ex solo accessu Spiritus sancti superuentione, & obumbratione super eam; dignatur Deus vti verbo, quo significatur talis accessus; sed etiam, quo aliquando denotatur accessus mariti ad vxorem, quo mulier naturaliter cõcipit; vt intelligeremus, quod Deus ad instar mariti, & sponsi accedens ad istam fœlicissimam prophetissam, fecit, vt verè in suo vtero conciperet filium suum, verum hominem, factum ex suis solis purissimis sanguinibus; & hoc totum salua, & integra eius virginitate; cùm sola diuina actio, & operatio ad hoc admirabile opus concurrerit; ideò apertè loquitur Deus; *Et accedam ad prophetissam, & concipiet, & pariet filium.*

Hæc orthodoxa doctrina mirè describitur à D. Cyrillo Patriar. Alexan. c. 8. Esa. lib. 6. cuius verba sunt ista: *Et accessit ad prophetissam, & in vtero concepit, & peperit filiũ; Quod non ex sanguine, & carne, neque ex voluntate viri,*

Christi natiuitas secundùm carnem peracta fuerit; sed ei insolitè, & vltrà leges humanæ naturæ extiterit; Deus prophetæ reuelauit. Etenim ipse inquit, qui dicit: Cape tibi librum nouum magnum, accessit ad prophetissam. Considera verò; quo pacto hominis penicillo Christi Mysteriũ, nostrisque verbis scribatur: Illud autem accessit pro coijt, vel coniugali ritu communicauit, ex more suo dicit diuina scriptura. Vidit ergo propheta etiam congressus formam cum sancta Virgine, quam prophetissam quoque dicit, rem veram docens; dein autem conceptionem factam ait, filiumque editum. Illud enim sanctissimum corpus ex Spiritu sancto è supernis Verbo formatum esse, cui dubium esse poterit? Qui etiam spiritus, & virtus, ac vis, perquã illud corpus in sancta Virgine formatum fuit, hoc congressus habitu, & figura, obliquè significatur. Primitiæ siquidem factus est Christus hinc eorum, qui sanctificati sunt in spiritu, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo geniti sunt. Natus est ergo ex Spiritu sancto, iuxtà carnem, ipse ante alios, vt & nos quoque per illum nasceremur. Hæc ille. Accedat sanctissimi Doctoris Hieronymi confirmatio; qui hoc c. 8. *sume tibi &c.* sic scribit: *Postquam Isaias domui Dauid promiserat ei, quod Virgo paritura erat filium, cuius nomen Emmanuel, id est nobiscum Deus; rursus sub alia figura partus describitur virginalis.* Hæc ille. Sed certè non alijs verbis, neque alia figura in hoc c. 8. describitur, & describi potest partus virginalis, nisi in præallegatis; *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.* In eo enim consistit figura, quod Deus loquatur more humano, & maritali, vt intelligeremus opo solùm diuina hanc prophetissam verè concepisse, & peperisse filium suũ Emmanuel integra semper

eius virginitate.

Instabit, & obijciet secundò rudis Iudæus, hanc esse vxorē prophetæ, à cuius nomine, vti eius vxor, denominatur prophetissa. Si Iudæus, & in hoc iudaizantes, haberent exemplum ex sacra scriptura certè garrirent; sed quia non habent, mutescunt. Dicet aliquis, vocari prophetissam, quia vti noua Vxor Isaiæ desumpta fuit ex cætu virginum, quæ in templo seruiebant Deo, quæ vocatur prophetissæ; At qui ità loquitur, nihil probat; Vnde enim sciuit ista? Vbi in scriptura veteri mulier, siuè virgo seruiens Deo, vel orans Deum, vocatur prophetissa? Dicet R. S. in sua glossa. Hanc hangalmah, virginem, siuè puellam vocari prophetissam, ונזו תשרה בה רוח הקדש *Vuzu Thisreh bah ruach hacbodesc, Et ideò super eam requieuit Spiritus sanctus*; & subdit. *Et non inuenimus mulierem Vxorem prophetæ, quæ vocetur prophetissa; nisi prophetauerit.* Sed si ità est, ostendat mihi in sacra scriptura quænam Vxor prophetæ dicatur prophetissa; non quia Vxor prophetæ; sed quia prophetauerit; nullam certè inuenies. Dices esse istam Vxorem Isaiæ; assumis probandum; nàm vt hoc sciam quod dicis, debes mihi ostendere per aliam scripturam, aliquam vxorem prophetæ vocatam fuisse prophetissam, non quia vxor prophetæ, sed quia requieuit super eam Spiritus sanctusq; & prophetauit. Præterea ostende mihi, vbi ista prophetauerit, certè nullibi reperies. Dicet aliquis prophetauit imponēdo nomen filio suo Emmanuel tamquam propheticum; ostendens forè Deum liberatorem ab illa obsidione; sed contra; nam hoc nomen Emmanuel, & eius aperta explicatio, & significatio prædicata fuit ab Isaia corā Rege Achaz, & domo Dauid, & populo Iuda, anteq; ipsa *hangalmah* conciperet, & pareret illum filium, & vbi

caret eum Emmanuel; & quomodò impositio huius nominis per matrem poterat esse prophetica, noua, & per Spiritum sanctum illi reuelata? Ad quid Spiritus sanctus requiesceret super istam puellam; si iam hoc nomen Emmanuel, & eius significatum, erat notum toti Iudeæ. Hinc colliges falsam esse consequentiam, quàm faciunt ex nostris. Ista mulier vocatur prophetissa, ergo est vxor prophetæ; nàm aliquæ mulieres vocantur prophetissæ, & tamen nullæ fuerunt vxores prophetarum; sicut aliquæ fuerunt vxores prophetarum, & tamen non vocantur prophetissæ; Sarah vxor Abraham qui fuit propheta, non vocatur prophetissa. Ezech. 24. 18. *Et mortua est vxor mea vespere*; nō dicit *prophetissa vxor mea*. Ose. p. sumit in vxorem mulierem fornicariam, quæ nūquam vocatur prophetissa. Tandem infra v. 22. luculentor, & magna euidentia ostendo, Isaiam nūquam habuisse, neque filios, neque vxorem.

Præterea audiat RR. Iuniores, & discat amare, & docere veritatē, & nō somnia. Vbicūq; in sacra scriptura aliqua mulier vocatur prophetissa, describitur à nomine proprio, & personali, à cognatione, & à viro, si habeat illum; & eius prophetia expressè narratur, & quòd prophetauerit, & hac ratione vocetur prophetissa. Quattuor mulieres nūcupatas hoc nomine prophetissa, cum hac supradicta cēsura, reperio in sacra scriptura, & non plures. Prima est Maria soror Aharon, & Moysis. Exod. 15. 20. *Et sumpsit* מרים הנביאה *Miriam Hanneuiiah; Maria prophetissa soror Aharon tympanum in manu sua*; primo vocatur nomine proprio, *Maria*; Deinde *prophetissa*, Deinde eius cognatio notatur; *Soror Aharon*; & viri illius nulla fit mentio, euidens signum, quòd tunc erat, *ngalmah* idest Virgo; si enim maritata, non à fratre soror, sed à viro

uxor

vxor talis viri diceretur, velut de sequentibus exprimit sacer textus: Quòd prophetauerit, probat R. S. ex chabalah, siuè traditione, Nàm antequàm nasceretur Moyses frater minor Aharon, ipsa prædixit, matrem suã fore parituram Moysem, qui redempturus erat Israel. Secundò probatur ex num. 12. *Num per solum Moysem loquutus est Dominus. Nonne, & nobis similiter loquutus est;* Vbi RR. ità dixerunt; quia ipsi ambo fuerunt prophetæ, כי הם היו הנביאים *Chi, hem, haiu, hanneuijm.* Præterea vaticinata est Maria, canendo canticũ illud Exod. non quod illud didicisset à Moyse, sed vt docent RR. ואמרת השירה הזו בעצמה ברוח הקדש *Veomereth hascirah hazu bengazmah beruach hachodesc.* *Et dixit canticum istud à seipsa sicut Moyses, in Spiritu sancto.* Secunda prophetissa refertur Iud. 4. 14. *Deborah* אשה נביאה *iscia Neuiah. mulier prophetissa, vxor Laphidoth.* Hæc nominatur proprio nomine personali, describitur à viro suo, & eius nomen specificatur, & volunt hebræi, quod fuerit Barach. Hæc per spiritum propheticũ iudicabat populum; multa prædixit de Victoria contra Sisaram, & canticum propheticum cecinit. Tertia reperitur 2. Reg. 22. 14. *Ierunt itaque Helcias Sacerdos* אל חלדה הנביאה *el culdah Haneuiah; ad Culdam prophetissam, vxorem Sciallum.* Nomẽ personale eius, & viri illi⁹ explicatur, & eius pphetia ibidem distenditur. Quarta habetur l. 2. Esdræ 14. *Memẽto ei Domine prō Tobia, & Sannaballat iuxta opera eorum talia; sed & Nongadiæ prophetissæ Hanneuiah, & cæterorum prophetarum, qui terrebant me.* Saltem nomine proprio specificatur ista prophetissa. Et dicit R. S. quod hæc, & ceteri prophetarum falsitatis acceperunt mercedem à Sannaballat, & socijs eius, vt terrerẽt Neemiam prophetijs falsis illorum. Hæc ille. Ex his quatuor

uxor prophetissis nulla denominatur talis ; quia vxor prophetæ ; sed quia primæ tres habuerant donum prophetiæ ; & quarta erat prophetissa falsitatis ; quo nomine etiam falsi prophetæ nominantur. Quâ ergò ratione dicere possunt RR. hanc nostram esse vxorem Isaiæ ? Scriptura tam diligens ; & accurata in alijs veris prophetissis describendis ; de hac tam insigni ; quam somniantur esse vxorem tā celebris, & post Moysem omnium prophetarum primarij, erit Spiritus sanctus tam negligens, & vecors, vt, neque nomen, neque cognationem, neque prophetiam eius meminerit? Quis audebit hoc dicere ? Neque iuuabit, si addat Iudæus, quod sufficit eam vocasse prophetissam ; cùm alia non poterat intelligi, nisi vxor sua ; siquidem eodem penitus tēpore in Israel, & in Iuda poterat esse aliqua alia mulier prophetico spiritu prædita ; sicut eodem tempore, & die in diebus regis Iosiæ fuerunt duo prophetæ, Ieremias, & Zephaniah, & Culda prophetissa, vt aduertit R.S. 2. reg. 22. 14. Ergò ad maiorem certitudinem debebat Isaias, quando dixit ; *Ecce hangalmah, Virgo, vel puella concipiet &c.* Addere conditionem ; *Vxor mea* ; vt iste hic quàm addit, sed falsò, R.S. in sua glossa ; vel nomen eius personale illius exprimere. Dices tandem, hæc omnia satis, immò euidentissimè insinuasse, & demonstrasse in istis verbis ; *Et accessi, & concepit, & peperit filiū.* Certè ista non potuit esse nisi eius vxor. Resp. neque hoc sufficere cum ex prædictis probatum fuerit, illa verba antecedentia ; *& adhibui mihi* &c. esse Spiritus sancti, & consequenter, quæ subsequuntur ; *& accessi ad prophetissam* ; esse eiusdemmet Spiritus sancti ; sed si fuissent verba ipsius prophetæ accedentis maritaliter ad suam vxorem, necesse erat, vt omnis auferetur æquiuocatio,

& dubietas penitus, quando dixit; *Et accessi ad prophetissam*; adderet; *Vxorem meam*; quod cùm non dixerit; abstulit omnem ambigendi locum, quin hæc verba non sint prophetæ; sed Spiritus sancti in visione prophetica illi loquentis. Confirmatur hæc veritas R. Bechai, & R. D. de pomis in suo dictionario pag. 85. col. 4. & ille Exod. 13. Hæc referunt ex eorum antiquis doctoribus. *Et quidē quod prophetia habitauit super mulierem (id est Saram; & fuit prophetissa sicut Maria, siue maior illa, ideo vocata fuit* יסכה שרה *Iascah Sarah; Cooperta, obumbrata Sarah; quia cooperta, siue tecta fuit,* שסכתה ברוח הקדש *beruach hachodesc; Spiritu sancto; vt constat Genes. 21. 12. Omnia quæ dixerit Sarah, audi vocem eius; docens, quod fuit Abraham* טפל *taphel; minor Sarah in prophetia;* Et exposuerunt RR. in tractatu Meghillah. Septem fuerunt prophetissæ; & istæ sunt Sarah, Maria, Debborah, Annah, Culdah, Abhigail, Ester, quod non legit Tost. p. reg. 25. q. 12. qui ex sententia Iudæorum, sed iuniorum, annumerat inter prophetissas, vxorem Isaiæ; Item in *Seder ngolam*, chronologia magna heb. legitur; *Hi sunt quadraginta octo prophetæ; & prophetissæ septem; quæ apud Israelitas vaticinatæ sunt; quarum mentio facta est in scripturis.* Hæc ibi. Sed inter has prophetissas in sacra Scriptura recensitas nullus RR. antiquorum enumerat istam in Isaia, & tamen vocatur à Spiritu sancto prophetissa, cuius insigni titulo neque Sarah, neq; Anna, neque Abhigail decorantur, neque Ester; Et si vocatur prophetissa, quia habitauit Spiritus sanctus in ea, & prophetauit, vt rectè docet R. S. ex doctrina suorum sapientum; Cur isti tui magistri primores ò Iudæe, non solùm non enumerant inter illas septem, sed ne minimum quidem verbum faciūt de ea? Sarah vxor Abra-

-*liuetani.* O ham,

ham, Deborah vxor Lapidoth, Anna vxor Alchanæ, Culdah vxor Sciallum, Abigail vxor Dauid, & ista vxor, per te, tam nobilissimi Prophetæ non numeratur à tuis sapientibus inter has prophetides, neque vocatur vxor illius, quod certè facere debuissent, si per te, quæ hîc vocatur prophetissa, erat vxor Isaiæ, tùm quia insignitur hoc sublimi titulo, quo neque Sarah, neque Anna, neq; Ester, neque Abigail decorantur. Tùm quia, vt asserit R.S. ex antiquorum suorum traditione, super istam prophetissam requieuit Spiritus sanctus, & vaticinata est. Certè cùm ita sit, cur tui sapientes hanc celeberrimam non numerauerunt inter illas? Vis scire quare? nisi quia illæ septem prophetides, verè, realiter, & personaliter suis temporibus fuerunt in rerum natura, extiterunt, & vaticinatæ sunt; & illarum vaticinia, nomina personalia, cognationes, & status in sacra scriptura describũtur; At ista, *hangalmah*, Virgo; & *hanneuiah*, prophetissa, nõ erat, & non fuit tunc temporis, existens in rerum natura personaliter, & vxor Isaiæ, vt tu somniaris; sed tantũ fuit reuelata Isaiæ in visione ꝑphetica imaginaria ipsi Isaiæ; & quod tempore futuro ventura erat ista prophetissa; & ad eam, vidit in eadem visione, quod accedere debebat Spiritus sanctus; *Et accedam ad prophetissam*; ex quo diuino accessu concepit, & peperit filium. Si enim hæc prophetissa tunc verè extitisset vxor prophetæ in Israel, & vaticinata esset, cùm illius aperta mentio fiat in scripturis; nullo modo præterijssent illam enumerare inter alias prophetides, quæ apud Israelitas vaticinatæ sunt, quarum mentio facta est in scripturis. Dum ergò istam sub silentio prætereunt, signum est tantùm fuisse reuelatam prophetæ in visione imaginaria; quæ ideò vocatur prophetissa, quia Spiritus sancti ope, & vi, qui prophetas

supernaturaliter illuminauit, concepit, & peperit, & genuit ex sua substantia, & purissimis sanguinibus effectiuè concurrendo, & suo humilissimo consensu cooperando; genuit, inquam, illud magnum pietatis mysterium. Verbum caro factum, omnium prophetarum, & summũ orbis prophetam regem Mesiam, Iesum Nazarenum; Ideò vt operatrix tàm insignis prodigij omnium diuinorum attributorum, & gratiarum epitome, meritò nominatur prophetissa augustissima, & sublimissima. Atque hoc pacto, cùm omnia prędicta vidisset Isaias mentaliter per imagines spirituales, & audisset à Deo semper in eadem visione continuata serie secum loquente; tandem ab eodem iubetur illi, quod infanti filio prophetissæ imponat nomen illud, quod paulò ante iussus fuerat scribere in magno volumine. De quo nomine versu sequenti. Vide infra v. 22. hùc enim spectant.

VERSVS TERTIVS.

Et dixit Dominus ad me; Voca nomen eius; Accelera spolia detrahere, festina prædare.

CAPVT PRIMVM.

Quæritur, quid senserint RR. circa hoc hyeroglyficum Nomen.

Veteres RR. quorum libri extant, & legi posũt, nihil circa totam hanc prophetiam nobis reliquerunt; non quod non scripserint; sed quia eorum scripta à recentioribus corrupta fuerũt. Nam Euse. lib. 7. demost. 2. Refutat Iudæos quatenus de futuro Mesia hæc intelligebant; ergo veteres RR. hæc de Christo, siue Mesia intelligebant. Moderni ab hinc quingentis annis, vt

O 2 R.S.

R. S. R. D. R. Abr. exponunt omnia ista Capitis septimi, octaui, & noni de tempore Isaiæ, omninò negantes hîc agi de rege Messia; sed omnia adimpleta fuisse anno quarto Regis Achaz. R. S. vult duo nomina imponi vni, & eidem filio, *hangalmah*, quæ est eadem hîc prophetissa, & ambo in signum, & portentosa. Primum nomen fuit Emmanuel, quo duo significabantur; tum Ierusalem & domum Dauid citò liberandam ab illa præsenti obsidione illorum Regum Rezin, & Phaceæ; tùm futuram liberationem ab exercitu Senacherib tempore Ezechię. Alterum nomen est præsens; *Accelera spolium, festina prædam*; signum prognosticum quattuor euētuū; primus fuit ablatio fortitudinis Damasci, occisionis illius regis, & Damascenorum in Cyrenen transmigratio. Secūdus euentus fuit direptio spoliorum Samariæ, & illius regis occisio; quæ omnia per ipsum, anno quarto sui regni Achaz, adimpleta fuere. Tertius euentus fuit aduētus Salmanasar; quem falsò vocat semper Senacherib, ad spoliandum omnem facultatem decem tribuum, & ducendum in captiuitatem decem tribus in Assyriam. Quartus euentus est aduentus Nabuchdon. post eum ad deprædandum regem Sedeciam, & seculum eius in captiuitate Babylonica. Ita ipse docuit suprà, & certè illa quatuor nomina in magno volumine scripta nihil aliud sunt, quam nomen pueri nasciturì; ergò pari ratione eadem erunt significata, & mysteria secundùm eundem R. D. qui fingit, *hangalmah*, esse vxorem Achaz, & istā prophetissam vxorem Isaiæ, nullibi neque versu primo, neque hoc versu tertio, exponit significatum aliquod harum dictionum; sed tantùm obseruat hebraismum, repetitionem nempè eiusdem rei duabus dictionibus; ita vt sint ista duo; *Accelera spolium, festina prædam*, veluti

synonima; quæ reduplicatio fit ad augendum vigorem significati; & in lingua sancta habet vim, & gradum superlatiui; ita vt his verbis denotetur aliqua insignis prædа fienda; aliqua admirabilis victoria obtinenda ab isto puero prophetissæ filio.

Nos qui veritatem sequimur, qui etiam secũdum antiquos RR. scimus, & probauimus; Qui accessit ad prophetissam fuisse Deum, & quem ipsa concepit, & peperit filiũ, esse filium Dei, & ideò Deus pater huius filij, præcipit Isaiæ, vt illi imponat tale nomen, *Accelera spolium, festina prædam*. Deus est qui imponit nomen infanti; ergò Deus est pater, patris enim est imponere nomen filio; qui filius Dei non potest esse alius quam Rex Messias; Nos, inquam, qui hanc probatam veritatem, & inferius etiam probãdam, sequimur, in hoc mystico nomine duo significata recognoscimus; primum litterale, quod spectat ad præsentem historiam; quod, nempè significetur Ablatio fortitudinis Damasci; & deprædatio spoliorũ Samariæ, meritò, beneficio, & auxilio huius infantis, & liberatio Ierusalem ab obsidione præsenti, nunc luculẽter explicabimus. Deinde continet hæc deprædatio, hæc liberatio longè maius significatum, quod hoc temporale, si quidem est figura, & typus liberationis totius mundi à peccato, & diabolo direptionis spoliorum Satanæ, quæ sunt animæ ab eius captiuitate eruendæ. Quæ omnia supernaturalia, & admiranda, quia fienda erant per hunc filium Dei, & prophetissæ, nempè per Regem Messiam Iesum Nazarenum, ideò Deus illius pater præcipit prophetæ, vt vocet eum, *Acceleratorem spoliorum, festinatorem prædæ*; Quod deinde clarissimè videbimus parté secunda huius tractatus, & hebræi fatebuntur.

Nota quarto, quando alicui personæ, cui est suum nomen proprium; hoc tacito, & supposito, aliud nomen imponitur, & dicitur, quod sic & sic vocandus erit, verè nō est sensus, quod relicto primo nomine proprio, isto nouo sit vocandus; sed significatur, & vaticinatur, quod talis futurus erit operibus egregijs, vt rectè, & meritò vocari possit illis nominibus, quæ significant res ab eo præclarè agendas, 2. Sam. 12. 14. Salomon fuit bynomius; nomine proprio שלמה *scelomoh*, alio nomine ידידיה *Iedideiah*; dilectus Domini, cui Deus tantùm sapientiam tribuit, nam diligebat eum. Iud. 6. 32. Gedeon obediens voci Dei, destruendo Aram patris sui Idololatræ, & nemus, quod erat circa aram succidendo, vocatus fuit ירבעל *Ierubangal*; idest fortiori idolo bangal, quia non vindicauit se de eo, cuius altare destruxerat; quare ista erunt potius agnomina, & epitheta quā nomina; & sic videmus, quod scriptura tàm de Salomone, quàm de Gedeone, pergit semper eos vocando suis proprijs, & primis nominibus, alijs relictis. Quod de rege Messia confitetur RR., apud quos nomen proprium Messiæ vel est הגאל *hagoel*, Redemptor, vel משיח *mosciangh*, Saluator; tamen assignāt illi, ex sacris Scripturis, octo alia nomina; non quod vocetur Messias his nominibus; sed quia talis erat futurus realiter in seipso, cum illis qualitatibus, & realitatibus, quæ istis nominibus designantur. Vocatur filius, ps. 72. 17. *Ante solem*; ינון שמו *Innon scemo*; *filius nomen eius*; idest ab æterno est filius Dei. *Vocatur Deus* יהוה צדקנו *ihenuah iustitia nostra*, Ier. 23. 6. quia verus Deus iustificabit peccatores. Vocatur צמח *tzemach*; *Germen oriens*; Zach. 6. 12. quia ab eo orietur omne bonum. Vocatur מנחם *menachem*; *Consolator*; Isa. 51. 3. Nam in eo omnis nostra consolatio. Vocatur דוד *Dauid*, Iere. 34. 9. Quia

ex

ex posteritate regis Dauid oriūdus. Vocatur שלה *scilob*, Gen.49.10.quia ex virgine matre nascetur verus Deus, & homo. Vocatur אליאה *Eliahu*, Malach.4.5.,sed qua ratione ignoro;Ita RR.in Medrasc Miscleh expositione mystica prouerbiorum, fol.71.col.3. quæ omnia verba, & multa alia vera, & realia connotant tantùm in rege Messia, qualitates, & effectus reales in ipso, & ab ipso emanantes effectiuè, vt patet.

Nota quinto veram esse sententiam R. S. & antiquorum; eundem esse filium,*hangalmah*,qui cap. 7. vocatur Emmanuel;& filium prophetissæ,qui hoc c.8.vocatur;*Accelera spolium &c.*Nam de eodem eadem repetit,ac prædicit scriptura vtrobiquè sub diuersis verbis;cap.siquidē sept. dicitur de Emmanuele; *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum; derelinquetur terra, quam tu destaris,à facie duorum regum eius*;hoc ėst terra illorum duorum regum, illorū regna, Syriacum, & Ephraimiticū,quæ tu odis, & detestaris, propter duos reges illorum, propter Phecach regem Samariæ, & Rezin, regem Damasci,qui tibi tā fuerunt,& nunc sunt infensi; Terra,inquam,siue regna horum regum derelinquentur à suis regibus,habitatoribus,ciuibus,& populis;*Ephraim, decem tribus,desinent esse populus*; & Respubl. in terra sua; sed hac derelicta, & sua metropoli Samaria deprædata,ducētur captiui in Assyriam;ita Damascus desinet esse populus,qui captiuus ducetur in Cyrenen,quæ omnia euenient;*Antequam sciat puer reprobare*;idest antequam nascatur. Porrò eadem pænitus verba dicuntur hoc cap. de filio prophetissæ; *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ* quibus verbis affertur causa, cur illa duo regna Samariæ, & Damasci derelinquentur

linquentur

linquentur à suis regibus, & populis; quia iste puer, mediante rege Assyriorum, spoliabit, deprædabitur ista duo regna, cuius habitatores, amittendo formam regni, & Reipub., cessabunt esse populi in captiuitatem ducti. Quam spoliationem, deprædationem duorum regnorũ, quia adimplenda erat ab ipsomet puero Emmanuele, ideò Deus præcipit Isaiæ, vt imponeret illi nomen, quod totum significaret, & portenderet, nempè, *Accelera spolium, festina prædam*; vt potè qui horum omnium euentuum, & aliorum mysticorum, & mirabilium effectuum, futurus erat ipse Emmanuel author, & causa; Hinc colliges quam ineptè R.D. Comminiscatur non esse eandē; *hangalmah*, & *prophetissam*; sed duas mulieres, & pariter duos filios, *Emmanuel*, & qui vocatur hic, *Accelera spolium*; Ad quid enim hic secundus filius; cũ de vtroque eadem penitus vaticinetur propheta? Dices in hoc secundo filio non solùm prædicit Isaias deprædationem Damasci, & Samariæ; sed vlterius accelerationem; hoc est contra tuum dictum, Versu 4. *Quoniam antequam sciat puer vocare patrem*, vbi tua sunt illa verba; *Tēpus idem est hoc cum illo, quod dictum est supra de filio Achaz; Antequam sciat puer reprobare &c.* Ergò cùm vtrobiq; sit idem tempus significatum deprædationis Damasci, & Samariæ; ficta est ista acceleratio, & aliud occultum, & mysticum significatum in illa festinatione innuitur. His itaquè constitutis. RR. omnes, & aliqui ex nostris asserunt hoc nomen; *Accelera spolium, festina prædam*; impositum puero prophetissæ, fuisse solùm vocale, verbale, & extrinsecum ipsi nato, quatenus erat tantùm signum prognosticum portentans breui; illorum duorum regum, & regnorum excidium; non quod ipse puer debellaturus esset magna celeritate Syros, & Samaritas; victo-

victoriam, & spolia ipsemet bellando, reportaturus; & bene quidem, si hæc nomina de filio Isaiæ dicerentur, vt ipsi existimant; quod est falsissimum; ideò

Statuendum est; & omnino catholicè tenendum cum omnibus Patribus; hæc nomina dici de rege Messia verè, realiter, & intrinsecè; tùm in ordine ad litterales, & grãmaticales euentus prædictos; Ablationis fortitudinis Damasci, & spoliorum Samariæ; tùm multò maius, in ordine ad litterales, allegoricos, & principaliter intẽtos à Spiritu sancto, euentus spirituales, & mysticos; Ablationis fortitudinis, & spoliorum infernalis Luciferi, quæ auferentur à Rege Messia, de quo sensu litterali, siue allegorico prophetiæ, parte secunda agetur; Nũc agendo de primò sensu spectante ad litteram, & historiam prophetiæ; ostendamus hæc quatuor nomina nullo modo conuenire filio Isaiæ; sed verè, realiter, & intrinsecè filio, *hangalmah*, siue prophetissæ, qui est Rex Messias. Sic arguo: Quotiescunq; hæc nomina prophetica, & hieroglyfica; *Accelera spolium, festina prædam*; imponuntur à Deo, per prophetam, huic filio prophetissę propriè, actiuè, & realiter; itaut Deus præcipiat, & imperet isti puero infanti, vt summa celeritate vincat hostes, & auferat fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ; Certissimè filio Isaiæ nequaquam conuenire possunt. Quomodo enim infans vix nati hæc omnia bellica præstare poterit? sed quod ita sit, adeò apertè sacer textus indicat, vt mirer perfidam cęcitatem RR. & sequaciũ; Minor probatur. Nam, huius nominis; *Accelera spoliũ, festina prædam*, immediatè subiungitur eius significatũ, & causa impositionis; *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ à facie Regis Assyriorũ*; In hebr.

ly, *auferetur*, legitur actiuè ישא *issa*, *auferet*; ita conformiter legit Ionathan Caldæus ante Christum ישבי *iscbbe* actiuè *captiuabit, auferet*; si enim esset tertia persona passiua, scriptum esset ישבה *ishsccbbe*; *Captiuabitur, auferetur*. Pari modo legerunt Septuaginta, *capiet*; & quod actiuè sit legendum, ostendit syntaxis grammaticalis; nã dictio את *eth*, quæ præcedit vocem חיל *chail*, quã traducit vulgatus, *fortitudo Damasci*; & etiam præcedit eadem dictio את *eth* vocem *scelal*; quã traducit vulgatus; *&* *spolium Samariæ*, accusatiuum postulat, & denotat constructionem verbi esse actiuam, & non passiuam, & eò magis, quò nominatiuus agẽs exprimitur in oratione; erit ergò litteralis, grammaticalis, candida, & germana lectio: *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferet* (certè iste puer) *fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ*; quam lectionem sequuti sunt omnes sancti Patres. Cùm ergò casus nominatiuus agens, & operans huius verbi actiui futuri, *auferet*; sit ille puer præcedens, cui à Deo imperatiuè imponitur, tanquam vero operatori, nomen huic muneri appropriatum; *Accelera spolium, festina prædam*; iste puer filius prophetissæ erit ille ablator festinus fortitudinis Damasci, & spoliorum Samariæ; Opus correspondet nomini; ergò est nomen reale, & intrinsecum nominato; Et si filio Isaiæ repugnat; cui conueniet nisi regi Messiæ? Vidit & perspexit R. D. hanc lucidissimam veritatem, quam vt obscuraret; quod est eius peccatum frequens, dicit, quod hoc futurũ, *auferet*, caret nominatiuo agente. Adducit exemplum, Gen. 48. 1. vbi vulgata lectio habet in passiuo; *Et nunciatũ est Iosepho*; in fonte legitur actiuè apud Hebræos ויאמר ליוסף *Vaiomer leioseph*; *Et dixit Iosepho: Ecce pater tuus infirmatur*; hic non est nominatiuus agens, sed in-

telligitur, ideſt המגיד *hammaghid*; *Annunciator dixit Ioſepho*; Et docet R. D. multas eſſe ſimiles ſcripturas abbreuiatas loquutione, qualis eſt iſta hoc loco; *Aufere fortitudinē Damaſci*; ſubintelligitur nominatiuus agens הנושא *hanoſch*, ideſt, *ablato auferet*; Concedo quod de truncatis loquutionibus docent grammatici; ſed solùm habet locum, vbi deeſt nominatiuus agens. Quæro .n. quis eſt iſte ablator, qui auferet fortitudinem Damaſci? Declara, expone. Certè non erit Rex Aſſur; cum ſcriptura dicat לפני מלך אשור *liphne melech aſciur*; cuius ſenſus eſt; *Coram, viuente, regnante rege Aſſyriorum*; vnde non poteſt eſſe nominatiuus agens verbi, *auferet*; & ſi eſſet; Tu qui es grammaticorum princeps, non diceres verbum, *auferet* חסר הפועל *chaſer haponghel*; carere caſu agente. Attamen hiſtoricè verum eſt, reges Aſsyriorum per ſuos milites ſæpè abſtuliſse ſpolia; vt Thiglatpheleſer à Damaſco, & partim à regno Samariæ, Salmaneſer totum deprædaſse regnum Samariæ, & ciuitatem regiā Samariā euertiſse; ad quos bellicos euentus, & hoſtiles deprædationes, litteraliter, vt verba ſonant, concedo reſpiciat illa myſtica nomina Emmanueli infanti à Deo impoſita, *Accelera ſpolium &c.* Verùm dùm apertè videmus, quod Deus, qui loquitur, cauſam agentem horum effectuum, tribuit Emmanueli filio prophetiſſæ, antequam naſcatur, & non regi Aſsyriorum, niſi indirectè (ſunt .n. nimis aperta verba ſacri textus; *quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuū, & matrem ſuam*; ſtatim addit verbum actiuum futurum tertiæ perſonæ, *auferet*; nonne vides caſum nominatiuum agentem, qui eſt iſte puer, immediatè præcedere verbum, *auferet*?) Talem ſenſum non agnoſcere, eſt contra regulas grāmaticales; & ſenſum litteralem, quem præcipuè intendit Spiritus

ſanctus, apertè negare; Quod ergò Spiritus ſanctus litteraliter, veluti cauſæ efficienti, tribuat has deprædationes, & ſpolia puero Emmanueli, veluti authori, & cauſæ efficienti, myſterium eſt, ſacramentum eſt; quòd cùm de filio Iſaiæ verificari repugnet; nonniſi regi Meſſiæ conuenire poteſt; qui potentia ſua diuina nondū natus, ſed à fidelibus creditus & inuocatus abſtulit, ideſt auferre fecit, deprædari, & occidere reges, & regna Damaſci, & Samariæ, ab exercitibus, & viribus regum Aſſyriorum, ità egregiè ſanctiſſimus Doctor Hieronymus; *Antequam ſciat puer vocare &c.* exponit; *Antequam humanum corpus aſſumeret, & iuxtà infātiam patrem vocaret Deum, & matrem Mariam, auferetur per regem Aſſyriorum; vt necdum natus, populum ſuū, domū Dauid ſola inuocatione ſaluaret.* Hæc ille. Dixi prædicta verba; *Auferet fortitudinem Damaſci*, alia ſyntaxi poſse legi paſſiuè; *Auferetur fortitudo*, vt legit vulgatus; non quatenus ly, *auferet*, ſit imperſonale, vt aſserit Forerius; vnde poſſit legi paſsiuè, *auferetur*, ſed indirectè, & ſecundariò, quatenus habet annexum ſuum ablatiuum agentem, qui eſt ly, *Coram rege Aſſyriorum*, ideſt, à perſona regis Aſsyriorum. Et ſic principale agens ablationis ſpoliorum eſt puer Emmanuel; *auferet*, ſecundarium, & inſtrumentale rex Aſsur; *Auferetur &c. coram rege Aſſyriorum.*

Quæret hebræus; quomodo Emmanuel infans, qui tunc natus non fuerat, poterat eſse cauſa ablationis fortitudinis Damaſci, & ſpoliorum Samariæ à liberare Ieruſalē ab obſidione ſub rege Achaz, & ſub rege Ezechiæ? hoc eſt mirabile dictu, & incredibile auditu; Equidem, tibi ò Iudæe duræ ceruicis, pertinax ſine fide; ſed Deo, & ſcripturæ credenti mirabiliſsimum quidem, ſed credibiliſsimum;

dibilissimum; Crede scripturæ, quæ huic infanti, anteq̃ nascatur, attribuit tamquam veræ causæ efficienti, Ablationem spoliorum Damasci, & Samariæ, quod nequit conuenire puero, antequam nascatur, nisi quatenus est, *Emmanuel*; hoc est, nobiscũ Deus, Liberator, Saluator, Dux, Defensor, & inimicorum Debellator; ergò erit verus Deus iste puer filius prophetissæ. Confirmatur ex vers. 9. *Congregamini populi*, Syrij, Israelitici, & Assyrij; *Inite consilium*; cogitate, tentate subiugare Ierusalem, & euellere sceptrum domus Dauid; nã nihil proficietis, non præualebitis; imò, *vincemini*; exterminabimini vos, ò Syrij à Thiglathphileser, & vos decem tribus in captiuitatem ducemini à Salmaneser; Et vos Assyrij exercitus cædemini ab Angelo; Verùm Spiritus sanctus, cui hæc excidia, & exterminia tribuit, tanquam causæ efficienti audi כי עמנו אל (*chi nhgimmanuel; quoniam Emmanuel*, idest Emmanuel, ille puer filius; *hangalmah*; qui promittitur, propter quem saluabimur, qui est Deus nobiscum, idest simul & homo, Deus homo factus Saluator; antequam sciat vocare patrem suum, & matrem suã; idest antequam fiat homo, & nascatur; Iste puer Emmanuel erit ille debellator, spoliator, & victor strenuus, qui auferet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ; Quà Deus omnipotens, & fortissimus liberabit Ierusalẽ, & exterminabit regna, & reges inimicos suos; Quomodò autem iste puer Emmanuel, quà Deus, & quà homo fuerit causa efficiens, & finalis horum effectuum, satis demonstratum est tractatu primo parte secunda.

Versus

VERSVS QVARTVS.

Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum.

Obseruationes litterales.

V*ocare patrem suum, & matrem suam*; ita vulgatus; & lectio hebr. אבי ואמי *aui veimini; Patrem meum, & matrem meam*; Attamen sæpè affixum, ly, *meũ, & meã*; patrem meum, & matrem meam ponitur paragogicè, ornatus causa, Gen. 4. 40. *Pater* אבי *aui, canentium cythara*, 4. Reg. 5. 13. dixerunt serui ad Naaman; *pater* אבי *Aui*, Cald. מרי *Mari, Domine*; Mater huius pueri fuit prophetissa, quæ & *bangalmah*; Pater Deus, qui dixit prophetæ; *Voca nomen eius*, &c.

Auferetur, in fonte est ישא *issa*, futurum coniugationis *chal*; hoc est actiuæ, & sic legi debet, *Auferet*; quod retinet R. Ionath. Cald. ישבי *iscbbe, Capiet*; si enim esset futurũ passiuum, נפעל *niphngal*; scriptũ esset ינשא *innase, auferetur*; vt legit vulgatus; quæ tamen lectio non dissonat ab hebraismo, & sensu prophetiæ; Nam verbum actiuũ docet Forerius cui deest persona actiua, accipitur impersonaliter passiuè, Mich. 2. 4. *Ideò in die illa sumetur super vos parabola, issa, sumet*; sensus erit; vel, *sumet quisquis super vos parabolam*; siue passiuè: *sumetur*, Isa. 22. 8. *Et reuelabitur operimentum Iudæ*; ויגל *vaigal*; *& reuelabit*, idest inimicus; siue reuelabitur à Caldæis, templum Dei, Sanctum Sanctorum; ita, *Auferetur*, ab inimico, ab hoste fortitudo Damasci. Vtraque tamen lectio est litteralis; & primò actiua; nempè, *auferet*; est prima, propria, & principalis,

cipalis, cuius nominatiuus agens est ille puer, cui imponitur nomen correspondens effectiuè operi; *Accelera spolium*, vt supra ostendimus. Secunda lectio passiua, *auferetur*, est pariter litteralis; nam puer iste strenuus, abstulit fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ mediate rege Assyriorum, qui est casus ablatiuus verbi, *auferetur*; nam dicere, *coram Rege*, est dicere ab ipsomet rege Assyriorum; Et sic prædictus hebraismus hic non habet locũ.

Spolia Samariæ, heb. שלל *scelal*; spolium, quod rapitur vi, bello à militibus; quidquid capitur in bello, vt supra ostensum est, & ostendetur; Extra bellum denotat supellectilem domus; tantùm duobus locis reperitur, psal. 68. 13. *Et speciei domus diuidere spolia, scialal*; prou. 31. 11. *Et spolijs non indigebit.*

Coram Rege Assyriorum; existente, viuente, dominante, & assistente rege Assyriorum, hebraismus frequens, 1. reg. 3. p. *Et puer Samuel ministrabat Domino ante coram Eli* לפני *liphne*; adhuc viuente Eli, Cald. *in vita Eli*, Exod. 20. *Non erunt tibi dij alieni coram me*; me viuente, existente, nunquàm in æternum. Et hîc aduerte, regem Assyriorum sumi indiffinitè pro omnibus, qui posthac fuerunt; quibus puer Emmanuel vsus est ad puniendam domum Dauid, & tribum Iudam, & decem tribus Israel. Mariana in scholijs exponit ly, *liphne, coram*, idest, iubente rege Assur: sed non inuenio exemplum, quamuis sensus sit idem. P. Corn. à Lapide explicat, *corã*, idest præsentia, armis, & vocibus regis Assyriorum, & asserit esse similem hebraismum, quo dicitur: *Domus combusta est à facie ignis*; idest vi, & actiuitate ignis præsentis; quẽ textum non inueni, quamuis hebraismus sit verus, Mich. p. 4. *Et valles scindentur, sicut cera à facie ignis*, hebr. מפני האש *miphne haesc*; sed est differentia; nam, *coram*, est

est in hebræo לפני *liphne*; quod non denotat casum ablatiuum cum præpositione; sed tantùm præsentiam rei, cui tale aduerbium præfigitur, sensus tamen est vnus, & idẽ. Doctissimus Forerius speculatus est, quod cùm ista sint verba Dei, ly, *liphne*, sit regẽdum לפני *lephanai*; *Corã me*; itaut, *iod*, quiescens in liphne, ratione zere; sit affixum; & legendum per pathach, *lephanai*; *Coram me*; videlicet; *Rex Assyriorum auferet &c.*, sed cùm nullum habeat auctorem; & sic contra punctationem fontis hebraici, vt periti sciũt, & auferat genuinum sensum suprà allatum, huius textus, non videtur recipienda eius speculatio.

CAPVT PRIMVM.

Exponitur conuenientia, quæ secundum RR. reperitur inter hunc textum cap. 8. Antequam sciat puer vocare patrem suum &c. *& illum cap. 7.* Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum &c.

Iste versus quartus huius mirabilis prophetiæ, & illius veritatis vera cognitio, est præcipuum & principale fundamentum, ad conuincendam Iudæorum perfidiam; & euidentissimè ostendendum, hunc puerum filiũ prophetissæ, qui & Emmanuel filum, *bangalmah*, nequaquam potuisse esse filium, siuè vxoris, siuè concubinæ, siuè filiæ Achaz, siuè prophetæ; neque alicuius cuiuscunque tũc tẽporis existentis mulieris, & ideò debeo omni diligentia, & studio ipsum explicare, & dilucidare, vt & veritas pateat, & RR. perfidia in exponendis prophetijs de Rege Messia in medium prodeat; & pro præsenti, suppono id, quod RR. vltrò concedunt; nempè siuè iste filius prophetissæ sit idem, qui & *bangalmah*; cùm R. S. & anti-

quos RR., quos ipse semper sequitur; siue duo fuerint isti pueri; primus qui vocatur Emmanuel filius regis Achaz, alter ab Ezechia, vt nouiter somniatus est R. D. quem sequitur Caluinus; secundus puer filius Isaiæ; siue, inquam, sint duo pueri, siue vnus; Omnes tamen conueniunt natos fuisse eodem tempore, & anno, putà anno quarto Achaz, quo facta fuit prophetia de conceptu, & partu Hangalmah; & quo Isaias accessit ad vxorem suã, quæ cõcepit, & eodẽ anno peperit filiũ; ita R. D. כי בטרם זמן אחד עם מה שאמור למעלה בבן אחז בטרם ידע הנער מאס ברע *Chi beterem zeman echad nghimmah sceamur lemanglah beuen achaz beterem iedangh hannanghar maos berangh*; idest; Quoniam antequam sciat puer vocare patrem. *Tempus vnum, & idem, cum eo, quod dictũ est supra de filio Achaz*; Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum; Conueniunt pariter RR., quod sit vna, & eadem res significata, per illos duos loquendi modos; *Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum*; & illud; *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam*; hoc est, denotare velit Propheta illud tempus, quod intercedit à natiuitate pueri, vsque dum incipiat scire reprobare malum &c. quod est in tempore, quo puer incipit loqui, & vocare patrem suum &c. quod est spatium trium ad plus annorum; ita R. D. c. 7. 16. *Antequam sciat puer reprobare &c. malum &c. sicut pueri, qui nutriuntur, & colligitur in eis cognitio electionis boni, à tempore quo incipiunt loqui; & dicit* ואמר כי בטרם שיחל הנער זה לדבר שיהיה בעת בבחירה הטוב ומאוס ברע כשאר הנערים וזה עד שלש שנים או קודם *Veamar chi beterem sceiachel hannangar zeh ledabber scelheieh banghetb bechirah hatou; Vmaos berangh, chiscear hannangatim; Vezeh ngad scelosc scianim, b'chodem; Et dicit: Quo-*

niam antequã sciat puer iste loqui; quod erit in tẽpore electionis boni, & reprobationis mali, sicut cæteri infantes, & hæc vsque ad annum tertium, siue ante; & c. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum &c.* citans prædictum textum c. 7. *Antequam sciat puer reprobare malum &c.* sic interpretatur כי אז יחל לדבר הנער ותחלת דברו הוא שיקרא אביו ואמו *Chi az iachel ledabber hannangar; Vthchillath deuaro hu sceichra auiu veimmo; Quoniam tunc incipit loqui puer, & principium sermonis eius est, quod vocabit patrem suum, & matrem suam:* hoc est, tunc; antequã sciat puer reprobare malum, quod est idem prorsus, antequam sciat vocare patrem suum; nam eodem penitus tempore, quo incipit loqui, incipit scire reprobare malum; & quo incipit scire reprobare malum, incipit loqui, & vocare patrem suum; quod est dicere, antequam transeat tempus infantiæ huius Emmanuelis, siue filij prophetissæ; quod est duorum, vel trium annorum ad plùs; hæc, & hæc euenient. Tandem affirmant eadem penitus esse, quæ vtrobique prædicuntur futura, tempore infantiæ huius pueri, hoc est, spatio trium annorũ; nam c. 7. subditur: *Derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie (id est propter) duorum regum eius.* Et c. 8. *Auferet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum.* Isti enim duo versus idem penitus vaticinantur euenturũ. Nam terra, quã detestabatur Achaz, erat prouincia Damasci, & Samariæ, occasione duorum Regum vtriusque terræ, siue prouinciæ, qui nimis infensi erant illi; Et derelictio est habitatorum illius, vt exponit R. S. העזוב הארץ מיושביה ארמת רצין וארמת פקח *Hengazeu haarez meioscceua; badmath rezin, veadmath phecach; Derelinquetur terra ab habitatoribus illius, terra Rezin; hoc est, Damascus, & terra Phecach, hoc est Samaria;* Quam

veram expositionē explicat; & applicat textui c. 8. R. D. תעזב ארעת שמרון ודמשק ותהיה שממה אשר אתה קץ *Theghazen admath sciomeron; vedamesech vethiheieh scemamah ascer athah chôz; Derelinquetur terra Samariæ, & Damasci, & deuastabitur; quam tu abhorres, propter duos Reges eius;* secundus textus idem pænitus dicit; *Nam auferet fortitudinem Damasci;* R. S. bene explicat de deuastatione illius ciuitatis Damasci, & transmigrationis ciuium, & populi eiusdem in Cyrenen. 4. reg. 16. 9. quod euenit anno quarto regni Achaz, intra tempus infantiæ Emmanuelis; & hæc fuit vera desolatio Damasci; Vera desitio regis, & populi Damasci ab esse populus, vt prædixit Isaias c. 7. 9. *Quoniam caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rezin, supple desinet esse populus;* יחת מעם *iechath mengham;* vt conformiter exponūt R. S. & R. D. quæ certe facta fuit per regem Assyriorum Thiglatphelesser, vocatus, & mercede conductus à rege Achaz contra Rezin regem Damasci, & Phechach regem Samariæ anno quarto regni Achaz; adhuc infante Emmanuele; vt ipsi dicimus; quod clarius intueri poteris in commentarijs RR. Cum ergo conueniamus omnes, & doctores nostri, & hebræorum, de prima parte prophetiæ addictæ; quod antequam Emmanuel, & filius prophetissæ sciat reprobare malum &c. & *Vocare patrem suum &c.* idest adhuc infans, nondum peruentus ad illam ætatem; *Derelinquetur terra Damasci à suis habitatoribus, & erit desolata;* quod est dicere, Damascus regia Syriæ, & Rezin eius Rex, cessabit vt sit amplius populus, & Rex, quia Rex occisus fuit; & populus transmigrauit Cyrenen; & hoc totum est pænitus illud, quod Isai. c. 8. repetit; *Auferet fortitudinem Damasci;* vt confitetur R. S. & R. D. & omnes Iudæi. Tota ratio, & cardo immobilis, & fortissimus

tiſſimus veritatis huius prophetiæ conſiſtit in verificatione, & certitudine ſecundæ partis adducti verſus; *Et auferet ſpolium Samariæ*; hoc eſt, quod Emmanuele filio; *bangalmah*; & filio propheiſſæ adhuc infante, qui ſecundùm RR. nondum ſciat reprobare malum, & eligere bonum; nondum ſciat loqui, vocare patrem, & matrem; fuerint ablata ſpolia Samariæ, imperio huius infantis, mediante rege Aſſyriorum. De hoc argumento abundè egimus tract. 1. v. 10. cap. 2. & 3., & iterum hîc ad maiorem dilucidationem veritatis, agemus; nõnulla ex ibi prædictis breuiter repetendo, & alia quædam, ibi pretermiſſa, addendo; cùm hîc ſit eius proprius locus.

CAPVT SECVNDVM.

***Gloſſa R. S. in illis verbis*: Et auferet ſpolia Samariæ; *refertur, & refellitur*.**

ואת שלל שמרון לאחר שנהרג פקח ומלך הושע עלה עליו שלמנאסר מלך אשור ויהי לו הושע עבד ונתן לו מנחה ושוחד הוא שלל שמרון כל זה בשנת ארבע לאחז *Veeth ſcelal ſciomeron; leaghar ſcenehe-ragh phechach, vmalach hoſceangh, ngalah ngalau ſcialmaneſer melech aſciur; vaihi lo hoſceangh ngheued, venathan lo minchah, veſcioched hu ſcelal ſciameron, Chol zeh biſcnath arbbangh leachaz; Et ſpolium Samariæ, poſtquam occiſus fuit Phacee, & regnauit Oſee, aſcendit contra eum Salmanaſar Rex Aſſur; & factus eſt ei Oſee ſeruus; Et dedit ei tributum, & munus; hoc eſt ſpolium Samariæ. Totum hoc in anno quarto Achaz.* Hæc ille magnus Gloſſator; ſed plena erroribus, & falſitatibus; quæ, vt pateant, & veritas ſacri textus ab illis vindicetur; quatuor ſunt à nobis examinanda. Primum, quo

tempore Osee, occiso ab eo Phacee, cœperit regnare. Deinde, quo anno regni Osee ascenderit contra eum Salmanasar, & eum fecerit sibi seruum, & tributa soluentem. Tertio, quo anno regni sui Osee rebellauerit, à rege Assur. Tandem, an hoc tributum fuerit spolium Samariæ, de quo loquitur hîc Isaias; quod antequam filius prophetissæ sciret vocare patrem suum, & matrem suam, auferenda erãt spolia Samariç à rege Assyriorum.

Quòad primum; lib. 4. reg. 15. 30. docet quod Osee occiso Phacee regnauit pro eo; ויכהו וימיתהו וימלך תחתיו בשנת עשרים ליותם בן עזיה; *Vaiachchu vaimithchuh, uaimloch thachthau; bischnath nghesrim lejotham ben nghuziah; Et percussit eũ, & occidit eum, & regnauit pro eo, anno vigesimo Iotham filij Oziæ*; qui annus vigesimus regis Iotham fuit quartus regis Achaz filij eius, & vigesimus Phacee regis Israel, & primus regni Osee; & in hoc benè dicit R.S. quod anno quarto Achaz, quo hæc prophetia enunciata fuit ab Isaia, & Phacee rex Israel occisus fuit, & Osee regnauit loco illius. Ita omnes RR., inter quos princeps noster R.S. 4. reg. 17. 1. in illis verbis; *Anno duodecimo Achaz regis Iuda, regnauit Osee filius Elah in Samaria super Israel*; sic discurrit; *Nõ potest dici, quod regnauit Osee anno duodecimo Achaz; nã anno quarto Achaz occidit phacee, & regnauit pro eo, & quãdo inuestigabis in annis phacee ita reperies. Et etiã non potest dici quod nõ regnauit nisi nouem annis; quia regnauit in anno quarto Achaz, usque ad annũ sextum Ezechiæ, quando capta fuit Samaria; profectò sũt plusquam sexdecim annis. Et hoc vult dicere, nouem annis (idest regnauit Oseæ super Israel) postquam rebellauit à Rege Assur; ità traditum est* בסדר עולם *In seder ngolam*. Hæc ille. R.D. idem penitus asserit. *Anno duodecimo Achaz, Et nonne regnauit in anno quarto Achaz secundum calculum*

lum sicut scripsimus supra, & dicitur in seder ngolam sciotnim lemeredo שנים למרדו, *anni rebellionis eius; Certè ipse regnauit ab anno quarto Achaz, vsque ad annum 6. Ezechiæ, & in anno duodecimo Achaz; qui fuit annus octauus Oseæ* מרד במלך אשור *marad bemelech asciur; rebellauit à Rege assur, & ab anno quo rebellauit, vsque ad finem regni eius nouem anni sunt.* Hæc ille. Sed suprà demonstrauimus hos posteriores nouem annos regni Oseæ fuisse seruitutis, non rebellionis, quod iterum tangam. Hîc valdè errant Caluinus, & ex nostris Vatablus, & Forerius, & Gratia Dei, qui regno Oseæ non attribuunt nisi nouē annos incipiēdo ab anno 12. Achaz, vsq; ad sextū Ezechiæ, qui anni imperfecti, sunt tantùm nouem; & quod peius est, in computatione 65. annorum à prophetia Amos, vsque ad deuastationem Ciuitatis Samariæ, relinquunt nouem anteriores annos, ab anno quarto Achaz vsque ad 12. in quibus regnauit Oseæ; quem errorem primus sequutus est R. D. in eadem computatione, oblitus eorum, quæ paulò ante dixit, Oseæ regnasse ab anno quarto Achaz vsque ad annum sextum Ezechiæ, qui sunt decem & octo anni imperfecti.

Quo ad secundum, quo anno videlicet regni Oseæ ascenderit contra eum Salmanasar, & fecerit eum sibi seruum & tributarium; R. S. manifestè asserit falsum cum suo סדר עלם רבא *seder ngolam rabba*, cum sua magna chronologia, accidisse anno eodē quarto Achaz regis Iuda, qui fuit primus Oseæ, cuius falsitatē pluribus ostendimus tract. 1. v. 16. & infrà euidentius ostendemus.

Tertium examinandum magis refert ad veritatem tuendā; Quo videlicet anno regni Oseæ, ipse rebellauerit à rege Assur; Circa quod opus est referre glossam R. S.; nam ex illius notitia, & confutatione, veritati huic prophe-

ticæ magna lux afferretur. Ipse ergò R.S. immediatè sequens ad superiorem suam glossam.4.reg.cap.17.3.p. sic videtur respondere quæsito; *Et non potest dici, quod anno duodecimo Achaz inceperit deficere; nam si ità est, inuenies annos defectionis eius quinque ãnos in diebus Achaz, & sex annos in diebus Ezechiæ, qui sunt vndecim anni; & hoc loco dicit nouem; Non est facta mentio anni duodecimi Achaz, nisi occasione textus, qui est post eum,* (idest, post prædictum textum; *anno duodecimo Achaz;*) (*contra eum ascendit Salmenesar Rex Aßur, & factus ei Osea seruus;*) *Quia anno duodecimo Achaz ascendit Senacherib contra Oseæ; & transmigrare fecit eos, qui erant trans Iordanem, & ita tradiderunt in Sederngolam; & scriptura scribit in verbis dierum p.c.5.26. Et suscitauit Deus Israel spiritum phul regis Assyriorum; & transtulit Ruben, & gad, & dimidiam tribum Manasses, & adduxit eos in Iahela etc. & non exposuit in quo tempore* (supple euenerit hæc transmigratio.) *At uerò hoc loco exposuit, quod in anno duodecimo Achaz fuit. Tribus transmigrationibus transmigrarunt decem tribus. In anno uigesimo phechach, sicut scriptum est supra. Et percussit Rex Aßur Aion, & Dan, & terram Nephthali, & transmigrare fecit eos in Assyriam; & hoc fuit in anno quarto Achaz, qui sunt octo anni* (hoc est ab anno quarto Achaz, quo cæpit regnare Oseæ, vsque ad annum duodecimum Achaz sunt octo anni regni Osee) *Et venit contra eos* (puta Senacherib) *anno duodecimo Achaz, & transmigrare fecit Ruben, & Gad;* ובשראה *vechasceraah. Et quando vidit;* supple Senacherib; *quod Osee filius Elah defecisset ab eo, & misisset nuncios ad Soa Regem Egypti;* שרם שמנה שנים *srehem sceamineh scianim. Qui sunt octo anni; Et venit, & obsedit Samariam; & capta est in fine trium annorum, & transmi-*

gra-

grarunt omnes; Et hoc est quod dictum est; secundũ tempus primum alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali; *& etiam in secunda vice* בשניה *basceniiah; quia non transmigrauerunt nisi duæ tribus; Sed vltimò;* nouissimè aggrauata est; *scopauit omnia* טאטא *tiat, sicut hoc, quod scopa domus. Et quomodocunque; secundum calculum, qui scriptus est hîc, numerus annorum defectionis eius, nouem anni, non rebellauit contra eum vsque ad annum quartumdecimũ Achaz; Nam Achaz regnauit 16. annis; tribus annis Achaz, fuit rebellis; & sex annis in diebus Ezechiæ.* Hæc ille magnus R. Verùm omnia mixta erroribus, & mendacijs, quæ omninò sunt à nobis reuelanda, in fauorem, & deffensionem veritatis.

Primus error est circa historiam regum Assyriorũ. Docent Thalmudistæ tract. Sanehedrin cap. 11. fol. 121. col. 3. Senacherib regem Assyriorum habuisse octo nomina, שמונה שמות, *scemoneh scemoth*. Primũ Thiglathphileser 4. reg. 15. 19. Secundum, Palmana, non habet locum in scriptura; sed rabbinicè significat fortem, strenuum. Tertium Salmaneser 4. reg. 17. 3. Quartum, Phulsernin, 4. reg. 15. 19. vocatur tantùm *phul*. Quintum Asnaphar 1. Esdræ 4. 10. qui rex Assur fecit habitare cutæos in ciuitatibus Samariæ, qui postea Samaritani dicti. Sextum, & septimum, sunt agnomina dignitatis *Asnaphar, rabba, Veicchira*; ita textus Esdræ; *Quas transtulit Asnaphar magnus, & gloriosus.* Octauum *Sancheriu*, 4. reg. 18. 13. Nunc R. S. nescio an etiã Thalmudistæ; in eo est errore; vt asserat, prædictis nominibus, saltem quattuor, Phul, Thiglathphileser, Salmaneser, & Sancheriu, non denominari tot distinctos fuisse Reges; & vnumquemque successiuè suo regnasse tẽpore; veluti phul, siue Phulsernin, qui regnauit tempore Menachem Regis Israel, qui pri-

mus

mus; inter Reges Assyriorum, cœpit vexare, & sub tributo tantùm Menachem subijcere. Deinde Thiglatphileser, qui sub Phacee tres tribus captiuas fecit. Posteà Salmanasar, qui & Asnaphar, qui Osee tributarium fecit, & deinde omnem Israel, cum rege suo Osee, expugnata, & deprædata Samaria, captiuum in Assyriam duxit, & colonias gentium instituit in ciuitatibus Samariæ. Et vltimo Senacherib, qui anno 14. Ezechiæ regis Iuda, capta lachis, & omnibus Iudeæ ciuitatibus, obsedit Ierusalem; Non ita, inquam, vult factum fuisse per successionem horum regum; sed vnum solum, & eundem fuisse Regem, putà Senacherib, qui hisce varijs nominibus appellatus fuit. Hinc sæpè in hisce commentarijs, quod sacer textus attribuit factũ à Phul, siue à Thiglath, siue à Salmanasar, ipse legit Sancheriu; & primò in hoc commẽtario suo; Vbi dicit sacer textus; *Anno duodecimo Achaz &c. contra eum ascendit Salmanasar*; ipse explicat: *anno duodecimo Achaz a cendit Senacherib contra Osee*; & immediatè subdens, quod eodem anno duodecimo transmigrare fecit illos, qui erant trans Iordanem, adducit scripturæ auctoritatem. 1. paral. 5. 26. *Et suscitauit Deus Israel spiritum phul regis* Assur, *& transtulit Ruben, & gad*; quod, fuisse anno duodecimo Achaz, asserit R. S. Ex quo videas, pro eodem Rege haberi à R. S. Phul, Thiglatphileser, Salmaneser, & Senacherib; quod quidem est merum figmentum omninò falsum. Nam sacra historia distinguit istos omnes Reges, & cuiuscũq; diuersas assignat actiones hostiles in terra Israel, sub diuersis Regibus Ephraim; secũdò textus citatus 1. paral. 5. 26. apertè discriminat duos primos Reges, & ostendit duos fuisse distinctos, & diuersos ad inuicem; dum dicit: *Et suscitauit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum*

(fraudolenter relinquit in sua glossa, quod immediatè sequitur in textu) *Et spiritũ Thiglatphileser regis Assur*; Nam isti sunt duo spiritus, duæ animæ; ergò in duobus corporibus, ergò duo supposita, duo homines, duo Reges indiuidualiter distincti; Et scriptura non regi Phul, sed regi Thiglathphileser attribuit transmigrationem Ruben, & Gad, vt dixit ipsemet R.S. hîc sui oblitus, sup. vers. 19. in sua glossa; Tertiò oportet fateri per ipsum, istũ vnicum Regem regnasse plusquam octoginta annis in monarchia Assyriorum; quod est improbabile, & cõtra omnes prophanos scriptores, qui distingũnt, & diuersos faciunt omnes istos Reges Assur; sacra scriptura, 4. reg. 15. 19. testatur, quòd anno 39. Oziæ Phul venit in Israel; nam hoc anno cępit regnare Menachem super Israel; & decem annis regnauit; quibus annis, à primo; *Veniebat Phul rex Assyriorum in Thersa, et dabat Menachem Phul mille talenta argenti vt esset ei in auxilium, & firmaret regnum eius*; modò computemus annos regum Iuda ab anno 39. Oziæ, vsque ad annum 17. Ezechiæ, quo à proprijs filijs occisus est Senacherib; & reperiemus annos transisse 62. 13. Oziæ; 16. Iothan; 16. Achaz; 17. Ezechiæ. Si verò historias Assyriorum legeris, inuenies regnasse Phul 48. annos, & anno 27. regni eius, qui respondet anno 39. Oziæ regis Iuda, & primo anno Menachem, venisse in terram Israel; ita quidem, quod si addas annis prædictis Regum Iuda 62. annos anteactos regni Phul 27. erunt anni 89. regni, quod nullus historicorum meminit, & absurdum videtur. Vide Geneb. Chronic. lib. 1. fol. 171. 173. Torniellum in Tabu. fol. 271. & fol. 136, Hinc D. Hieron. corrigit Chron. Eusebij, qui Salmanasar facit eundem cum Senacherib; ita c. 36. Isaiæ; Despicienda ergò sunt hæc rabbinica, & ventosa commenta,

menta; Et cùm euidentia scripturarum, & attestatione historicorum, & ratione illuminante, teneamus pro certò, hos fuisse varios, & distinctos reges monarchiæ Assur; cætera vide tract. p. 1. 3.

Secundus error. Dictum R.S. quod anno 12 Achaz, quando Salmanasar ascendit contra Oseæ, transmigrare fecit in captiuitatem illos, qui erant trans Iordanem, & quod ita traditur in Seder ngolam; & id probat ex lib. 1. paralip. c. 5. 26., nullo innititur fundamento, immò oppositū colligitur, quod tunc Salmanasar anno 12 Achaz nullā tribum captiuauerit; sed tantùm Osee tributarium constituerit; Captiuitatem verò tribus Ruben, & Gad; de qua citato loco p. paralip. iam præcessisse anno quarto Regis Achaz vltimo phecach, & primo Osee, & factam fuisse per Regem Thiglatphileser (qui vocatus fuit in adiutorium contra reges Phecach, & Rezin obsidentes Ierusalem, à rege Achaz) clarissimè probatur ex eodémet sacro textu. Nam p. par. 5. 26. dicitur; *Quod suscitauit Deus spiritum Phul, Regis Assyriorum, & spiritum Thiglathphileser Regis Assur*; (ergò duo Reges) hæc scriptura debet explicari per aliam scripturam, si reperiatur; quæ declaret ad quid faciendum contra, & in punitionem Israel, Deus suscitauerit primò spiritum Phul, deinde spiritum Thiglathphileser, ambo duo Reges; Hæc scriptura lucidissima est, 4. reg. 15. 19. vbi de Phul loquens, sic dicit; *Veniebat Phul rex Assyriorū in terram*, idest Israel; *& dabat Menachem Phul mille talēta argēti*; Ecce quomodò Deus suscitauerit spiritum huius Regis ad vexandum Israel tributis tantùm, nam apertè scriptura subiungit: *reuersus est Rex Assyriorum, & non est moratus in terra*; Quòd si transmigrare fecisset iste rex Phul anno 12 regis Achaz, & nono regis Osee, duas tri-

bus Ruben,& gad in Assyriam, cur hoc loco tacuisset sacra scriptura eius nomen,& tempus? Erit sacra scriptura solers,& prudens in assignando anno, qui fuit vigesimus Phechach Regis Israel; primæ transmigrationis,in enumerando loca,ciuitates, & tribus, quas captiuauit Thiglatphileser; ita 4.reg.15.29. *In diebus Phacee regis Israel venit Thiglatphilesor rex Assur, & cepit Aion, & Abel domum Maaca, & Tanoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galileam, et vniuersam terram Nephtali, et transtulit eos in Assyriam.* Et anno 12 regis Achaz,quo successit per te secunda captiuitas duarum tribuum, adeo negligens,& vecors fuerit sacer Scriptor, vt illius mentionem non fecerit? Dicere,quod fuerit isdem Rex varijs nominibus appellatus, iam vt chimericum refutatum est. Dicere,quod p.par.5.26. exprimitur nomen regis Thiglath. & duarum tribuũ Ruben,& gad,& medietatis Manasses; sed non expressum fuerit tempus,quod exprimitur 4.reg.17.p. qui fuit annus duodecimus Achaz regis Iuda,est insulsè dictum, & sine probatione; tum quia hic alius nominatur rex,nempè Salmanasar. Tum quia nulla penitus métio nullius captiuitatis fit hoc loco; sed bene, quod ille Rex ascenderit contra Osee, & fecerit illum seruum. Quare verissimè asserunt omnes expositores,eandem esse omninò captiuitatem,& quæ p.paral. 5. tribuitur Thiglath. & quæ refertur 4.reg.15.29.euenisse anno quarto Achaz,& primo Osee,ab eodem rege Thiglathphileser operatam; & vt Iudæo Iudæum opponam. R. Leui 4.reg. sic scribit; Certè hoc est,vt existimo, quod memoratur in libro verborum dierum; כי תגלת מלך אשר הגלם לראובני ולגדי *Chi Thiglaith melech asciur higlam lareubbeni velagaddi; Quoniam Thiglath. rex Assur transmigrare fecit Ruben, & Gad, & medie-*

tatē tribus Manasse, & duxit eos in Lachlach, & Chabbor. Immò ipsemet R. S. hoc inuitus cogitur confiteri; nā si per illum, & per Seder ngolam transmigrare fecit Salmanasar, vel Senacherib anno duodecimo Achaz, & octauò Oseæ, illas tribus, quæ erant vltrà Iordanem, in campestribus Moab שבעבר הירדן *scebbengheuer haiarden*; ergò est vna tātùm transmigratio, quæ refertur 1. paral. tribuum Ruben, & Gad, & medietatis tribus Manasse facta à rege Phul, vt ipse fingit, cum illa quæ refertur, 4. reg. 15. factā à rege Thiglathphileser; ratio clara est; Nam 4. reg. 15. enumerando ciuitates, & prouincias, quas cępit, & captiuas fecit rex Thiglathphileser anno vltimo Phecach, & quarto Achaz, recenset הגלעד *haghilngad*, quæ est regio, & prouincia trans Iordanem, vltrà mare Galilææ, data dimidiæ tribui Manasse ad habitandum, & colendum, Iosue 13. 9. conterminans cum tribu Gad (cuius regio pariter vocatur הגלעד *haghilngad*; Ios. 13. 25. & hæc cum tribu Ruben, duæ paruæ tribus, vt constat in delineatione terræ Sanctæ; neq; est alia tribus trans Iordanem, nisi prædictæ duæ cum dimidia; sequitur necessariò, quòd anno prædicto 20. Phecach, has duas tribus cum dimidia, cæperit, & captiuas duxerit in Assyriam Thiglathphileser; & non anno 12. regis Achaz, & octauo Oseæ, vt somniat R. S., quod si nolit admittere, tenetur fateri, quod bis eadem medietas tribus Manasses, & aliæ duæ trans Iordanem fuerint in Assyriam captiuæ ductæ, quod est absurdū. Quare verè dicere possumus, quod lib. 1. paral. 5. 26. describitur transmigratio tribuum, quæ erant extra Iordanem; & 4. reg. 15. 29. pars ejusdem transmigrationis in Assyriam, eorum qui erant citrà Iordanem de tribu Nephtali; in qua tribu erant omnes ciuitates, quæ eodem textu enumeratæ

meratæ

meratæ sunt; & de cuius tribus populo tot captiuauit, quot æquiparabant dimidiæ tribus; & secundùm hoc; dicitur à doctoribus tres tantùm tribus captiuasse. Et aduerte diligenter hunc R. falsitati falsitatem addere; siquidē textus, quē citat pro sua falsa opinione, est falsò citatus ab eo; Nam in sua glossa loquens de prima captiuitate facta anno quarto Achaz, & vigesimo Phechach, quæ facta fuit per regem Assur Thiglatphilèser adducit hunc textum; *sicut scriptum est suprà, et percussit rex Assur Aion, & Dan, & terram Nephtali, & transmigrare fecit eos in Assyriam*; Hic textus reperitur 3. reg. 15. nu. 20. & dicitur, non de rege Assyriorum Thiglathphileser, sed de rege Syrię Benadad, qui pręcibus, & muneribus Asa regis Iuda percitus; *Emisit exercitus suos in ciuitates Israel*; ויך את עיון ואת רן *Vaiach eth ngbiion veeth Dan*; *Et percussit &c.*, itaq; addidit de suo ly, *rex Assur*, quod non est in textu, & præterea quod subdit; *Et transmigrare fecit eos in Assyriam*; transtulit ex lib. 4. reg. 15. 29. Et etiam falsum est quod subiungit; *Et hoc fuit anno quarto Achaz*; nam hoc accidit anno 16. Asa regis Iuda, qui fuit ante regem Achaz multis annis; Et anno quarto Achaz, in quo fuit prima transmigratio, & qui fuit annus vigesimus phecach scribitur lib. 4. reg. 15. 29. & refertur hæc prima transmigratio, à quo rege Assyriorum facta fuerit, quo rege Israel, & quo tempore; *In diebus Phacee regis Israel venit Thiglathphileser Rex Assurs & cæpit* (non dicit, *& percussit*) *Aion, & Abeldomum, Maacha* (non meminit *Dan*) *& Ianoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terrā Nephthali*; & hic est textus, quem adducere debebat R. S. pro prima transmigratione Israelis in Assyriam per regem Thiglathphileser anno vigesimo Phacee, quarto Achaz, & primo Osee.

Ter-

Tertius error. Volens in sua glossa probare has tres chimericas transmigrationes, adducit Isa. c.8. in fine (apud nos est principium cap. noni;) *Primò tempore*, hebraicè, *secundum tempus primum alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali*: Hæc est prima transmigratio, benè, sed vnde probas ex propheta secundam tuam phantasticam transmigrationem factam anno duodecimo Achaz, cum propheta nihil pænitus de ea: sed immediatè subdat: *Et nouissimè*, idest, *postea, agrauata est via maris*; quam tu vocas tertiam transmigrationem omnium tribuum, q̃ euenit anno sexto regis Ezechiæ; Verùm circa textum Isa. tract. 3. Vlterius notanda est malitia huius R. loquẽs de prima transmigratione facta sub Thiglathphileser anno quarto Achaz, quando cæpit Aion &c. non citat fideliter totum textum, sed vinctus veritate, & illã occultare volens, silentio præterit, nec numerat inter regiones, quas cæpit tunc Thiglathphileser, principalẽ, nẽpè, ואת הגלעד *vecht highilngad, & Galaad*; in qua regione, & dimidietas tribus Manasses, & tribus Gad, & Ruben habitabant. Optimè enim nouerat iste R. quod non posset stabilire suam, *& Seder ngolam* falsam opinionem; si talem regionem nominasset; Cùm anno quarto Achaz Thiglathphileser ceperit Galaad prouinciam prædictã vltrà Iordanem; ergò & habitatores eius, qui erãt tribus Ruben, & Gad captiuos duxit in Assyriam simul cum tribu Nephtali. Nam dicit sacer textus; ויגלם אשורה *Vaiaglem asciurah*; *Et transmigrare fecit eos in Assyriã*; Ergò ruit, & euanescit hæc secunda captiuitas, quam somniati sunt Chronologi hebræorum, & R.S. accidisse anno duodecimo regis Achaz, ante rebellionem Osee à rege Assur. Quibus sic veraciter dispositis

Respondeo ad secundum quæsitum suprà allatum. Quo nempè

ne mpè anno regni Osee ascenderit Salmanasar contrà Osee postquam ab eo defecit; & dico, si volunt hebræi, quod decem tribus Israel, tribus vicibus transmigrarint in Assyriam; & has transmigrationes omnes euenisse tempore, quo Osee regnauit super Israel, in principio, in medio, & in fine regni eius; quod tempus fuit decem & octo annorum ab anno quarto Achaz, vsque ad annũ sextum Ezechiæ inclusiuè & imperfectè; Certè tenentur asserere, quod rex Assur, siue vnus fuerit, siue plures; tribus vicibus ascenderint de Assyria in terram Israel, Prima vice anno quarto Achaz, regis Iuda, vigesimo Phecchach, & primo Osee; & iste rex Assur vocatur Thiglathphileser, qui præcibus, & muneribus regis Achaz venit in terram Israel, & transtulit in Assyriam tribum Nephthalim, & partem Zabulon. 4. reg. 15. 29. Secũda vice, anno duodecimo Achaz, qui & nonus Osee, sed inchoatè; ascendit contrà eum Salmanasar. 4. reg. 17. 3. dicũt magni chronologi hebræorum, & R. S. Isa. 9. quod tunc iste Rex transtulit in Assyriam duas tribus Ruben, & Gad, & dimidiam Manasses; quod falsum, & chimericum ostendimus; cùm sacer textus subdat, quod venit contra ipsum regem Osee, & quod fecit illum seruum, & tributarium. Tertia vice, quando, vt subiungit sacer textus, postquam subiugauerat illum sibi seruum, & tributarium; *Et compræhẽdisset*, heb. *Et inuenisset rex Assur in Oseæ rebellionem; Et misisset nuncios ad Sua Regem Egypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum &c.* Tunc tertia vice ascendit rex Assur, & venit, & obsedit Samariam, & in fine triũ annorum, impiorum istorum cepit eã, despoliauit, & depopulauit, transferens decem tribus in Assyriam; ita expressè R. S. in sua glossa. 4. reg. 17. *Et quando vidit Rex Assur, quod Osee ben Elah rebellauit*

con-

contra eum; & misit nuncios ad Soa regem Egypti; ובא עליו שלמנאסר *Vua vezar ngal sciomeron; Et venit,* idest, *Salmanasar, & obsedit Samariam &c.*

Respondeo ad tertium quæsitum. Quo scilicet anno regni Osee, ipse Osee defecerit à rege Assur, R. S. ne cogatur fateri; Osee defecisse à rege Assur anno duodecimo Achaz regis Iuda, & eodem anno contra eum ascendisse Salmanasar, & eum subiugasse suæ seruituti, & tributo, vt apertè scriptura testatur; sic respondit suprà in sua glossa; *Et non potest dici, quod in anno duodecimo Achaz cœperit deficere; Nam si ita, inuenies annos* מרדו *meredo, defectionis eius, quinque annos in diebus Achaz, & sex annos in diebus Ezechiæ; ecce vndecim anni; & hîc dicitur nouem*; & in fine glossæ concludit; *Quomodocumque; secundùm computũ, qui scriptus est hîc;* את מנין שני מרדו תשע שנים *eth miniian scene meredo thesciangh scianim; Numerũ annorum defectionis eius nouem annos*: & concludit; *Non defecit ab eo;* עד שנת יד לאחז *ngod scenath iod daleth leachaz vsq; ad annũ quartũdecimũ Achaz; Nam Achaz regnauit sexdecim annis, tribus annis Achaz, fuit rebellis, & sex annis in diebus Ezechiæ*; Hæc ille noster R. S. qui certè vel decipitur, vel decipit nos; Nam supposita dupplici ratione computandi annos in sacra scriptura; aliquãdò non cõpletos, aliquandò integros, & perfectos; R. S. in his annis regni Osee, tangit, & obseruat vtramque computandi rationem; primò inter annum quartum Achaz, qui fuit primus Osee, & annum duodecimum Achaz inclusiuè numerat annos octo; שהם שמונה שנים *scehem scemone scianim; Qui sunt octo anni*; idest integri, & perfecti, at verò sunt nouem inchoati, & imperfecti, vt patet; similiter in prædicta glossa; *& venit contra eos Salmaneser anno duodecimo Achaz, & transmigrare fecit Ruben, &*

Gadi; & quando Salmaneser vidit, quod Osee filius Elah defecisset ab eo, & misisset nuncios ad Soa regem Egypti; שהב שמונה שנים *scehem scemoneh scianim; Qui sunt octo ãni;* idest, vt ipse vult, anni defectionis, verùm completi; nã incompleti sunt nouem. Tandem in fine suæ glossæ variat, & vtitur ratione numerandi hos annos Osee inchoatos, & incompletos; nam dum vult sustinere suam, & chronologiæ opinionem, nempe hos nouem annos, quibus asserit scriptura; *Osee regnasse in Samaria super Israel*; esse annos defectionis eius à rege Assur, dicens: *Vtique secundùm calculum, qui scriptus est hic; numerus annorum defectionis eius, nouem anni;* תשע שנים *thesciagh scianim*; & sic vult, Osee rebellasse anno quartodecimo Achaz inchoato, & sic habentur tres anni regni Achaz, sed imperfecti, & duo completi; & habentur sex anni Ezechiæ, sed inchoati, & sunt quinque completi; nam annus sextusdecimus, & vltimus regis Achaz fuit primus regis Ezechiæ, & coalescunt in vnum annum perfectum, & integrũ; & sic ab anno quartodecimo Achaz inclusiuè vsque ad annum sextum Ezechiæ inclusiuè, numerantur nouem anni imperfecti, & vix septẽ perfecti; R. D. oppositum docet; *Verè ipse Osee regnauit ab anno quarto Achaz, vsque ad annum sextum Ezechiæ: & in anno duodecimo Achaz;* שהיא שנת שמונה להושע *scehi scenath scemoneh leoscieangh; qui est annus octauus Osee;* idest completus; *defecit à rege Assur; & ab anno, quo defecit ab eo, vsque ad finem regni eius;* שנים ט *tet scianim: Nouẽ annis* qui nouem anni incipiendo ab anno duodecimo Achaz, quo Osee per ipsum rebellauit; & terminando in anno sexto Ezechiæ, erunt vndecim anni; ex quibus quatuor imperfecti primus, & vltimus, & sextusdecimus Achaz, qui simul fuit primus Ezechiæ conficiũt duos annos in-

tegros; & sic ab anno duodecimo Achaz, quo rebellauit Osee, vsque ad annum sextum Ezechiæ inclusiuè, erunt nouem anni rebellionis Osee, vt ipsi dicunt.

Nos qui veritatem scripturarũ sequimur. Dicimus primò anno duodecimo regis Achaz ascendisse Salmanasar contra Osee ob aliquam rebellionem eius ab eo; vt infrà statim. Dicimus secundò, Osee, rebus compositis cum rege Assur, accepisse ab eo, & nomen Regis, & regnum, tamen factum seruũ, & tributa illi soluentem; & cœpisse regnare in Samaria super Israel; quod anteà nõ fecerat; anno, vel tertiodecimo, vel initio quartidecimi Achaz regis Iuda; & hoc ita esse, euidenter ostendit scriptura. 4.reg.cap.18.1. *Anno tertio Osee filij Elah regis Israel, regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda*; sed Achaz regnauit annis sexdecim, & annus isdem sextusdecimus, fuit primus regni Ezechiæ, ergò vel annus tertiusdecimus, si agitur de annis completis, vel annus quartusdecimus Achaz, si agitur de annis incompletis, fuit primus annus regni Osee in Samaria super Israel. Dicimus tertiò, scripturam dicendo, 4.reg.17.1. *Anno duodecimo Achaz regis Iuda*; nolle innuere, eo anno cępisse regnare Osee, quod est falsum, vt patet; sed eo anno cõtra Osee ascendisse Salmanasar, & fecisse eum seruum sibi. Dicimus quartò Osee regnasse in Samaria nouem annis, qui anni non fuerunt rebellionis, vt dicunt RR., sed partim subiectionis, partim defectionis à rege Assur, vt infrà.

Ex dictis colliges falsum esse, quod asserunt chronologi hebræorum, & R. S., quod Salmanasar ascenderit contra Osee regem Israel anno primo ipsius Osee, & 4. Achaz, quod multis ostendimus tract. 1.v. sextodecimo cap. 3., verùm etiam ex hoc, quòd ipsi docent hunc textum;

Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assur; intelligendum de secundo aduentu regis Assur in terram Israel; qui fuit anno duodecimo regis Achaz, quādo transtulit illas duas tribus, vt ipsi fingunt; ergò non potest intelligi de primo aduētu regis Assur anno quarto Achaz, & primo Osee; Et quod tunc fecerit sibi seruum, et tributariū ipsum Osee; Et quod illud tributum, et donum, *fuerit spolium Samariæ*; de quo dicitur in textu; *Et auferet fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ*; Nam violenter, et contra naturam transfertur iste textus; *Contra hunc ascendit Salmanasar rex Aßyriorū*; in primo aduentu; cùm scriptura apertè testetur, ascendisse Thiglathphileser anno quarto Achaz, & primo Osee cōtra Rezin regem Syriæ, & contra Phacee regem Israel, & vtrumq; occisum fuisse; Porrò de Osee ne verbum quidem; nisi quod occiderit Phacee, & regnauerit pro eo; quo anno, & sequenti, cùm Thiglathphileser fuerit in terra Israel; quomodo potest dici, quòd Salmanasar ascenderit contra eum, & tributarium fecerit anno 4. Achaz; & sic vana, & chimerica est illa commentatio chronologię hebræorum, & R.S. de tributo, & dona, quę sint spolium Samariæ. Attamen, cùm in hoc secundo aduētu regis Assur in terram Israel falsa sit illa transmigratio tribuum Ruben, & Gad; debemus quærere rationem cur Salmanasar rex Assur ascenderit contra Osee anno duodecimo regis Achaz, & nono, sed imperfecto, regis Osee; Nam dum sacer textus dicit; *Contra hunc*, heb. עליו *ngalau; aduersum eum*; præsupponit aliquod malum molitum cōtrà regem Assur ab ipso Osee; & forsitan fuit aliqua species defectionis; Et equidem sacer textus apertè ostendit; Osee bis defecisse à rege Assur. Quærūt expositores, cur, cùm Osee occiso Phacee im-

immediatè cœperit regnare; ſcriptura allata dicat, quod anno duodecimo, vel ſequenti regnauerit nouem annis in Samaria. Reſp. Lyra, cui adhæret Abul. 4. reg. 17. q. 2. quia illis nouem, ſiue octo annis tranſactis fuit impeditus ab amicis Phacee, qui non permittebant eũ regnare; quibus tandem fugatis, & deletis, pacificè poſſedit regnũ, & regnauit, quod fuit anno dicto duodecimo Achaz; probabiliter quidem; ſed multò veriorem exiſtimo rationem, quã affert R. Leui B. Gherſc. hîc in ſua gloſsa: *Tranſactis duodecim annis Achaz, & dum Achaz erat in tertiodecimo anno; nam non ſupererant niſi tres anni, regnauit Oſee; Verùm antequam regnaret Oſee, fuit ſeruus regis Aſſur;* ולא נחשב למלך *Velo nichſciau lemelech; Et non fuit reputatus Rex;* כי אם כמו נציב ששמהו מלך אשור *Chi im chemo Netziu, ſceſimaub melech aſciur; Sed ſicut præfectus, quem conſtituerat Rex Aſſur, & rebellauit ab eo; ſicut diximus; Et poſt hoc prolongatus fuit in regno ſuo, in defectione ſua, nouem annis.* Hæc ille. Atque ita certè mihi perſuadeo, ex eo, quod Thiglathphileſer rex Aſsur moratus fuerit in Damaſco duobus, vel tribus annis, vt colligunt chronologi; quo tempore vel inimici Phacee obſtiterunt Oſee ne regnaret, vel Oſee videns inſignes victorias, debellatum regnum Syriacum, deprædatas ciuitates regni Samariæ, & tres tribus ex decem tranſmiſſas in Aſsyriam ab iſto triumphante rege Thiglathphileſer; cùm eo ſe compoſuerit Oſee; & ab eo ſine titulo regis, fuerit tamquã præfectus, & princeps conſtitutus, ſed ſubditus miniſtris, & ordinatis à Rege; & ſic perſeuerauerit vſq; ad obitum regis Thiglathphileſer, qui obijt anno duodecimo Achaz; quo mortuo, fretus auxilio ciuium, placatis inimicis Phacee fautoribus, rebellauerit à rege Aſsur, & eiectis à regno, & adminiſtratione ordinatos,

natos,

natos, & præfectos à Rege, se constituerit regem in Samaria, quæ est regni caput, super Israel; & cæperit verè Rex, nomine, & re, regnare; Ob quam causam Salmanasar filius Thiglathphileser ascenderit contra Osee tamquam rebellem anno duodecimo Achaz; contra eũ, inquam, prima vice, ascenderit Salmanasar; cum quo iterum rebus compositis, ipsum cõstituerit regem super Israel, verum subditum, & tributarium; Ita certè alium sensum non possunt habere illa scripturæ verba: *Contra hunc ascendet Salmanasar rex Assyriorum*; *Et factus est ei Osee seruus, reddebatque illi tributa*; neque vnquam legimus Osee factum fuisse seruum, & tributarium regis Assur, nisi hoc loco, & hoc tempore anno duodecimo regis Achaz, & nono ipsius Osee; Verùm Osee pertæsus seruitutis, tributa, quæ aliquibus annis reddidit, putà primo, secũdo, & tertio anno, ex nouem, quibus vltimò regnauit, cępit illi negare, & ab eo defecit fretus auxilio regis Ægypti. Quod inueniens, & comprehendens rex Assur, vt apertè dicit sacer textus, eo quia non soluebat tributa, quæ antea per singulos annos soluerat; tunc rex Assur tertiò, ascendit in terram Israel, & secundò contrà Osee, Salmanasar; *Venit, & obsedit eum, & misit in carcerem; & ascendens Samariam obsedit eam tribus annis*; *Anno autem nono Osee cæpit rex Assyriorum Samariam*; Et ista sunt spolia Samariæ auferenda ab Emmanuele anno ætatis suæ decimo-octauo.

Ex quibus omnibus falsam esse allatam glossam R. S. ab initio colligimus; nempè spolium Samariæ auferendum à filio prophetissæ, siue à rege Assyriorum non esse tributum, & munus, quod Osee soluebat & mittebat regi Assyriorum anno quarto Achaz; cũ falsum sit illo anno contra Osee ascendisse Salmanasar; sed fuit anno duodecimo

decimo

decimo Achaz; cùm falsum sit eo anno quarto Achaz, Salmanaser fecisse Osee sibi seruũ,& tributarium; quod accidit anno prędicto duodecimo Achaz. Sed hoc anno filius prophetissæ erat ætatis saltem octo annorum; & consequẽter multùm temporis antè sciebat iam vocare patrem suum,& matrem suam; reprobare malum,& eligere bonum; cùm falsum sit spolium Samariæ posse esse tributum, quod soluebat Osee regi Assyriorum; de quo nunc agemus.

CAPVT TERTIVM.

Quæritur, an tributum solutum ab Osee Regi Assur, siue primo anno sui regni, vt sensit R. S., siue anno nono sui regni, Osee scilicet, quando factus fuit ab eo seruus, & tributarius; fuerit illud spolium Samariæ, de quo loquitur Isaias; Quod antequam filius prophetissæ sciret vocare patrem suũ, & matrem suam, auferre debebat, vel ipse puer, vel rex Assur à Samaria.

R. S. vt vidimus, ly; *Et spolia Samariæ*; exponit pro tributo, quod Osee mittebat singulis annis Salmanaser regi Asur; sed imperitè,& malo animo; nã שלל *scialal*; *Spolium*; nullibi in sacra Scriptura significat tributum, siue donum; sicuti erat illud, quod mittebat Osee regi Asyriorum. 4. reg. 17. 3. vbi vulgatus; *Reddebatque illi tributa*, heb. ויהי לו מנחה *Vaiiascieu lo mincha*; & v. 4. *Ne præstaret tributa Regi*, heb. *mincha*; *munus*; *oblationem*; estque illud, quod pacto, & voluntate liberè mittitur; sed vox, *scialal*; *spolium*; vbique denotat violentiam, ra-

rapinam, prædam; & præcipuè, quæ fit in bellis, captis, & debellatis ciuitatibus, spoliantur, & deprędantur supellectiles domorum, vestes, mobilia, aurum, argentum, & omnis substantia à militibus; vt in obseruationibus notauimus; Et præcipuè hoc loco repugnat, quod, *scialal*; aliud significet, quam deprædationem factam ab Assyrijs, quādo capta fuit Samaria ab eis anno sexto Ezechiæ, & spoliata omni sua substantia, diuitijs, & facultatibus. Primò quia verbum ישא *issa*; quod traducit vulgatus; *auferetur*; denotat apertam direptionē, & violentam ablationem fiendam ab exercitu regis Asur; ita traduxit Cald. ישבי ית נכסי *iscbbe iath nichse damesech*; *Capiet bello, & violenter*, hinc. שבי *sceui; præda*; quæ propriè est hominum, qui in bello capiuntur; hinc שביה *sciueiah*; *Captiuitas*. Quod vulgatus legit; *spolia*; traducit Cald. *Nichse*; Numeri pluralis נכס *Nacas*; cōpræhendit omnia bona, fundos, mobilia, aurum, argentum, vestes, armenta, homines. Secundò si R. S. illud; *auferetur fortitudo Damasci*; intelligit de vera captione, direptione, & deprædatione omnium facultatum, & diuitiarum ciuitatis Damasci, facta à militibus, & exercitu Thiglathphileser regis Asur, ergò tenetur concedere eundem sensum de hoc, quod sequitur immediatè; *Et spolium Samariæ*; nam ואת *Veeth*; Est dictio vnitiua ad verbum pręcedens ישא *issa*; *auferet*; propriè in hebræo; tamquam suum casum accusatiuum; grammaticis loquor; *Et auferet spolium Samariæ*; itaut sit sensus; rex Asur per suos milites obsidebit ciuitatem Samarię, qua capta, auferent, & diripient eius spolia, facultates, diuitias; quę ideò spolia vocantur, quia iure belli, illis spoliantur sui possessores. Tertiò hæc veritas traditur ab ipso R. S.; nam exponens illa prima duo nomina imposita filio prophetissæ,

phetissæ c. 8. v. 3. למהר שלל *lemaher scialal*; *Ad accelerandam prædam, siue spolium*; docet alludere ad secundum aduẽtum Salmanasar in terram Israel, quando expugnata Samaria ciuitate, abstulit cũ suo exercitu, illius, et omnium decẽ tribuũ facultates, et opes; Quæ prẹda, et expoliatio ciuitatis Samariæ, symbolicè inclusa in illo nomine; *lemaber scialal*; *Ad accelerandum spolium*, apertè explicatur per verba immediatè sequẽtia; *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferet fortitudinem Damasci, & spolium scialal*; idem nomen pueri; *Samariæ*; Cur inquam, hæc deprędatiò Ciuitatis Samariæ tàm violenta, hostilis, & aperta, ab ipso R.S. exponitur de solutione tributi facta Regi Assyriorum ab Osee Rege Israel anno primo sui regni, & quarto Achaz, quo nundum natus erat iste puer? cur tanta cæcitas in isto doctissimo Rabino? nisi quia veritatis hostis, spiritu falsitatis agitatus, manifestam ipsam veritatem istam, & vaticinium de rege Messia, malignè offuscare, & negare conatur; Cùm enim euidentissimè cognoscat, quòd propheta vaticinatur, prius tempore, auferendam esse fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ, antequam puer, cuius nomen, istas duas deprædationes portendit, sciat vocare patrem suum, & matrẽ suam; & fortitudo Damasci ablata fuerit eodem anno quarto Achaz, & primo Osee; at verò spolium ciuitatis Samariæ non fuerit ablatum hoc anno, sed anno sexto regis Ezechię, qui fuit ãnus decimus octauus Osee regis Israel, vt asserit Scriptura; quò anno puer filius prophetissæ fuisset annorum decem & octo; & sic sequeretur vatem falsum prophetasse; quod absit; non enim verum prædixisset, quod antequam iste *puer sciret vocare patrem &c.* Ciuitas Samariæ à militibus regis Assyriorum

riorum caperetur; & eius spolia auferentur; adinueniq; hanc falsam glossam. Quod spolium Samariæ fuit tributum; quod Osee anno quarto Achaz, & primo regni sui cępit soluere regi Assyriorum; sed omnia ista falsa esse ostendimus; falsum, quod Salmanasar anno primo Osee ascenderit contra eum, & fecerit sibi seruum, & tributarium; falsum, quod ly; *spolia Samariæ*; significent tributa; & dona; & sic falsum, quod concludunt magni chronologi hebręorum in Seder ngolam Rabba; *Omnia ista anno quarto Achaz* כלה׃ בשנת ארבע אחז

Verissimum est; & hoc confitentur omnes RR., quod Salmanasar anno duodecimo Achaz, & nono Osee ascendit contra ipsum Osee; & tunc non captiuauit, illas duas tribus Ruben, & Gad, vt falsò ipsi dicunt; sed, quod ipsi negant; & textus apertè loquitur; *Et factus est ei Osee seruus; reddebatq; illi tributa*. Si vult R.S. quod hæc tributa sint spolia Samariæ, cùm hoc adimpletum fuerit non anno primo Osee, sed anno nono; iam tunc puer prophetissæ sciebat, & multo tempore ante, vocare patrem suum &c. ergò non verè dixit propheta; *Quia antequā*; anterioritate temporis; *sciat puer vocare &c. Auferetur spolium Samariæ*; cùm hoc ablatum fuerit anno nono, siue octauo post natiuitatem pueri, quo anno puer optimè sciebat vocare, & multa alia; Ex quo sequitur, vel quòd sacer textus mentiatur, quod est blasphemum; vel quod infantia huius pueri prophetissæ durauerit vsque ad annum nonū regni Osee, quo incæpit soluere tributa, quæ sunt spolia Samariæ per ipsum; quod est ridiculum; & cōtra ipsos dicentes, anno secundo, vel tertio à natiuitate sciuisse vocare patrem; vel tandem sequitur, q; Propheta hoc loquendi modo vult dicere: Anteq; iste puer concipiatur, & pariatur ab מעל *hangalmah*; *auferetu. fortitudo &c.* Quem sensum germanum, & genuinum

co-

cognoſcit R.D. de Emmanuele c. 7. V. 16. vide ibi; Immò clarè confitetur R. S. dicens. *Antequam ſciat puer ſcire bonum. Derelinquetur terra*; à quibus derelinquetur? Reſp. מפני שני *Meioſceuéah, ab indigenis, & habitatoribus ſuis*; quæ eſt iſta terra? Reſp. *Admath Rezin, terra ſiue regnum Rezin*; quæ eſt Syria; *Veadmat phecbach; & terra phacee, ſiue regnum*; quod eſt Ephraim; Et eſt penitus dicere: *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuū; Auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ*; Hoc eſt Syrij, Damaſceni, Ephraimitæ, Samaritani deſinendo eſſe populi transmigrabunt, derelinquendo proprias terras, regna, & ciuitates, et terras alienas remotiſſimas; quæ duæ transmigrationes euenient; *antequā ſciat puer vocare patrem ſuum*; ſed hoc eſt dicere; *antequam*, anterioritate temporis, propheteſſa cōcipiat, & pariat filiū; iſtæ duæ duorum populorum Ephraim, & Syriæ captiuitates, & trāſmigrationes præcedere, & euehire debebāt. Ex quibus omnibus euidentiſſimè apparet; commentaria RR. eſſe commenta contra veritatem huius magnæ prophetiæ; dum inſtabiles, & cæci dicunt hanc hangalmah, & propheteſſam, tunc temporis anno quarto Achaz extitiſſe, & fuiſſe, vel vxorem Achaz, vel vxorem Iſaiæ, vel concubinam iuuenculam illius; vel filiam eius, & ſororem Ezechiæ; dum affirmant anno quarto Achaz concepiſſe, & peperiſſe Emmanuel. Dū mendaciorū magiſtri audent aſſerere omnia, quæ de iſto Emmanuele filio propheteſſæ prædicuntur eodem et anno quarto eueniſſe.

Veritas ergò eſt; prophetam vaticinari de maximo prodigio, & miraculo omnium maximo; non tunc temporis anno quarto Achaz; ſed poſteà futuris temporibus, ab ipſomet Deo ſolo omnipotente patrando, nempè de cōceptu, & partu virginali matris regis Meſ-

siæ, qui futurus erat Deus, & homo simul, verus & essentialis Emmanuel; prius enim tẽpore, & hoc conceptu, & partu, spolianda, depopulanda, & deuastanda erat Ciuitas metropolis Samaria, Ephraim, siue decem tribus prius cessare ab esse populus; prius in captiuitatem Assyriacam ducendas omnes tribus; quæ omnia euenerunt decem & octo annis ab ista prophetia facta anno quarto Achaz; ergò impossibile erat, quod hæc *bangalmah*, & *prophetissa* הנביאה *banneuiah* existeret tunc temporis; sed erit alia diuina, & mirabilis, futuris temporibus à Deo mittenda. Hic verò est aduertendum, hæc omnia adduci à Spiritu sancto; nõ vt innueret, quod post dissoluta hæc duo regna Syrorum, & Israelitarum, post deuastationem Damasci, & Samariæ, post transmigrationem harum duarum gentium in alienas terras, necesse fuerit, quòd his confectis, altera pars prophetiæ adimpleretur, hoc est, quod העלמה *bangalmah*, Virgo prophetissa conciperet, & pareret nobis Emmanuel, statim illis temporibus; non ita, inquam, opus erat; Ratio est, quia hæc omnia præmittuntur, & prædicuntur futura ante conceptũ, & partum huius Virginis prophetissæ, domui Dauid promissum; vt essent signa, & argumenta; quæ ab illis visa, & experta, & adimpleta, certissimè, & facillimè credere possent hoc mirabile prodigium à Deo promissum, & per illum solum operandum suo tempore; hac de causa Propheta loquitur semper in tempore futuro; *Propter hoc dabit Dominus &c. Ecce Virgo concipiet &c. Quoniam antequam sciat puer &c.* præterea quod sacer textus non promittit, quod post duas has captiuitates Damasci, & Samariæ; *puer sciet reprobare malum &c, & vocare patrem &c.* hoc est circa illud tempus nasci; sed hoc reliquit suspensum; & noluit reuelare quo tem-

pore

pore Emmanuel erat concipiendus, & pariendus à Virgine prophetissa. Tantùm enim Propheta promittit Deum ipsum operaturum hoc signum, & miraculũ conceptus, & partus Virginis; sed non quo tempore in sua diuina mente præfinito; & domui Dauid, cui facta est à Deo hæc promissio, vt ipsum crederet, prædicit forè prius prioritate temporis has duas deprædationes, & captiuitates regnorum, & Reipublicarum Syriacæ, & Israeliticæ.

CAPVT QVARTVM.

Soluuntur quædam argumenta, & responsiones ad prædicta, quæ ab aliquibus ex nostris in hoc Rabbinizantibus afferuntur.

P. Gaspar Sanctius de sacris scripturis tàm benemeritus falsam Rabbinorum opinionem hoc cap. nu. 10. quod nẽpè hæc prophetissa fuerit tunc temporis anno quarto regis Achaz vxor Isaiæ, & ex eodem anno conceperit, & pepererit filium, acriter, & plus æquè defendens quasdã subtilitates, sed nullius roboris, & quas nec ipsi Rabbini vnquam imaginati sunt, adinuenit cõtra veritatem propositam; & genuinum sensum allatum huius textus; *& auferetur &c. & spolium Samariæ.*

Dicit primò; *Adde quod propheta non dicit vastandam esse Samariam; sed diripienda esse spolia Samariæ à Rege Assyriorum. Est enim satis notum Samariam sumi pro toto regno Israel, quia ibi erat Regij nominis sedes, & domicilia; Et sicut Ephraim sumitur pro Israel, quia ex ea tribu ortus fuit Ieroboam, qui primus omnium regnũ illud obtinuit; sic etiam quia Samaria erat in sorte Ephraimitide,*

tide, et in ea præcipua pro tota illa tribu, atque adeò pro toto illo regno vsurpari solet. Satis verò opima præda abacta est à Samaria quando ab ea quinque fermè tribus ablatæ fuerunt, ut dicitur 1. par. 5. 26. Hæc ille. Huic argumento respõdimus tract. 1. v. 16. c. 3. Hic addendum est primò, non inuenio in Scriptura, tùm Regum, tùm Prophetarum, nomine Samariæ sumatur totum regnum; & dato, quod supponit Sanctius, suum erat probare, nomen *Samariæ*; hoc loco, sumi pro regno, & non pro ciuitate regia, & Metropoli regni, & nomine; *spolia Samariæ*; sumi pro spolijs alicuius partis regni Samariæ, & nõ pro spolijs ciuitatis illius regni metropolis; non .n. vbicumquè reperitur, immò rarissimè, & forsitan nunquam; hoc nomen Samaria, sumitur pro regno Ephraimitico, quod non facit. Deinde quod hoc loco; *Et spolium Samariæ*, sumatur ly, *Samaria*; non pro regno, sed pro ciuitate illa regia in regno Ephraim, elicitur euidenter ex sacro contextu antecedenti; Cap. enim 7. nu. 8. dicit Propheta; *Et adhùc sexaginta, & quinque anni, & desinit Ephraim esse populus, & caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ*; bis nominatur Samaria semper pro illa singulari ciuitate regia, quæ erat caput regni Ephraim; & cuius ciuitatis Samariæ erat caput filius Romeliæ, idest Phacee; ergò isdem propheta dicendo; *Auferetur spolium Samariæ*; accipit ly, *Samariæ*; non pro regno, & parte regni Ephraim; sed pro illa regia ciuitate singulariter; probatur consequentia; Quod vaticinatur pphcta in prædictis verbis de exterminio regni Syriæ, regni Ephraim, de cessatione ab esse populus horum duorum populorum Damasceni, & Israelitici, vt apertè significant illa verba: *Desinet Ephraim esse populus* יחת אפרים מעם *iechath Ephraim mengam: Exterminabitur ephraim,*

Ephraim, decem tribus, abesse populus; quod est idem de regno Syriaco. Hoc, inquam, magis declarauit v. 16. loquens regi Achaz; *Quia antequam sciat puer &c. derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum regũ ipsorum*; Sanctius nu. 38. ad verbum; *Porrò vastata esse duo regna antequam puer natus, seu conceptus, sciret reprobare malum: perspicuum fiet ex his, quæ statim cap. 8. in principio dicemus*. Et multò clariùs aperit, & testatur in hoc cap. 8. in cuius initio sic Sanctius: *Quæ inuolutè, & obscurè dicta sunt de excidio Damasci, & Samariæ* (certè in verbis allatis à Propheta in cap. septimo præcedenti) *antequam puer recens natus, seu, ut statim patebit magis, conceptus, inter bonum, & malum internoscat; id nunc, & explicatiùs ostendit, & apertissimè toti domui Iudæ testatum esse vult*. Hæc ille. Sed vbi, & quibus verbis clarissimis, & apertissimis hæc duo excidia horum duorum regnorum expresſit Isaias? Dices in illis quatuor verbis, quæ iussu Dei scripsit in magna carta. Sed ista, quis non videat, esse obscuriora, & enigmatica? Dices esse illa, quæ imponuntur filio prophetissæ; *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædam*; sed adhùc remanet eadẽ obscuritas. Dicamus ergò, quæ obscurè, & enigmaticè prædixit Propheta de totali desitione, & exterminio ab esse populus, tùm regis, & regni Syriȩ, tùm regis, & regni Ephraim; apertissimis verbis declarat, dum subiungit rationem nominis puero impositi; *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam; auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum*; sed intentio Prophetæ in prioribus locis fuit prædictio totalis destructionis horum duorum regnorũ, & captiuitatis in alienas terras horum duorum populorum, Syriaci, & Israelitici; At verò aliquod regnum, vel po-

populus, vel respublica nunquam dicetur exterminari, & cessare ab esse populus, vel à regno, eo quia nonnullæ ciuitates illius regni capiantur, & possideantur ab inimicis; Et caput regni, Ciuitas metropolis, domicilium, & sedes regia cum suo Rege, curia, senatu, & magistratu, ciuibus, & populo conseruantur cum ista forma, & libertate. Nam hoc est esse regnum, & esse populus, & respublica. At quando ciuitas regia, sedes, & caput regni, capitur, tota deprædatur, funditùs euertitur; Rex, senatus, optimates, nobiles, & populus vniuersus captiui, & serui regis alieni, in remotas regiones traducũtur; tunc verè, & propriè illa ciuitas desinit esse caput regni, respublica amittit suam formam, & populus desinit esse populus sub suo naturali rege, & capite, & in proprijs patrijs sedibus; & induit formã seruilem captiuus alienarum gentium, & in alienam terram detrusus; Modò vt veniamus ad nos; cùm hanc miserrimam fortunam, & statum minetur Deus pluries decem tribubus; sed apertissimè illis verbis; *Et auferetur spolium Samariæ*; vt fatetur Sanctius; ergò sequitur; Etiam si Thiglathphileser cœperit aliquas ciuitates regni Samariæ, siue Ephraim; & numquam ad Samariam, quæ erat metropolis, nec accesserit; non potest dici, quòd verificetur prophetia ista; *Auferetur spolium Samariæ*; sumendo ly, *Samariæ*, pro parte regni, quæ fuit deprędata hoc anno quarto Achaz à Thiglathphileser. Cùm intentio prophetiæ non spectet deprædationem, & cessationem ab esse populus, alicuius partis regni, & popoli Ephraim tãtùm, qualis fuit illa trium tribuum ex decem facta à Thiglathphileser; sed totius regni, & populi exterminium, & in Assyriam omnium tribuum, transmigrationem, quæ omninò consistebat in desolatione ciuitatis Samariæ, opum, ciuium

popul,

populi, & regis illius. Tunc enim adimplebatur illud cap.7.9. *Et desinet Ephraim esse populus, & caput Ephraim Samaria*, desinet; *& caput Samariæ &c.* desinet; Quod numquam adimpletum fuit, nisi quando Samaria capta fuit cum suo Rege vltimo Osee, spoliata, & deprædata; nisi quando populus Ephraim desijt esse populus, quando omnes decem tribus captiuæ ductæ fuerunt in Assyriam. Ac hoc totum non accidit, nisi sub Salmanasar filio Thiglathphileser anno sexto Ezechiæ, & nono Osee, & decimo-octauo sub ãno quarto Achaz; vt Scriptura sępius allata testatur; Quod inuitus confitetur Sanctius in superioribus suis verbis: *Porrò vastata esse duo regna; antequam puer natus, uel conceptus sciret reprobare &c. perspicuum fiet &c.* sed regnum Ephraim non fuit deuastatum nisi anno decimo-octauo ab hac prophetia, vt patet; ergò quod scribit est contra sensum litteralem, & propheticum, peruertit mysterium, & potius fauet nimis aperto errori Rabbinico, quam veritatem orthodoxam defendat.

Iterum insurgit Sanctius contra veritatem prædictã, quod nempè, cũ spolia Samariæ non fuerint ablata à rege Assyriorum nisi anno sexto Ezechiæ, consequens est, tunc puerum iam natum fuisse annorum 18. postquam cæpit vocare patrem, & matrem; ipsam sic labefactando; Nõ potest negari, quin anno quarto Achaz nõ cæperit fieri per regem Assur hæc deprædatio, & populi Ephraimitici ex parte in Assyriam transmigratio, 4.reg.15. ergò per illam regulam in Scriptura vsitatam; Aliquod dicitur factum; cùm cæptum est fieri; potest dici, quod tunc ablata fuerint spolia Samariæ à rege Assyriorum, quando anno quarto Achaz spoliatæ fuerunt nonnullę ciuitates regni Samariæ, & tres tribus in Assyriãm ductę captiuæ;

quod euenit, vel antequam nasceretur, vel paulò post natiuitatem infantis Emmanuel, hoc est tempore infantiæ; & sic prophetia videtur loqui de filio prophetissæ vxoris Isaiæ. Resp. illam regulam non habere locum vbiquè, & debere intelligi in suo vero sensu, idest, quod aliquid dicitur factum, hoc est reputetur, & existimetur factum, quando cæptum est fieri; quæ loquutio est impropria, & extrinseca; verùm etiã cùm hoc grano salis, nisi aliter aduersetur intentioni textus; nam si textus intendat loqui de re non prout incæpta, iam in fieri; sed prout facta, & completa in suo esse perfecto; hæc regula non habet locum. Modò ad rem nostram, hæc regula est omninò reijcienda; prout contraria, & destructiua veritatis sacri textus; nam apertè loquitur de totali, & perfecta, & extrema clade, & desitione totius regni Israelitici, & eius capitis, hoc est ciuitatis Samariæ, regni, & metropolis; & eius populi totius Ephraim; & nõ vnius partis tantùm, vt iam probatum est; & subiungit clarè sacer textus, quod hoc totum eueniet, quãdo terra Ephraim, & terra Syriæ derelictæ fuerint à suis habitatoribus; non dicit quando aliqua pars terræ Ephraim, vel Syriæ; sed absolutè; derelinquetur terra, hoc est regnum Damasci, & regnum Samariæ à suis Regibus, & habitatoribus; quod tunc euenit, quando capta Damasco ciuitate Regia Siriæ, Damasceni, non aliqui, sed omnes, transmigrarunt Cyrenen; pariter, quando decem tribus vel saltem septem relictæ; capta, spoliata, & euersa Samaria caput regni, ductæ fuerũt captiuæ Assyriam, quæ duæ desitiones, & desolationes sumuntur à propheta in suo totali, & perfecto esse consummato, non inchoato, dùm dicit; *Auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ*, idest omninò destruetur regnum Damasci, & Sa-

V maria

mariæ à rege Assur; Quæ loquutio non potest saluari, si dicatur, & exponatur; vt vult Sanctius; Incipiet deprædari loca, & terras regni Samariæ; Ratio est. Nam si nomine Damasci intelligitur primò, & per se Ciuitas regia, & caput regni Syriæ, non aliqua parua pars illius regni, vt patet; cur non etiam eundem penitus sensum debet habere hoc nomen Samaria, prout significat, sua prima, & propria significatione, regiam sedem, & caput regni, & reipublicæ decem tribuum, & non partē paruā regni? Si Spiritus sanctus per ablationem fortitudinis Damasci intelligit propriè, & p. se litteral. illā materialē ciuitatem caput regni Syriaci, prout verè captam, spoliatam, direptam, & euersam ab Assyrijs, & deinde consequenter connotatur tanquam à principaliori, quod cæteræ omnes Syriæ ciuitates fuerint deuastatæ, & direptæ; cur inquam per ablationem spoliorum Samariæ non intelliget propriè, & per se litteraliter, illam ciuitatem materialem fundatam in tribu Ephraim, quæ fuit regia, & caput regni, & reipublicæ Ephramiticæ; quādo ipsa verè, & effectiuè, obsessa à Salmaneser rege Assur post annos tres obsidionis, qui fuit sextus Ezechiæ, & nonus Osee, fuit capta, spoliata, deprædata, & funditùs euersa, in æternum extinctum regnum, & populus Ephraim captiuus in Assyriam, vsque hodie; si tunc verè, litteraliter, & propriè; ablatis omnibus metaphoris; fuit adimpleta prima pars prophetiæ; *Auferetur fortitudo Damasci*; non quando rex Thiglathp. ingressus Syriam, cæpit primò aliquas illius regni ciuitates, & loca, vt est indubitatum; sed quando cæpit Damascum, & eam deuastauit, & occidit regem eius, & populum Damasci in captiuitatem misit, vt legitur 4. reg. 16. 9. quod euenit anno quarto Achaz, primo Osee, anno, quo puer pro-

 phe-

Assyrios? Certè, qui aliter sentit, nimis apertè dissentit, & periculosè discedit à proprio sensu litterali horũ verborum: *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam; auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ;* Hoc est, postquàm Damascus, & Samaria nõ erunt amplius regiæ, & capita suorum regnorum; postquam captæ, expoliatæ, & euersæ fuerint à rege Assyriorum; Postquàm vterque populus, & Israeliticus, & Syriacus derelinquendo propriam, & natiuam illorum terram; cessabunt, vt sint populus, in alienas, et longinquas ducti prouincias; his omnibus confectis, & iam transactis, tunc *Emmanuel sciet reprobare malum, & eligere bonum;* Tunc filius prophetissæ; *sciet vocare patrem suũ, & matrem suam;* Quod est apertiùs dicere; hoc totum vobis prædico, & vaticinor; hæc omnia prius tempore fienda; antequam, non dico nascatur, siuè parum post eius natiuitatem; sed antequam iste puer Emmanuel concipiatur in Vtero; *Hangalmah*, siuè prophetissæ; & hæc signa, & euentus vobis propono, vt sciatis hanc *hangalmah* non esse vxorem regis Achaz, siuè Isaiæ, neque cuiuscumque existentis, & viuentis nunc hoc præsenti tempore; sed promittitur à Deo hæc hangalmah, & eius virgineus conceptus, & partus, & filius, temporibus futuris venturis; Et ideò, vt hòc credatis, non loquor obscurè, et enigmaticè; sed clarè, et apertè vobis prophetizo, quod hic conceptus, et partus virginis, signum, et portentum à sola Diuina omnipotentia efficiendum; *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum;* non dabitur inquàm, non fiet à Deo, nisi post douastationem, et totalem euersionem regni Israelitici, et tandem ciuitatis Samariæ eius regni metropolis excidium, et spolium, prædictum prius à propheta Amos multi

anni

anni sunt, et à me modò nuper confirmatum, dùm dixi, cap. 7. v. *Et adhuc sexaginta, & quinque anni desinet Ephraim esse populus; & caput Ephraim Samaria* (desinet) *& caput Samariæ filius Romeliæ.* (desinet) Nàm ab anno, quo Amos interitum regni Ephraim prædixit, vsque ad annum sextū Ezechiæ regis Iuda, & decimum octauum Osee Regis Israel, quo Ephraim desijt esse populus, & quo caput Ephraim Samaria desijt esse caput, & regia, fuerunt anni sexagintaquinque; Modò ego Isaias hoc anno quarto regis Achaz, & primó regis Israel Osee, repeto, & confirmo hanc notam, & vulgatam prophetiam excidij regni Ephraim, & deuastationis, & despoliationis ciuitatis eius regiæ Samariæ, his verbis. *Auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ;* & dico, quod sicut ab anno quarto Achaz regis Iuda, vsque ad exequutionem huius prophetiæ de totali interitu regni Ephraim, qui fuit quando Samaria ciuitate regia capta, & deuastata omnes decem tribus captiuæ ductæ fuerunt in Assyriam; remanent adhuc venturi, & transituri anni decem & octo; ità post hoc tempus, & transactis decem & octo annis, idest post captam, expoliatam, & dirutam ciuitatem Samariæ; promissus partus Virginis, hoc est filius eius Emmanuel; *sciet reprobare malum,* filius prophetissæ, *sciet vocare patrem suum &c.* idest concipietur, & nascetur. Et fidē huius admirabilis promissi, & mysterij, modò requirit à vobis Deus, vt saluemini, quam nisi habueritis non permanebitis.

Quærit tandem P. Sanctius eneruare vim illius textus, & argumenti. *Auferetur fortitudo Damasci,* textus hæbręus & Septuaginta legūt actiuè. *Auferet, accipiet fortitudinem Damasci &c.* *Cùm verò filius Isaiæ nihil contrà Damascum, Samariamuè molitus sit, de Messia potius, quam*

de illo accipienda putant; Hæc ille; Huic argumento, vt suo loco vidimus, respondent hebræi verbum, *Issa, auferet*, carere nominatiuo agente, & ideò debere exponi, vel passiuè, & impersonaliter; *auferetur*, idest à milite, vel auferet supple miles, vide ibi, q ad hæc diximus; P. Sanctius adinuenit hanc responsionem, *In signis, illa facta dicuntur, quæ ab alijs factum iri significantur.* Declarat hanc regulam, Isa. cap. 6. 9. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*; quæ sunt verba Dei ad prophetam, & sic sensus, prædica, declara, illos esse nūc, aut futuros cæcos, & surdos. Tradit hanc regulam S. T. p. p. q. 24. a. 3. Exempla multa. Leu. 13. de leproso declarando dicitur: *Contaminabit eum Sacerdos*; idest cōtaminatum declarabit Iob 9. *Abhominabuntur me vesti menta mea*; Ostendent me esse abhominabilem. Ità in re nostra dicitur iste puer, *quod auferet fortitudinem Damasci* &c. idest significabit nomine suo, denunciabit tanquam signo, & vaticinio, auferendam esse fortitudinem Damasci. Quarè ex eo tempore, quo primum hic puer vocatus fuit: *Accelera spolium, festina prædam*; dici potuit abstulisse fortitudinem Damasci.

Hæc ille. In hoc penitùs adherēs R R. qui hæc nomina penitùs verbalia, & extrinsecè prophetica puero conuenire asserunt. Resp. ex antedictis ostenditur hoc loco hāc doctrinam aliàs veram, non conuenire, sed esse falsam, & reijciendā; ex eo enim, quod demonstrauimus suprà. Deum esse, & non prophetam, qui dixit; *Et adhibui mihi &c.* Deum esse, & non Isaiam, qui, *accessit ad prophetissam*: non vxorem Prophetæ, sed illam; *hangalmah*: virginem celeberrimam; & consequenter, quem filium ex Spiritu sancto concepit virgo, & peperit virgo, vocari hoc nomine: *Accelera spolium, festina prædam*; non ex

trinsecè, & verbaliter, sed intrinsecè, propriè, et essentialiter, et consequenter huius nominis interpretatio, quæ est; *Antequam sciat puer vocare patrem, & matrē; auferet fortitudinem Damasci &c.* est propria, intrinseca, & connaturalis huic puero, tùm sensu litterali, et historico; ipse est enim, qui antequam conceptus, et natus ex origine prophetissa, abstulit fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ, vt verus Emmanuel Deus, & homo: vt sic ly, *puer*; est nominatiuus agens huius verbi; *auferet*; est causa principalis efficiens euersionis, & totalis desitionis horum duorum regum, et regnorum illorū, et vtriusque populi. Tùm sensu litterali allegorico principaliter intento à Spiritu sancto; quod iste puer auferet spolia Satanæ, quę sunt animæ, destruet regnum eius, quod est Idololatria; Qui nequit esse nisi Rex Messias veluti in parte secūda huius tractatus lucidissimè illius lumine roborati ostendemus, et ostendimus tract. 1. p. 2. c. 3.

Hîc admonitum volo Lectorem meum; Opinionem P. Sanctij, quam affert cap. 7. vers. 12. in illis verbis, *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum derelinquetur terra &c.* esse omninò reijciendā, vt potè sacræ Scripturæ contrariam, & omnibus Patribus, expositoribus, & Rabinis oppositam, atque nouam, & nouissimam, vt ipse fatetur, post longam deliberationem ab eo excogitatam. Sic enim scribit numero 56. *Et primum existimo hunc puerum, cuius biennalis ætas, aut triēnalis modum definit duorum regum, & totidem regnorum gloriæ, non esse Emmanuelem; sed illum, de quo postea cap. 8.* (putà filium prophetissę.) *Quo tempore cōplenda dicuntur illa, quæ supra diximus, signa esse futura Emmanuelis de Virgine nascituri. Definit autem tempus, quo euertēda sunt illa regna adeò infensa populo Iudaico.*

Quod

Quod sanè tempus est, antequam puer, de quo statim ca. 8. ad illam ætatem perueniat, in qua pueri inter bonum, & malum, amarum, & dulce distinguere solent. Quod aliter expressit cap. 8. dum dixit. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam. Quod solet esse triennij tempus; concludit Sanctius num. 57. Quæ omnia obstupeo tam doctum virum non animaduertisse, quàm sint apertè repugnantia; primò sibi; nàm dicit definiri tempus, quo euertenda sunt illa regna adeò infensa populo Iudaico, idest regnum Damasci, & regnum Samariæ, quòd sanè tempus definit esse triennij; sed regnum Samariæ non fuit euersum, vt vidimus, nisi post annum decimum octauum à conceptu huius pueri. Deinde, quæ dicit repugnăt verbis propheticis immediatè antè positis; dicitur enim v. 2. de persona Emmanuelis; *Butyrum, et mel comedet; vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Hoc concedit, & de Emmanuele exponit Sanctius. Subditur statim versus 12. *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum &c.* Quis non videat sole clarius, quòd hic puer non potest esse alius, nisi immediatè prædictus Emmanuel; cùm de eo solo immediatè præmissa sint eadem pęnitus verba; *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: quę iterùm formaliter statim subrepetuntur: *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum.* Ità omnes DD. nostri, & hebræorum semper intellexerunt, & exposuerunt. Et quomodò hæc possunt adaptari puero, & filio prophetissæ; si adhùc de illo nullum verbum, nulla pęnitus mentio, nulla reuelatio, imaginatio nulla? si de illo c. 8. tantùm dicitur: *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædam. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suã*; quæ sunt diuersissimæ significationis ab illis verbis de

puero Emmanuele prædictis; *Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum.* Decipitur etiam in hoc P. Sanctius, & aliqui ex noſtris ſequentes ſtultam doctrinam R. D. noſtræ fidei, & diuinitatis regis Meſſiæ Ieſu Nazareni acerrimus hoſtis; putantes Iſaiam prædictis duabus propoſitionibus ſolùm denotare velle tempus ætatis infantium, ab ortu vſquedum ſciant vocare patrē, & matrem, diſcernere inter bonū, & malum, putà inter dulce, & amarum, quod tempus ſolet eſſe, vel biennium, vel triennium, infra quod tempus infantiæ huius pueri, hæc duo regna penitus euertenda erant, ſed nos ſuis locis oſtendimus multis, & efficaciſſimis rationibus ſenſum illius propoſitionis; *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*; eſſe apertè oſtendere, Emmanuelem eſſe Deum, & ſuam infinitam ſapientiam; & ſenſum illius; *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum &c.* eſſe hunc, antequam Emmanuel concipiatur, & pariatur ab *hangalmah*; quæ, & prophetiſſa; Antequam Deus fiat homo, & verbum fiat caro in Vtero Virginis, qui erit rex Meſſias, omnia quæ futura prædicuntur prius tempore euenient; ad propria loca remitto lectorem.

VERSVS QVINTVS, SEXTVS, ET SEPTIMVS.

Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens: Pro eo, quod abiecit populus iste aquas Silohe, quæ vadunt cum silentio; & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ. Propter hoc, Ecce Dominus, adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius.

Observationes litterales.

ET *adiecit*. Caldæus Ionathæ vertit; *& adiecit* מימר דיי, *memar daascem, verbum Dei loqui mecum adhuc, iterum, dicens*; vide pluralitatem personarum in diuinis; nã verbum loquens est persona diuina, vt patet; dum dicit, *Dei*, alia persona cõstituitur, à qua verbum emanat, siue generatur, qui est pater; verùm de hoc in tractatu de Sanctissima Trinitate. Notat & rectè R.D. quod propheta dicens; *Et adiecit Dominus*; in hoc significet idem penitus subiectum, & eandem penitus personam diuinam, quæ immediatè ante loquebatur, subnectere, & cõtinuare suum sermonem cum Propheta; & ideò dicit pariter; *Adhuc; denuò*; Et simul indicat non solum prædicta omnia, etiam, quæ capite præcedenti ennarrata sunt; sed & ea, quæ & in isto, & in sequẽti capite nono, & decimo enarrantur eodem tempore, & die prædicta fuisse ab Isaia, in quo videtur decipi Forerius, qui inter prophetiam superiorem cap. 7. de conceptu; *bangalmah*; & istã de conceptu ꝓphetissę vult intercessisse aliquot annos; nã prima prophetia de virgine paritura facta fuit anno tertio, vel quarto regis Achaz; ista verò de cõceptu, & partu

& filio prophetissę reuelata videtur anno uno antequam Assyrij Syriam deuastassent, & Damascum caperent; nõdum enim infans ille, primas voces infantum loqui incipientium poterat efferre, vt ipse dicit; Verùm contextus sacer ostendit oppositum; pœnitus eadem esse, quæ de puero virginis dicuntur cap. 7. *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum regum ipsorum*; & quæ de puero prophetissæ cap. 8. *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam: auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorũ*; Sed anno quarto regis Achaz Assyrius debellauit Syriã, & cæpit Damascum. Ergò eodẽ tempore, anno, & die factæ fuerunt istæ duæ prophetiæ ab Isaia, coram rege Achaz eodem filo concionis.

Pro eo, quod abiecit populus iste. Quis fuerit iste populus textus sequens declarat, fuit populus Iuda, & ciues Ierusalem, qui considerantes magnam potentiam aduentantiũ regum Damasci, & Samariæ, diffidentes de Deo, & rege Achaz, ad defectionem confugere cogitauerunt, ob quã rebellionem, minatur illis Deus punitionem per regem Assyriorum.

Aquas Silohe; Quis fuerit, & sit iste fons vocatus Silohe diximus tract. p. v. 3. & dicemus infrà. Hæc est metaphorica loquutio; & pro aquis Silohe intelligit ciuitatẽ Ierusalem à cuius latere australi scaturit iste fons; siue intelligit sceptrum Iuda, & domum Dauid, quæ aquis Silohe similis erat, quia regebat populum Iuda quietè, pacificè, cum omni mansuetudine, & dexteritate, & hoc significat, *quæ vadunt cum silentio.*

Propter hoc; Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum: in hebræo est dictio

ה; *Et propter hoc*; ולכן *Velachen*; hîc alludi ad Senacherib, qui tempore Ezechiæ, innumerabili pœnè exercitu vniuersam Iudęam inundauit, & vastauit; ferè omnes conueniunt; Alij deinde volunt hîc denunciari aduentum Nabucdonosor, qui Assyriorum, & Caldęorum monarchiam tenuit, & sub eo res iudaica attrita, & deleta fuit; iuxta illud; *Si non credideritis non permanebitis*; Alij allęgoricè; sed præcipuè, sic exponunt; Regem Messiam, qui est Silohe contēpserunt iudæi, & inuocauerunt Rasin dicentes; Non habemus Regem, nisi Cęsarē, ideò Assur, Titus, & Romani perdent os. Euseb. lib. 7. demo. c. 2. & egregiè Forerius, Corne. & alij.

CAPVT PRIMVM.

Nomine fontis Silohe, prophetica, & mirabili allusione vocat Isaias Regem Messiam, & regnum eius.

Metaphoricè vocat Isaias, vt exponit Caldęus Ionathę במלכותא דבית דוד *Bemalchutha Deueth Dauid*; *Regnum domus Dauid*; aquas Silohe, quæ vadunt cum silentio; vel quia iam debilitatum tot bellis aduersis, non habens vires ad resistendū inimicis; multi ex duabus tribubus despicientes has vires debilitatas, ad partes Phacee regis Israel se conuertebant, ita R. D. Vel quia regnum Dauid regebat subditos, & gubernabat cum pace, quiete, & amore; sine strepitu, atque impetu tyrannidis, & oppressionis subditorum; Ad huius regni Dauidici destructionem coniurauerunt duo reges, Phacee, & Rezin, ita R. S. Ideò ob istam rebellionem contra regiam domum Dauid, minatur illis, Deum inducturum super illos aquas

fluminis

fluminis fortes,& magnas; hoc est regem Assyriorum cũ grandi,& magno apparatu militum, qui reges Damasci, & Samariæ occidat,qui has ciuitates,& prouincias,& regna exterminet; Qui terram Iuda, & res Iudaicas sæpe diuexet,& tandem ad extremum ducat. Et eueniat Iudæis,quod Damascenis, & Israeliticis, rei Iudaicæ totalis euersio; quod accidit sub Nabuchdonosor. Et tandẽ sub Tito; propter illorum incredulitatem; Modò dico sceptrum domus Dauid assimilari huic fonti השילח *hasciloach*; immo vocari regem Mesiam, cuius sceptrum, est verè sceptrum iustitiæ, directionis, amoris, & pacis, psal.44. *Virga directionis, virga regni tui; dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*; & iterum: *propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam*; istæ sunt aquę silentes, pacificę,placidę,sine ira,& furore לאט *laat*,& ideò rex Messias,& eius regnandi ratio describitur ab eodem Isai.42. plena omni suauitate,mansuetudine,lenitate,iustitia,pietate,clementia; quare prophetice, sed apertè, alludit ad regem Messiam; Vnde dicendo propheta: *pro eo quod abiecit populus iste aquas Silohe,quæ vadunt cum silentio*: quauis in primo sensu literali,&historico significet regnũ Dauid sub Achaz,& Ezechia,a quo multi iudæorum tunc temporis,apostatarũt: Attamen principaliter,& anthonomasticè perstringit regem Mesiam, qui est verum, & æternũ sceptrum, vt dicemus,domus Dauid; quem mysticum fontem Silohe; cuius aquas quietas, & silentes; quem Regem Mesiam,& eius regnum spirituale,misericordię,pietatis,iustitiæ,& clementiæ, quia tribus Iuda, abhorruit, fastidiuit,reiecit,reprobauit, & detestata est, vt sępissimè sacræ Scripturæ prædixerant, ps. 117.*lapidem quem reprobauerunt ædificantes* &c. Quod fuit, quia noluerunt,& nolunt credere vero Mesiæ,qui est sceptrum,

&

& filius Dauid; qui est verus Emmanuel, Deus, & homo, Iesus Christus; ideò adduxit Dominus super hanc gentē Iudaicam, aquas fortes, & magnas, nempè Romanos, q ad instar fluuij non silentis, sed cum ingenti strepitu, & sonitu armorum, & exercituum, terram Iuda, & Ierusalē inundauerunt, perdiderunt, & exterminarunt vsque in præsentem diem. Hoc est, quod prædixit illis Isa. *Si non credideritis, non permanebitis.*

Videamus ergò hanc mysticam conuenientiam inter Messiam, & fontem Silohe; ille fons vocatur *scilоach*, à radice שלח *Scialach*, quæ mittere significat, & שלוח *sciloach*, Missus, legatus, nuncius. Nomen conueniens, & propriū regis Messiæ, vt potè, qui sicut à Deo promissus Abrahe, & patribus; ità ab eodem mittendus in salutem omnium populorum; ad quod probandum insignis nobis occurrit scriptura, Exod. 4. 13. בי ארני שלח נא ביד תשלח *Bi Adonai scelach na beiad Thisclach; Quæso, Dōe, mitte quē missurus es*, hebr. *Mitte quæso, per manum cuius, missurus es;* petebat Moyses in spiritu, vt Deus mitteret Messiam. Sensus verborum Moysis est iste; qui seipsum cognosces propter aliquos defectus naturales inidonæum ad tantū munus, illos Deo apertè reuelat; Et legationē tàm honorificam, quantū potuit refellit, & detractat; dum se vocat hominem paucorum verborum, idest in dicendo ineloquentem, & rudem, balbum, & blesum. Addit etiam incredulitatem hebræorum, vt potè duræ ceruicis. Tandem, cùm videret has excusationes non acceptari à Deo, eum rogat, & interpellat, dicens: *Obsecro Domine, mitte per manum eius, quem missurus es;* idest, ne mittas me; sed mitte eum in cuius manu, & facultate sūt omnes istæ qualitates, qui sit perfectissimè idoneus ad exequendum tantùm munus, ita R. Moyses Gerundensis.

Quæri-

Quæritur primo, an Moyses petierit aliquem alium à se tûc existentem; doctissimus Lyranus cum R. Abr. auen. putat Moysen orasse Deum, vt Aharon fratrem suum mitteret, vt eloquentiorem illo, & videtur satis verosimile; nam Deus illum addidit Moysi socium, & interprætem, v.16. *Et ipse erit os tuum*; Tu mandabis, ipse loquetur. R.S. existimat petijsse Iosue, quem suum successorem, & ductorem hebrçorum in terrâ Chanaan futurum, spiritu prophetico præuidit. Verùm de Aharone non fuit petitio Moysis, sed electio Dei mera, ps. 105. *Aharon quem elegit ipsum*; & quando, & vbi Moyses præuidit in spiritu prophetico, quod dicit R.S. si nunquam afflatus fuit tali spiritu nisi tunc temporis, & instanti, quo loquebatur cum Deo? & quod tunc præuiderit, quomodo probat? Adde quod isti faciunt Moysen interessatum, & fingentem sinceram humilitatem; petitio Moysis alterius legati est vniuersalis, & indefinita, ad quemcunque alium ex populo Iudæorum dignum, & aptum ad illam legationem tam illustrem, & gloriosam, qualis non erat ipse, vt potè tardiloquus in sermone, dicendi inops, in hoc humiliter, & apertè confitens Deo suos naturales defectus, ita Cald. R. Moysis, Gerund. & alij: *Mitte orò per manum illius qui sit aptus, & dignus, vt mittatur*. Dicet R. Abr. quod Moyses innuebat tacitè Deo Aharon fratrem suũ, vt potè eloquentem; quia ipse erat assuetus vaticinari, iam ante in Ægypto populo hebr. והוא רגיל להנבא לישראל *vehu reghil lehinnabbe leisrael*; & scriptum est in Ezech. cap. 20. 7. quod Deus misit prophetam in Israel antequã veniret Moyses, & prophetia fuit ista; *Et dixi ad eos. Vnusquisque offensiones oculorum suorum abijciat, & in idolis Ægypti nolite pollui &c.* & Propheta fuit Aharon, cui Deus se reuelauit in Ægypto, antequam in monte

Synai

Synai in rubo se reuelaret Moysi; & hoc est, quod dictũ est, p. Sam. 2. 27. *nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cùm essent in Egypto in domo Pharaonis; & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotium*; ita etiam R. S. ac quod simul reuelauit Aharoni Deus, quod tunc ipsum ex omnibus tribubus eligebat cum suis posteris in summum sacerdotem, inter quos Eli erat summus sacerdos; sed textus non conuincit, immò oppositũ ostendit; dicit enim Deus; *cùm essent in domo Pharaonis*; idest, vt exponit R. D. *Aharon, & Moyses, qui fuerunt prophetæ Dei in Egypto*; sed quando, *in domo Pharaonis*? non reperitur, quod Aharon solus ante Moysen fuerit propheta in Ægypto in domo Pharaonis; sed quidem ambo, & postquam Deus se reuelauit Moysi in monte Synai in Rubo, & se reuelauit post Moysem Pharaoni, vt habetur Exod. 4. 27. vt occurreret Moysi venienti; tunc facta est promissio de sacerdotio Aharoni; tũc dixit Deus ad hebræos qui erant in Ægypto: *Vnusquisque offensiones oculorum suorum abijciat*: ita rectè Lyra.

Confirmatur hæc veritas ex Michea. 6. 4. qui adducitur à R. Abr. in probationem suæ expositionis hîc Exod. 4. 17. *Duxi te de terra Egypti, & de domo seruientium liberaui te. Et misi ante faciem tuam Moysen, & Aharon, & Mariam*; qui sic exponit, vel potius inuertit textum; *Moyses fuit missus ad Pharaonem; & Aharon fuit missus ante illum ad Israel, & Mariam ad mulieres*; si ita esset debebat dicere; *& misi ante faciem tuã Aharon*; deinde; *Moysem*; qui per te fuit posterior missus à Deo; præterea Propheta non loquitur de missione horum duorum prophetarum, nisi in ordine ad liberationem Israelis ex Ægypto; sed in hac prior fuit Moyses, secundus Aharon; immò solus Moyses propheta, qui à Deo immediatè ac-

cipiebat, & ipse postea illa reuelabat Aharoni fratri suo, secundùm quod iusserat illi Deus; veluti suo interpræti; fuerũt ambo in operatione miraculorum, at in prophetia, numquam nisi Moysi Deus reuelauit, quæ fienda erant in liberatione populi ab Ægypto, & deductione, & gubernatione per desertum; Quare hos tres duces hebręorum memorat Deus, ad tria beneficia memoranda; ita Ionathas Cald. *Misi ante te tres prophetas, Moysen ad docendum traditionem iuditiorum. Aharon ad expiandum populum. Mariam ad erudiendum mulieres*; sed hæc omnia postquam venit Moyses in Ægyptum ad liberandum populum; nulla ergò probabilitate docent RR. Aharon ante Moysen prophetasse in Ægypto Israelitico populo; & consequenter non poterat velle, quando dixit Deo: *Domine mitte quem missurus es*; quod Deus intelligeret suum fratrem Aharon, vt potè, quem iam miserat in Ægypto ad populum Israel, & assuetum ad prophetandum.

Quæritur secundò, an Moyses peccauerit dicens: *Domine, mitte quem missurus es*; R. S. sequens suos Thalmudistas in tractatu Zeuachim audet asserere Moysen peccasse mortaliter toties repugnando vocationi Dei, diffidentia, & inobedientia; & ob hoc peccatum priuatum fuisse summo sacerdotio, & datum Aharoni; sed omnia insulsè & Rabbinicè. Et primò ostendam Moysem non fuisse priuatum sacerdotio ob hoc peccatum. Obstupeo Lyranum Leu. 8. 13. negasse Moysem fuisse sacerdotem, cùm dicat Scriptura; *Moyses, & Aharon in sacerdotibus eius*; ps. 98. 6. idest sacerdotes eius; Et nõ solùm Moyses fuit dux, & princeps populi, verùm sacerdos summus, & primus legis; primus enim ante Aharon functus est munere sacerdotali septem diebus consecrationum, cùm

indusio albo, idest supercilio, siue cotta, veste religiosa, Leuit. 8., & prius Exod. 24. 5. 6. sanguine victimarum populum aspergens, & sanctificans; immò postquā veluti Ierarcha consecrauit Aharonem summum sacerdotem, eiusq; filios in sacerdotes, referunt R. Ionathan, R. Iose. R. Iosua, quod non fuerit exclusus à functione magni sacerdotij 40. illis annis, quibus in deserto rexit populū; & ideò meritò vocatur à RR. כהן הכהנים *Choen hachoanim; Sacerdos sacerdotum*; Et si tunc peccauit Moyses, cur tunc non priuauit illum Dominus hac magna dignitate? immò ipsum elegit ad illam, vt ipse esset, qui non solùm toties, & solus cōsecraret, & offerret sacrificia Domino, verùm qui summum sacerdotem, & omnes alios ordinaret, & consecraret; signum quod non peccauerit, sed valdè apud Deum meruerit se humiliando coram Deo.

Sed opponunt RR. quod sequitur: *Iratus Dominus in Moysem, ait: Aharon frater tuus leuites*; ergò signum est, Moysem Deum offendisse; Resp. illā Dei excandescentiam contra Moysem non arguere ipsum peccasse mortaliter, quia fuit simul salua amicitia cū Moyse, vt patet; nam dat illi Aharon fratrem suum non vt superiorem, sed multò inferiorem ipso, veluti seruum, siue interpretem, ita facit textus: *Aharon frater tuus leuites, scio quia eloquens sit, &c. loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius &c. ipse loquetur ad populum pro te*; vbi Deus non puniendo pro peccato, sed remunerando pro merito maximæ humilitatis Moysem, prouidet tarditati, ineloquentiæ, & blesitati linguæ eius, dando ei socium interpræté, qui p se loquatur populo, & Pharaoni; imò Deus constituit Moysem Deum ipsius Aharon v. 16. vbi legit vulgatus: *Et Aharon erit os tuum, tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent*; heb. legitur ואתה תהיה לו לאלהים

Veathah thihtieh lo lelohim: Et tu eris ei in Deum; ideſt loco Dei; nam à Moyſe audiebat Aharon Dei mentem, & voluntatem; vnde erat Aharon tamquam ſeruus, & miniſter Moyſis; præterea non eſt verum quod dicunt RR. nempè omnem Dei iræ furorem, qui eſt in lege relinquere רשם *roſcem, Signum*, ideſt punitionem; Nam vt aduertit R. Abrah. hoc loco; dicitur num. 12. 1. *Quia murmurauit Maria, & Aharon contra Moyſem*; ideò v. 9. *Iratuſq; Dnũs contra eos abijt*; ambo peccauerũt, & certè mortaliter; & tamen nõ venit; נזק *Nezech: offenſio ſuper Aharon*; ſed tantùm עשה רשם *ngaſah roſcen; fecit ſignum ſuper Mariam*; quæ tota leproſa canduit; Præterea non peccauit mortaliter, vt meretur tã grauiter puniri in ſe, & ſuis poſteris, ſummo ſacerdotio, & mereretur occidi, quod meretur omne peccatum mortale; nam vt optimè docet R. Abrah. hic; *Tunc fuiſſet dignus tali punitione, ſi recuſaſſet ire ad Pharaonem*; quod nunquam recuſauit, nec dubitauit de diuina omnipotẽtia; ſed tantùm diffiſus de ſua inhabilitate, & inſufficientia; quod ſi peccatũ fuit, fuit puſillanimitatis, & veniale; tùm quia Deus non priuauit eum tam honorifica legatione, tùm quia prouidit ſuis naturalibus vitijs; & poſſumus dicere cũ R. Bechai; quod huius puſillanimitatis recepit à Deo רשם *roſcem; punitionem*; quia nũquam fuit ſanatus ab illa grauitate, & impedimento linguæ; & erat conueniens, quod daret ei Deus hunc honorem, quod ſanaret eum, ſicut quando honorauit eum in ſplendore cutis faciei eius, & hoc eſt ſignum punitionis illius peccati puſillanimitatis, quia non ſanauit eum. Melius tamen aſſerendum eſt cum R. Moyſe Gerund., quod in omnibus his contumacijs humilitas Moyſis ſemper maior euaſerit ſupra omnes homines viuentes; quia non exiuit cor ſuum ad ſeipſum

magnificandum,& loquendum Regi;& hoc ostendit dicens: *Dominus misit me*; neque super Israel, vt dicat ego educam illum ex Ægypto,& sim rex super eos. Hæc ille.

Opponunt iterum RR. illa verba, quæ immediatè dixit Deus Moysi; *Aharon frater tuus leuites*; continere punitionem, nempè priuationem sacerdotij; itaut sit sensus, quem eliciunt ex vna dictione, quæ non explicatur à vulgato הלא *halo*: *Nonne*; *Aharon frater tuus leuites?* hoc pacto; *Et nonne sacerdos ipse?* והלא כהן הוא *vehalo choen hu*; quod est dicere אני אמרתי כהן אתה והוא לוי *Ani amarthi choen atah vehu leuit*: *Ego dixi sacerdos tu*; idest tu ô Moyses; *& ipse leuites*; idest Aharon; עכשיו הוא כהן ואתה לוי *ngachsciau hu choen veath leui*; *Modo ipse sacerdos, & tu leuites*; Hæc illi Thalmud. loco supra citato; solita illorũ deliria. Suppono dictionem aduerbialem הלא *halo*; esse interrogationem, quæ vehementer affirmat; Genes. 12. *halo*; *annon tota terra coram te*; idest certissimè; Deut. 32. *halo*; *Nõne ipse est pater tuus*; Erit ergò sensus. Certissimè est Aharon frater tuus leuites, qui supplebit tuis defectibus, hunc mittam tecum. At R. S. sequens suos Thalmudistas, ita explicat: *Nonne est Aharon frater tuus leuites; qui tempore futuro debebat esse leuites, & non sacerdos; & sacerdotium dixi facere egredi ex te; Ex nunc non erit ita; sed ipse erit sacerdos, & tu leui; quod dictum est: & Moyses vir Dei, filij eius vocati sunt de tribu leui*, 1. Par. 23. 14. Hæc ille,& illi; sed chimericè; primò quia aduerbium, *halo*; numquam negationem; sed semper affirmationem certissimam importat, at Thalmudistæ negatiuè exponunt; secundò quia, ly, *leuites*; non apponitur à Spiritu sancto, nisi vt cognomen familiæ,& propriè tribus Leui; non vt ipsi somniantur; quatenus scilicet significet, quod postea fuit, illos qui ex tribu Leui (qui

fuerunt posteri Caath, Merari, & Gerson) sacerdotibus, qui fuerunt Aharon, & filij eius, subseruirent, sicuti sacerdotibus nostris diaconi, qui Leuites vocantur; tertiò, & optimè, vnde probant hoc eorum commentum, quo scripturæ loco dixerit, statuerit, vel innuerit Deus, quod ex Moyse, & filijs eius educturus esset Deus sacerdotiũ; & non ex Aharone; certè nullibi, immò ex præallegata illorum doctrina oppositum apparet; docent enim ex 1. Sam. 2. 27. vbi legitur; *Nunquid apertè reuelatus sum domui patris tui:* dum essent in Ægypto sic exponunt; & præcipuè R.S. והודעתם כי הטובה הזאת והגדולה כזאת נתתי לאהרן *baidāgtā chi hatouah hazoth uehe ghidolah cazoth nadbathi leaharon. Nõne notũ fecit illis; quod bonitas ista, et dignitas maxima, sicut ista, quæ est sacerdotium summum, dedi Aharon illam:* ita ergò iam tunc, dum Aharon erat in Ægypto, antequam Moyses loqueretur cum Deo in Rubo; Deus elegerat ad summum sacerdotium Aharon & non Moysem; Deus dixerat, & iam statuerat, quod ex Aharone, & non ex Moyse egrederetur sacerdotium, ergo contraria docent, & sibi ipsis contradicunt isti chymerici; ergò falsum est, quod illis verbis; *Nonne Aharon frater tuus leuites;* Deus voluerit priuare Moysem sacerdotio, & illud dare Aharoni in pęnam delicti sui, cùm iam ante in Ægypto elegisset ad sacerdotium Aharonem, & nõ Moysem; sic sæpè nugantur isti miseri, & cęci.

Quæritur tertiò, cur Deus dignitate sacerdotali insigniuit Aharon, & filios eius; & nõ ipsum Moysem, & eius posteros, qui remanserunt Leuitæ. Resp. primò certè non potest assignari ratio ex parte peccati, & demeriti Moysis, vt erroneè dicunt RR. Cùm Aharon multò magis meruerit priuari sacerdotio, sed etiam vita; & à Deo occidi, antequam esset electus, & consecratus summus sacerdos.

cerdos. Nam Exod. 34. 4. peccauit peccatum maximũ; nam nõ solùm permisit populum idolum colere; sed ipse formauit vitulum conflatilem; ipse stylo depinxit eum in tabula, & tradidit artificibus, vt facerent ad similitudinem illius; ipse ædificauit altare coram vitulo. Ipse diem festum illi dedicauit, & per præconem indixit, imponens Idolo nomen vnicum Deo, *Cras solemnitas* יהוה *iod, he, vau, he, domini est*; cuius maximi peccati auctorẽ incusat Moyses Aharonem fratrem suum, v. 21. dixitq; ad Aharon; *quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximũ*; heb. *Quoniam induxisti*; & quod Aharon mortalissimè peccasset confitetur Moyses eius frater, Deut. 9. 20. dicens: *Et aduersus Aharon iratus est Dominus vehementer, ad conterendum eum; & oraui etiã pro Aharone in tempore illo.* O perfida RR. cæcitas, vbi hîc in Moyse nullum pęnè, vel saltem leuissimum peccatum reperitur; adeò maximum, & grauissimum fingunt; & in Aharone qui induxit populum ad Idololatriã, phręnetici non vident tam maximum peccatum illius, ob quod Deus ira excandescens, volebat Aharonem illius auctorem occidere; cùm conentur illum ab Idololatriæ crimine liberare; Quare ratione tam magni peccati aggrauati omnibus supradictis conditionibus, magis Aharon merebatur priuari sacerdotio, quàm Moyses propter paruam diffidentiam, & pusillanimitatem, replicando Deo, & eum obsecrando ne mitteret ipsum inidoneum, sed alium quemcumque aptum, & dignum. Alij dicunt Deum nõ elegisse Moysem, & eius posteros ad sacerdotalem dignitatem ex eo, quod ex matre gentili, putà Sephora Madianitides essent progeniti. Alij quia Aharon erat maior natu Moyse; in quo Deus obseruasse videtur ius gentium receptum etiam ante Aharon,

& Moysem, vt nempè filij primogeniti essent sacerdotes & pontifices; de quo S. Hieron. epist. 126. ad Euagrium; *Tradunt hebræi, quod vsque ad sacerdotium Aharon, omnes primogeniti ex stirpe Noe, cuius series, & ordo describitur, fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarent, et hæc esse primogenita, quæ Esau vendiderit fratri suo Iacob;* Melius forsitan dicet aliquis, ita placuisse Deo, qui eligit eos ad dignitates Ecclesiasticas, quos aptiores futuros apud se præcognoscit, etiamsi alia ratione immeritos. His præmissis

Tempus est vt reuertamur ad rem nostram, & quæramus, an Moyses præallegatis verbis; *Quæso, Domine, mitte quem missurus es*; cùm loquatur indeffinitè de omni digno, & apto legato, direxerit mentem suam ad supremũ, & dignissimum legatum, nempè regem Mesſiam, itaut illius aduentum hîc ardenter expetierit; quasi dixerit. O Domine ab æterno statuisti in vltimis diebus, mittere regem Mesſiam, qui liberet populum Israel, & omnes gẽtes à dura seruitute diaboli, & peccati; sic promisisti patribus nostris; sic expectauerunt, & expectant; sic teneo fide, & spiritu prophetico hunc super omnes legatos à te mittendos expostulo vt mittas. Hic sensus fuit olim omnium penè Sanctorum Patrum Iustini, Tertulliani, Cypriani, Eusebij, Ruperti, & aliorum scribentium aduersus Iudæos. Vnde admiror Abulensem, & & Eugubinum, qui nimis audacter tantis Patribus, immò veritati obstrepant; Si Eugub. rerum hebraicarũ instructus, legisset commentaria illius magni Glossatoris R.S. vidisset hunc sensum fuisse antiquorum RR., quorum doctrinam, vt assolet, affert, & sequitur ille R.; Hic .n. relata expositione de Aharone mittendo, subdit דבר אחר *Dauar acher*; Alia expositio, idest potior, & melior;

ביד אחר שתרצה לשלוח אין סופי להכניסם לארץ ולהיות גאלם לעתיד יש לך שלוחים הרבה: *Beiad acher scethirzeh lescialoach en sophi lebicanesam laarez; Vlabioth gobalam lengathid: iesclecha sceluchim arbbeh; Per manum alterius, quem velles mittere; Non est finis meus, vt congregem eos ad terram, & vt sim redemptor eorum tempore futuro, habes legatos multos.* Quid clarius? quasi dicat; ò Domine in voluntate tua, & mente prædestinasti alium legatum, qui introducat hunc populum tuum in terram promissionis; & hic erit Iosue seruus, & successor meus; nam ego non sum electus ad hunc finem; sed tantùm vt liberem eum à seruitute Pharaonis; *neque ut sim redemptor eorũ tempore futuro*; quibus verbis apertè vaticinatus est, & tangit regem Messiam; qui ab omnibus RR. exprimitur & describitur hac phrasi; הגואל לעתיד לבא *hagoel lengathid laua; Redemptor venturus tempore futuro*; neque RR. cognoscunt nisi duos redemptores. Moysem, quem vocant הגואל הראשון *hagoel bariscion; Redemptorem primũ*; & regem Messiam; הגואל האחרון *hagoel haacharon; Redemptorem vltimũ*; neque .n. Iosue, siue alius propheta fuerunt redemptores Israel temporibus futuris post Moysem, sed tãtùm rex Messias; ad quẽ Moyses dicens; *Quæso, Domine: mitte quem missurus es*; quamuis indeffinitè de quocunq; legato, tamen præcipuè mentem suã dirigit, vt est mos Prophetarum, ad illum eximium legatum, nempè regem Messiam, hunc desiderat, suspirat, anhelat; & vocat anthonomasticè missum, nunciũ, legatum à Deo mittendum ad salutem spiritualem totalem operandam totius mundi temporibus futuris. Hinc colliges quã propria allusione Isaias vocet regnum Dauid, immò potius regem Messiam aquas השלוח *hasciloach; Silohe*; quod interpretatur missus; Rex enim Messias est ille

legatus à Deo missus; qui effandit aquas sanctitatis, iustitiæ, clementiæ, & pietatis, qui regit subditos quietè, & pacificè. Hunc ambiebat Moyses dicens; *Mitte quem missurus es.*

CAPVT SECVNDVM.

Comprobantur prædicta ex eo, quod vnum ex nominibus appellatiuis Regis Messiæ, apud prophetas, est שלוח Sciloach, *idest* Missus.

OMnes Prophetæ vocantur שלוחים *sceluchim*; Missi à Deo; Moyses, & Aharon; ps. 105. *Misit Moysem seruum suum Aharon &c.* quanto magis Messias rex Prophetarum maximus; ita Deus Isa. 19. 20. loquens de salute totius mundi, nomine Ægypti, fienda per Messiam, dicit וישלח להם מושיע ורב *veisclach lahem mosciangh varau*; *Et mittam eis saluatorem, & principem*; hoc est saluatorem principalem, & primarium; *& liberabit eos*; Et quis ex hic nisi Messias, cuius est liberare à peccato, & Idololatria gentes mundi; ideò dicit; quod, *in medio Ægypti* (idest totius mundi) *erit altare Domino*; ad quod operandum dicitur Missus. Et ipse rex Messias se vocat missum à Deo, Isa. 61. 1. *Annunciare mansuetis misit me*; Qui enim ab alio mittitur, missus dicitur; Adest locus insignis ad hoc probandum, Gen. 49. 10. loquens ad litteram de rege Messia, vocat eum Patriarcha Iacob hoc nomine; עד כי יבא שילה *ngad chi iauo scilob*; *Donec veniat scilob*; S. Hier. legit; *Donec veniat qui mittendus est*; legens S. Doctor in suo originali hebræo, pro שילה *scilob*; שלח *sciloach* idest, *missus*; quam vocem fuisse in codicibus hebraicis

braicis temporibus D.Hieron. probatur ex Euseb. Cæſ. ante D.Hieron. multis annis; qui lib. ſept. Dem.Euan. demonſt. 2. explicans quem præ manibus Iſaiæ textum habemus; *pro eo, quod abiecit populus aquas Silohe*; legit; *Syloam*; ſic docet; *Syloam dicitur miſſus; Porro hic quiſnam alius ſit, niſi qui à patre ad Vos miſſus eſt Deus verbum: de quo etiam Moyſes ait; Non deficiet princeps de Iuda &c. Donec veniat cui repoſitum eſt &c. pro illo: n. cui repoſitum eſt, in hebraico habetur, ſiloam,* שלח (ſcribit per ם *mem* quod ſcribitur in heb. per ח *chet*, proferendũ per C *ſciloach* gutturalem) *eum videlicet qui hic habetur Siloam; hoc eſt miſſum; etiam illic ſignificante Oraculo.* Hæc ille; Quam vocem reperiens D. Hieron. fideliter traduxit,& genuinè; *Qui mittendus eſt.* Confirmatur hæc veritas ex reſponſione quorundam antiquorũ RR. ad illud; *Non auferetur ſceptrum; donec veniat ſciloh*; ipſi legunt; *mittendus*; & intelligunt de rege Nabuchd., qui miſſus fuit à Deo, vt auferret ſceptrum de domo Dauid, & tribu Iuda, quod fecit per Babylonicam captiuitatẽ; ſicut ſcriptum Ierem. 25.9. *Ecce ego* שלח *ſcioleach; Mitto regem Babylonis ſeruum meum.* Vide Abulenſem. Pro cuius lectionis vulgatæ veritate,& defenſione,ſciendum inter has duas hebraicas voces שלח *ſciloach: miſſus*;ſiue *mittendus*, quæ extabat ante tempora,& tẽpore D.Hier. & iſtam שלה *ſciloh*, quæ nunc reperitur in codicibus hebraicis, vnam ſolum reperiri differentiam; nẽpè in vltima littera, *eh*, ה, & ח *chet*; *ſciloach*, terminat in *chet*,& *ſciloh* in *eh*; quæ duæ litteræ, cùm ferè habeant eandem figurã, poſſunt facilè accipi vna pro altera ad inuicem,& in ſcribendo facillimè permutari, quod feciſſe Maſſoretas, punctorum, accentuum, verſuum, poſt D.Hieronymum, & variarum ſcripturæ lectionum inuentores, non eſt im-

probabile, immò verum; itaut etiam per ipsos, vtraque lectio hîc sit admittenda, sicut reperitur pluribus in locis scripturæ ab ipsis notatis, in quibus litteræ, & caracteres similes in figura admittuntur, & in vtroque sensu accipiuntur, etiamsi differant in significatione radicali, & in re significata; Exempli gratia ps. 110. *In splendoribus Sanctorum*; est duplex lectio בהדרי *Behadre*; *In splendoribus*; alia lectio בהררי קדש *Beharrere chodesc*; *In montibus sanctitatis*; & differentia est in mutatione vnius litteræ in aliam, inter quas est maxima formæ affinitas ר *resc*, quæ est in secunda lectione, *beharrere, in montibus*; & ד *daleth*, quæ est in prima lectione, *behadre, in splendoribus*; quæ duæ lectiones admittuntur à RR. vt notant in Massarah marginali; & quamuis sit varius sensus, nullus tamen disconuenit subiecto, de quo agitur. Ita in re nostra possumus, & debemus admittere vtramque lectionē; *Donec veniat* שלה *sciloh*; *& donec veniat* שלוח *sciloach*; *legatus*; siue, *qui mittendus est*; cū præcipuè significatum vtriusq; conueniat, & sit proprium regis Messiæ; Certissimum, vt suo loco videbimus, Deo auxiliante, quod omnes RR. antiqui, & moderni fatētur, quod Patriarcha Iacob per illud nomen, siue, *sciloh*, siue, *sciloach*, legatur; describit regem Messiam proprio nomine, quāuis varij sint inter se in assignāda illius nominis significatione; signum euidens, quod hoc nomen שלה *sciloh*; continet proprietates egregias, facta insignia, immò diuinitatem, & humanitatem regis Messiæ, vt satis probaui in tract. 1., sed pro re præsenti, audiant R.S. ex doctrina suorum antiquorū, qui hoc loco Gen. exponit hoc nomen Messiæ, *sciloh*, hoc pacto שי לו *sciai lo*, *Munera ei*; idest regi Messiæ, & vt hoc probet citat illud ps. 76. 12. יובילו שי למורא *iouilu sciai lamora*; *Afferrent munera terribili*, siue, *timori*; idest,

ideſt, *Deo*; qui vocatur timor noſter; ideſt quem timere, & colere debemus; ita Iſa. hoc cap. 13. *Dominus exercituũ ipſum ſanctificate, & ipſe terror veſter*; והוא מוראכם *vehu moraachem*; quem textum Iſaiæ exponunt RR. de rege Meſſia, vt tract. 1. par. 2. cap. 3. oſtendi; vbi videas Thalmud. confiteri regem Meſſiam eſſe Deum; cõfirmat hoc R.D. Iſa. 18. 7. exponens illa verba; *In tempore illo offeret munus Domino* שי ליי *ſciai ladonai*; *exercituum populus diuulſus*; de diebus Meſſiæ, & conuerſione gentium; *Gentes ſeculi offerent munus populũ Iſrael Domino* מנחה *minchah*: *oblationem*; ſicut ſcriptum eſt Iſa. 66. 20. *Et adducent omnes fratres veſtros, de omnibus gentibus, munus Domino*; cùm ergo, quod Scriptura tribuit Deo, nempè; *offerre munus Domino*: RR. tribuant regi Meſsiæ; certè confitentur illum eſſe Deum; quare contra doctrinam ſuorum RR. & malè exponit R.D. ly, *Domino*; hoc ſenſu; ideſt, *ad locum nominis Domini Sabbaoth*; & *iſte eſt mons Syon*; cùm Thalmudiſtæ ly, *Domino* יהוה; *iod, he, vau, he*, exponant, *Regi Meßiæ*; quæ veritas magis ab ipſis confirmatur, dum in libro Bereſcith Rabba, & Ialcuth, & R.S. ſic tradũt ex ſuis antiquis ſapientibus; שעתידין אומות עולם להביא דורון למלך המשיח וכן הוא אומר עד כי יבא שילה קרי יובל שי לו *ſcengathidin aumoth ngolam lehaui doron lemelech bamaſciach vecchen hu omer ngad chi iauo ſciloh; cheri iuual ſciai lo*; *Quod venturæ gentes mundi adducent donum Regi Meſſiæ*; & *ita dicitur: Donec veniat ſciloh*, lege, *offeretur munus illi*; ita RR. illi; Quare in nomine, *ſciloh*, proprio Meſsiæ, diuidunt duas dictiones, & afferunt ſenſum diuerſum à ſenſu radicis שלח *ſcialach*; in eo nomine cognoſcentes diuinitatem regis Meſsiæ; qui eſt ille dominus exercituum, cui offerre debebant gentes ſæculi, munera, & oblationes, & ſacrificia. Ex quo colli-

gimus non esse alienum à sensu huius nominis, *sciloh*; vel quod tunc temporis scriptum fuerit in textu, *sciloach*; *missus*, vel *mittendus*; & ita traduxerit D. Hieron., & legerint Sancti Patres, vti scriptum erat in originali hebr.; vel quod respexerit ad munus præcipuum regis Messiæ; quod erat esse nuncium, & legatum Dei ad omnes homines, & traduxerint; *Donec veniat qui mittendus est*. Addamus hâc confirmationem, affinitatem nempè inter duo ista nomina שילה *sciloh*, & שלח *sciloach*; Nam *sciloh* denotat fęlicem, fortunatum, pacificum; salutis, & pacis auctorem: & vox *sciloach*, significat fontem, qui missus dicitur, qui emittit, & effundit aquas in silentio, quietè, & tranquillitate לאט *leat*; & sub hac metaphora describit Propheta, quietum, pacificum, & iustum regnum domus Dauid, vt omnes RR. cum paraphraste Cald. exponũt; *Abiecit regnũ domus Dauid, qui regebat eos in quiete &c*. Equidem cum mirabili non solùm paranomasia; sed etiã intrinseca proprietate sese inuicem conueniunt, & in vnum coalescunt hæc duo nomina, *sciloh*; pacificus, fœlix, & quietus; & *sciloach*; missus, mittendus, & emittens aquas pacificas, & tranquillas; omnia propria solius regis Messiæ, sceptrum, & rex vnicus domus Dauid, qui verè solus est rex, pacificus, iustus, saluator, princeps pacis, & pater, idest auctor futuri sæculi, idest fęlicitatis æternæ. Patet ergò ex prædictis, quod Isaias illa mirabili loquendi forma de aquis fontis, *Silohe*, à populo Iuda reprobatis, sua principali intẽtione collimabat, & spectabat regem Messiam, nostrum Emmanuelem, Iesum Christum verum Deum, & hominem, quem Iudęi reprobauerunt, ad quem vnicè semper intendit Isaias in hac mirabili prophetia.

VER-

VERSVS OCTAVVS, NONVS, DECIMVS.

Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ, O Emmanuel.

DE his omnibus egimus tractat. 1. par. 2. disserendo de hoc nomine suauissimo, Emmanuel; nunc illis addenda sunt nonnulla digna sciru, in gratiam nostri Emmanuelis regis Messiæ; quem hic mirabili apostrophe inuocat; præuidens enim Isaias, quod pluries aducturus esset rex Assyriorum in terram Iuda, vt Tiglathphileser anno quarto Achaz, & Salmanasar anno duodecimo, eiusdem Achaz, vt verisimile est, quod contra Osee regẽ Israel venerit, & fecerit illum seruum, & tributarium; in Iudæã quoque descēderit, & eam deuastauerit, quod indicant illa verba vers. 8. *Ibit per Iudam* (vt notat doctissimus Forerius Dominicanus, in sensu litterali explicando Antesignanus, quem ferè omnes Scriptores sequuntur) & tandem sub Ezechia Senacherib captis omnibus ciuitatibus Iudæ ipsam ciuitatem Ierusalem regni caput, expugnare conatus est; Hæc præuidens Propheta, se conuertit ad ipsum Emmanuel, ad ipsum saluatorem filium, *hangalmah*; in quo solo erat vnica salus de manu inimicorum; dicens; Terræ tuæ regni tui ò Emmanuel latitudinem implebunt alæ, siue exercitus hostium regni Iuda, te sciente, te vidente, etiamsi nobiscum sis; Verùm præuidens Propheta, quod neque tunc temporis Ierosolyma deuastanda erat ab exercitu Senacherib, immò tũc temporis propè Ierosolymam occidendi essent hostes; neq; postea à Nabuchdonosor extirpãda regia domo Dauid, quin ex ea in nouissimis diebus oriundus esset noster

Emmanuel rex Meſsias, verus filius Dauid, & verus filius Dei, Ieſus Chriſtus, ſaluator mundi; Hinc non poteſt ſe continere, quin per Sarcaſmũ, ſiue irriſionem aduerſus hoſtis exclamet v. 9. *Congregamini populi, & audite vniuerſæ procul terræ; Confortamini, & vincimini; Accingite vos, & vincimini;* v. 10. *Inite conſilium, & diſsipabitur: loquimini verbum, & non fiet; Quia Emmanuel*; quę tranſitio debet à nobis animaduerti, vt cognoſcamus Prophetas nõ proſequi ſolùm hiſtorias ſui temporis, vel ea, quæ paulò poſt euentura eſſent; ſed vlterius, & omnimodè tãgere, & collimare omnia, quæ in nouiſsimis diebus tempore Meſsię futura erant; vt etiam ex RR. multi concedunt; quod intendit hîc noſter Iſaias; nam præter irritum conatum illorum duorum regum Damaſci, & Samariæ, & regis Aſſur contra Ieruſalem, & domũ Dauid, eo quia defendenda erat merito, & virtute illius infantis oriundi ex virgine, qui futurus eſſet ex illis; *Emmanuel*; ideſt Deus ſimul, & homo, nobiſcum, in carne noſtra, Chriſtus Ieſus; Vlterius, inquam, tamquam principale in hac prophetia; hæc omnia adducit Iſaias veluti ſigna precedentia venturi Meſsiæ, ideſt Emmanuelis promiſsi ex Virgine; vt nedum natus populum ſuum, & domum Dauid ſola inuocatione, & fide ſaluaret; quod certè innuit Iſai. illis verbis; *Si non credideritis non intelligetis*; hanc fidem exigebat Deus ab Ieroſolymitis, tot ſignis, & promiſsionibus.

✠

VER-

VERSVS VNDECIMVS, ET DVODECIMVS.

Hæc enim ait Dominus ad me, sicut in manu forti, et erudiuit me, ne irem in via populi huius dicens: Ne dicatis coniuratio; omnia enim, quæ loquitur populus iste, coniuratio est, & timorem eius ne timeatis, neque paueatis.

Obseruationes litterales.

NOn est in fonte dictio, *sicut* significata per כ *chaph*, quę deest; sed est ב *beth*, denotans, *in*, & ita legitur; *Hæc dicit Dominus ad me in fortitudine manus*; & hic ponitur diuisio medietatis versus, terminans orationem; vnde dictio, *sicut*, videtur addita à vulgato declarationis gratia, & vertit Cald. *In fortitudine prophetiæ.*

Et erudiuit me: ita, si radix est יסר *Iasar*; *Erudire*; si verò est סור *sur*; legendum est; *Recedere fecit me, ab ambulando in via populi istius, dicens*, idest; vt etiam ego Propheta dicerem, à spiritu prophetico iam admonitus, & ereptus, ne irem in via populi huius, idest, ne sequerer consilium illorum deditionis, & rebellionis à domo Dauid; siue consilium Achaz, & optimatum de aduocandis viribus regis Asyriorum contra illos duos Reges. Dicens inquam:

Ne dicatis coniuratio; certè Deus est qui loquitur; sed quibus loquatur non ita certum R.S. vult, quod loquatur Deus per Prophetam, viris qui sociabantur Ezechiam, quod non dicant post multos inclinandum est, sicut multi rebellauerunt cum Sobnah; sed tunc Propheta non loquebatur cum Ezechia, sed cum Achaz patre suo; R.D. non declarat quibus Isaias dicere debeat, & admoneat illos, ne

ambulent in vijs populi huius rebellantis, & dicentis cõiuratio; ſed certè Deus loquitur Iſaiæ, & diſcipulis ſuis, quos pueros ſuos vocat, qui certe non erant vnus ſolus; שאר ישוב *ſcear iaſciuu*; ſed multi, vel ab eo docti in lege Dei, vel conuerſi ad legem Dei; Iſtis Deus loquitur dicens; ne dicatis coniuratio, ſicut populus hic dicit, de quacunq; enim re dicit, coniuratio; & hoc verbum in ore eorum perpetuò eſt, perterriti ſiquidem aduentu hoſtiũ, cõuenticula faciunt, & inter ſe colloquuntur; neq; aliud deliberãt, niſi de deditione facienda; coniurant aduerſus Regem, & ciuitatem; & hoc quia non credunt Deo, non fidunt ſpem ſuam in verbis, & prodigijs meis. Vos autẽ electi mei, docti mei, conuerſi mei, non ita; *Et timorem eius ne timeatis*; ideſt, quod populus iſte timet, ne timeatis; iſte populus timet hoſtilem exercitũ Rezin, & Phacee, & videntes ſuorum paucitatem, & puſillanimitatẽ, deſperantes de ope Dei promiſſa ab Iſaia, moliuntur defectionem à ſceptro domus Dauid, & cogitant ſe ſubdere illis Regibus inimicis, & recipere regem filium Tabeel. At verò vos nequaquam timeatis hos reges terrenos, & nullius roboris; ſed

VERSVS TERTIVSDECIMVS, QVARTVSDDECIMVS, QVINTVSDECIMVS.

Dominum exercituũ ipſum ſanctificate, & ipſe pauor veſter; & ipſe timor veſter. Et erit vobis in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael; in laqueum, & ruinam habitantibus Ieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, & contererentur, & irretientur, & capientur.

Ob-

Obseruationes litterales.

S*Anctificate* תקדישו *thachddiściu*; est coniugationis הפעיל *hiphinghil*, Cald. *Sanctum dicetis*; R.S. silentio pertransit, vt postea suam falsam intrudat expositionem, R.D. *timete eum, & sanctificate, quia ipse liberauit vos &c.* Hoc est verè dicere Deum sanctum, & sanctificare Deũ; ipsum timere, hoc est culto externo, & religioso ipsum colere, & ostendere; in ipsum sperare, neq; alium timendum, neque alio fidendum, nisi illi, qui est dominus exercituum, & vniuersorum. Porrò idem verbum in coniugatione קדש *chidesc*; significat præparare, instruere. Exo. 19. קדש את עם *chadesc*; *sanctifica populum*; Cald. זמן *zamen*; *præpara*; Exod. 19. וקדשתם *vchdascthams Et sanctificabis eos hodie & cras*; Cald. *Et præparabis eos*; Isaiæ 13. *Ego mandaui sanctificatis meis*; Cald. *paratis meis*; ad hoc bellum; Iosue 7.13. *Surge sanctifica populum*: קדש *chidesc*; Cald. זמן *zammen*; præpara; *Et dices sanctificamini in crastinum*; התקדשו *bithchadesciu*; Cald. *Præparamini in crastinum*.

Et ipse pauor vester; מוראכם *murachem*; Dei epitheton; psal. 76.12. *Affertis munera terribili, timori, Deo*; passiuè, quẽ timere, & colere debemus; Gen. 31. *Nisi Deus patris mei Abraham* ופחד יצחק *vphachad itzchach*; *Et timor Isaach adfuisset*; actiuè, quia cùm sit Dominus exercituum, cui omnes creaturæ militant, reddet vos terribiles, & formidabiles inimicis vestris, & omnibus gentibus; vti ostendet in occisione numerosissimi exercitus Senacherib.

Et erit vobis in sanctificationem; in fonte non est ly, *vobis*; sed vulgatus accepit à Caldeo, vt statim; *in sanctificationem*; למקדש *lemichdasc*; verbum, *michdasc* significat locum consecratũ ad Dei cultum, ad sanctificandum Deũ; hoc est sanctuarium, templum, psal. 73. *Donec veniam*

ad מקדש אל *michdasce el;sanctuaria Dei*; Deinde palatium Regis, Asylum, Esa. 16. *Et veniebat* מקדש *michdascio; ad palatium suum*; qui est locus refugij, vbi homo tuetur secundum R.D. At verò R.S. exponit; *Et erit in praeparationem*; supple vindictae, ita Caldaeus לפורען *lephurngan: in vindictam*: in vltionem, in caedem, secundùm significatum supra allatum, verbi *chidesc*; *praeparare*; Verùm nullibi in sacro textu reperitur, quòd verbum; *michdasc*; significet praeparationem; sed semper vel locum sacrum, vel sanctificationem, Ezech. 11. 15. *Ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt*; idest in Babylonia; *Ero eis* למקדש *lemichdasc*; in templum paruum, in domum congregationis, sed paruo tempore, ita RR. siue; Ero eis in sanctificationem, dabò eis vt me sanctificent, & colant, ab Idololatria eos auertendo. Item Num. c. 18. 29. *Ex omni adipe eius*; את מקדשו ממנו *eth michdescio mimenu*; *sanctificationem eius ex eo*; quod explicauit vulgatus; *optima & praeclara .i. offerêt*; & nullibi reperitur, nisi hoc loco, an verò glossa R. S. quae exponit; *Et erit in praeparationem*, cõueniat textui, modò explicabimus.

In lapidem autem offensionis; vox hebraea אבן *euen*, est nomen vniuersale ad omnes lapides, & metaphoricè saepè Messiae imponitur, Isa. 28. 16. *Ecce ego mitto in &c.* אבן *euen, lapidem*; Cald. & omnes Regem Messiam, ps. 117. *lapidem, quem etc. euen*; Messiam. *Offensionis* נגף *neghephi*; vulg. *ngaph*; pcutere, ferire ad interitũ, ad mortẽ; Exo. 32 ויגף; *vaighoph*; *Et percussit Dominus populum suum*; Cald. *peste, morte*. Hinc percussio laethalis, interitus; מגפה *maghepha*.

Et in petram scandali; ולצור *vlzur*, propriè rupis, silex, petra durissima montium, ex qua fiebant cultri acutissimi ad cir-

circumcidendum, Iof.5.2. *Fac tibi cultros zurim petrarū*; metaphoricè, Robur, fortitudo, arx. Hinc Deo ſæpè tribuitur, Deut.32. *Deū* צר *zur, qui te genuit dereliquiſti*; In pſ.72. *Tu petra zur cordis mei*; Iſa.30. *zur Iſraelis petra Deus*; *Scādali* כשל *caſcial*; offendere pedibus, impingere. Hinc *michſcial*; offenſio, ruina; veluti ſunt in itineribus ſaxa eminētia, & peditæ per inſidias collocatæ propriè, cauſa ruinę, & excidij.

In laqueum, & in ruinam habitantibus Ieruſalem; Rad. פחת *pachath*; laqueum, & foueam denotat; Ier.8. *Pauor, fouea, & laqueus ſuper te*; Corroſionem, diminutionem; Leuit.13.55. *Et in ruinam*; Si radix eſt יקש *iachaſc*; Si autem eſt נקש *nachaſc*; *in colluſionem, in interitum*. His quatuor nominibus; offenſionis, ſcādali, laquei, & ruinę; correſpondent quatuor ſubſequentia verba; *Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretietur, & capientur*; vult ſignificare apertiſſimè totale, & pęnitùs excidium; & exterminium duarum domorum Iſrael, & habitatorum Ieruſalem, ſecundùm varia tempora ſuccedentia in longinquum, ad quæ Propheta extendit ſuū vaticinium, vt oſtendemus.

Et offendent ex eis plurimi; in hebræo non eſt מהם *meem*; *ex eis*; itaut referatur ad ly; *habitantibus Ieruſalem*; ſed legitur בם *bam*; *in illis*; *in eis*; referendo ad duos lapides prædictos, ad laqueum, & ruinam, vt volunt RR. & infra inquiremus; vtraque tamen lectio; *ex eis*; vulgata, & *in eis*; hebraica, vera eſt, & litteralis; Nam, vt ſciūt Grāmatici, littera ב *beth*, ſeruilis, quæ valet, ac iſta dictio, *in*; *in cœlo*; *in terra*, ſumitur aliquando, & inſeruit pro littera, *mem*, ſeruili in principio dictionis, quæ ſonat, *ex*; vel *de*; ex. g. Leuit.8.32. *Quod reliquum fuerit* בבשר ובלחם *babbaſar vualachem*; *Ex carne, & ex panibus ignis abſumet*;

Oſea

Osea 13.9. כי בי בעזרך *bi chi beughezrecha*; *Quia in me, ex me, auxilium tuum*; sic sæpè; immò lectio vulgati; *ex eis*; magis quadrat sensui textus, quod nempe referatur ad habitatores Ierusalem, & ad duas domos Israel; quam ad illos duos lapides; tùm quia illi lapides metaphoricè sumuntur, sicut & laqueus, & ruina; per ista enim nomina Deus exercituum exprimitur; tùm quia, non omnes ex duabus domibus Israel, & habitantibus Ierusalem, non credendo Deo, neque ipsum sanctificando, ceciderunt, perierunt, mortui sunt, & in captiuitatem abducti fuerunt, sed multi; sicut aliqui qui Deum sanctificauerunt, ipsi credendo, fidendo, eius legem obseruando, non perierunt, sicut Ezechias, & ciuitas Ierusalem in obsidione Senacherib; fuit enim illis Deus in sanctificationem, & asylum, quia illos protexit, veluti suæ diuinitatis legitimos cultores.

CAPVT PRIMVM.

Quænam sint ista duæ domus Israel quibus Dominus exercituum futurus erat in sanctificationem, & in lapidem offensionis.

LVcidissimus postillator Lyranus sic docet: *Istæ duæ domus fuerunt domus Phacee filij Romeliæ, quam Deus iusto iudicio fecit ruere per Osee filium Elab. 4. reg. 15. Et domus Osee filij Elab, quam cum toto regno Israel fecit ruere per Salmanasar regem Assur. 4. reg. 18. Et quia in regno Iudæ erant aliqui mali, & increduli, qui ruerũt gladio Senacherib ex diuino iuditio; ideò subditur; Et in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem; quia tamen boni remanserunt salui tempore Ezechiæ; ideò subditur: Et*

of-

offendent ex eis plurimi;& non dicit omnes; nam boni saluati sunt. Hæc ille,distinguit decem tribus,quæ vocãtur Israel, à tribu Iuda nomine habitantium Ierusalem.

Forerius,quem sequuntur alij,pro duabus domibus Israel, accipit duo regna duodecim tribuum, siue filiorum ab vno patre Israel propagatorum; Cùm enim vna esset domus Israel, vnum regnum omnium duodecim tribuũ, tempore Roboam in duas domos, in duo regna fuit dissectum; consuetum est enim, in Scriptura accipere domum pro regno; *Audite ergo domus Dauid*;Isa.7. *Domus Iuda,domus Israel*;Zach.8.13.duo regna. In his aliqui fuerunt pij Deum fide,cultu, & legis obseruatione sanctificantes,quibus Deus fuit in salutem,munimen,& sanctificationem, sed multò plures fuerunt, qui à Deo, & lege defecerunt, ad Idola gentium se conuertendo, & antiquam religionem deserendo, quibus Deus fuit in offensionem,cladem,& ruinam, veluti regno decem tribuum,quod deletũ est,quia incredules fuerunt, similiter & regnum Iuda ablatum in captiuitate Babylonica, vti prænunciauit noster Isaias; *Si non credideritis non permanebitis*.

R.S.asserit istas duas domus Israel fuisse Phacee filium Romeliæ;& Sobnam cum illorum societatibus. Iste Sobna memoratur ab Isa.c.22. qui minatur illi priuationem,& depositionem ab officio suo,& trãsmigrationem in alienam terram;Vocatur eius munus in hebræo על הבית *ngal habbaith*;*super domum*;vulgatus vertit;*præpositũ templi*; Forer. *thesaurarium templi*; qui curam haberet eorum, quæ ad templi cultus necessaria erant, vt putà Moderator,œconomus templi;Verùm phrasis scripturæ esse supra domum,denotat absolutè rem familiarem administrare, Gen.43.16. *dicebat ad eum,qui erat super domum*

suam

qui volunt hunc Sobnam in vindictam amissæ dignitatis manum dedisse regi Senacherib, cum multis coniuratis contra regem Ezechiam; illi prodidisse partem inferiorem ciuitatis Ierusalem; & tandem ad Assyrium regem confugisse, & cum eo in Assyriam ductus, siue in Ægyptum, ibi, iuxta Oraculum, vilissimè mortuum fuisse; quæ omnia qua facilitate à RR. dicuntur, eadem refelluntur. Modò ad rem nostram Glossa R.S. non subsistit; dum per vnam domum Israel intelligit Phacee filium Romeliæ; nam in Scriptura, domus non accipitur pro vno singulari; sed pro tota familia, vel regno, vt notum est; vt ipsemet Salomon in sua glossa confitetur; Non solùm Phecach, quem eum occidit Osee; sed & decem tribus ceciderunt in manu regis Assur, quæ est vna ex duabus domibus Israel, vnum regnum.

R. D. distinguit istas duas domus Israel in duas sectas, & partes, in eam, quæ volebat, ambiebat regnum domus Dauid, quæ verum Deum colebat, & eum timendo sanctificabat, & cui Deus postea fuit in defensionem, & tutamen; Et in eam partem, quæ reprobando regnum domus Dauid, magis desiderabat, & gaudebat regnum Phacee; quibus Deus fuit in lapidem offensionis, & petram scandali, vti euenit decẽ tribubus Israelis, & multis habitantibus Ierusalem deficientibus à domo Dauid.

Thalmudistæ tract. Sanehedrin c.4. fol. 304. colum. 4. ita docent: *Non veniet filius Dauid donec consumentur duæ domus patrũ de Israel; Istæ sũt Caput captiuitatis, quod est in Babylonia, & נשיא Nassi princeps, qui est in terra Israel; quod dictum est; Et erit in sanctificationem, &c.* Hæc illi exponẽtes prophetiam de tempore Messiæ, & eius aduentu. Prima domus patrum volunt quod sint principes exulum hebræorum, qui sunt in Babylonia, qui causas

diudicant. Secunda domus est *Nasi*; Principū, ducum, qui iudicant populum hebræum in terra Israel.

Sanctiss. Hieronymus hoc loco per has duas domos exponit duas familias, siue domos Pharisæorum & scribarum, quæ à Thalmudistis vocantur schola Hillel, & schola Samai, quæ in templo secundo originem inter hebræos duxerunt; & his Christus Iesus, vt patet in Euangelio, exceptis paucis, fuit in lapidem offensionis, & in petram scandali, de quibus domibus agimus in tract. Sceptrum Iuda.

Omnes istæ expositiones continent veritatem facti, verùm diuersis temporibus futuris, & proximis, & longinquis; tritum est enim illud obseruatū in Prophetis; qui licet loquerentur Iudæis præsentibus sui sæculi, & prædicerēt aliquid illis euenturum, futuro breui tempore, putà in diebus illorum; attamen illorum prophetia se extendit ad suos posteros, & descendētes, in futuris temporibus; & maximè ad dies regis Messiæ; habemus textum clarissimum in nostro Isa. c. 1. v. 7. vbi prophetizans tempore Oziæ, quando res Iudæorum florebant, & omnis Israel in pace, & fęlicitate viuebat sub ficu sua, & vite sua; futuram terrę Israël desolationem, & deuastationem, dicit; *Terra vestra deserta; Ciuitates vestræ succensæ igni; regionem vestram corā vobis alieni deuorant*; quæ omnia præsentia stant pro futuris, & varijs deuastationibus terræ Israel factis postea, ab Ægyptijs, Ammonitis, Moabitis, & Syris tempore Amasiæ; & ab Assyrijs tempore Achaz & Ezechiæ, & à Babylonijs, & multò magis, & præcipuè à Romanis, tempore regis Messiæ Iesus Nazareni; quem verè sanctum Israel, quia cognoscere noluerunt suum possessorem, & dominū; immò summa impietate, & scelere spreuerunt, blasphemauerunt, eorum malitia exi-

gente

gente, fuit illis in lapidem offensionis, in ruinam, & desolationem illorum; quæ desolatio vsque ad finem mũdi perseuerabit. Huiusmodi est præsens prophetia comminatur illis præsentibus, quibus loquebatur Isaias; *Si timueritis Deum, & credideritis ipsum omnipotentem eripere vos de manu istorum duorum Regum, ipse Deus erit vobis in sanctificationem*; idest tutissimum vmbraculum, vos defendet, & domum Dauid, & ciuitatem Ierusalem ab hostibus istis, qui vos obsident; At verò; qui nõ sanctificabunt Deum, in eius fide, spe, & cultu permanendo, sed ab eo apostatando Idola gentium colent, à vera religione deficientes, vti fecerunt domus Israel, decem tribus, & multi ex domo, & regno Iuda, & multi ex habitãtibus Ierusalem; istis rebellibus erit Deus exercituum omnipotens in lapidem offensionis, & in petram scandali; vti fuit regno decem tribuum, quarum Reges occisi, & captiui, ipsæ ductæ fuerunt captiuæ in Assyriã, amittentes terram, Ciuitates, Rempublicam, & esse populum; Similiter prophetia ista se extendit ad domum Dauid, & regnum Iuda, quibus, quia non sanctificauerũt Deum; sed Idololatræ, & increduli perstiterunt; fuit Deus petra scandali, & ruinæ, permittẽs à Caldæis templum comburi, ciuitatem funditùs euerti, magnam Iudæorum partem gladio interimi, & reliquias captiuas Babyloniam duci, & regnum Dauid pęnitùs exscindi. Tandem, simul totalem ruinam Iudęorum futuram tempore regis Messiæ comminiscitur, immò principaliter tangit Isaias; quæ nota est, & facta à Tito Imperatore Romano; in qua pęnitùs domus, siue regnum, & tribus Iuda amisit omnem statum, temporalem, & spiritualem; Et hic est ipse Deus & homo, Christus Iesus, noster Emmanuel, Deus exercituum; qui sicut tunc fuit Israelitis

R. S. longè ſtatim diſcedit ab hac doctrina chabaliſtica, & theologica; cùm exponat phanaticè; *Et erit*, ideſt, *Hoc conſilium, quod conſuluit Sobna, & conſuluit Phechach ad deſtruendũ regnũ domus Dauid; erit in præparationẽ punitionis venientis ſuper eos*; ideſt, hoc conſilium erit eis in lapidem offenſionis, & ruinę ipſorum; quis non videat hoc eſſe peruertere ſcripturam ſacram; Nã ſi ly; *Et erit*; referendum eſſet ad conſilium tùm Sobnæ, tùm Phacee, cùm hi duo fuerint diuerſis temporibus, Phacee anno 4. Achaz, & Sobna anno 14. Ezechiæ filij eius; & conſequenter duæ diſtinctæ cõiurationes, & duo diuerſa conſilia, dixiſſet Propheta והיו *vehaiu*; *Et erunt*; nempè iſta duo conſilia in cauſam offenſionis, & ruinæ ipſorum.

Præterea Cald. apertè retundit hanc falſitatem, & verã ſacri textus expoſitionem affert, quã amplectitur R. D. in ſua gloſſa. Exponit Cald. *Dominum exercituũ ipſum dicetis ſanctum; & ipſe ſit timor veſter; & ipſe* תקפאכון *thuchphecon, Robur, fortitudo animi veſtri; Et ſi non obedieritis*; hoc eſt, vt contextus exigit, & R. D. exponit; Deus exercituum ſanctificantibus eum erit in ſanctificationẽ, illos tuebitur, & magnificabit; non ſanctificantibus eum, & rebellibus; *Erit verbum eius in vindictam, in petram ſcandali, in ruinam*; vbi vides ly; *Et erit*; referri ad; *Deũ exercituum*; & ad eius verbum, quod denotat, & requirit neceſſariò dictio copulatiua; *&*; præcedens; *& erit*; ideſt, *Deus exercituum*; qui erit ipſum ſanctificantibus in palatium, & ſecuritatem; non ſanctificantibus erit in vindictam, vltionem, & ruinam; Quæ veritas eò magis probatur, ſi conſideremus ſignificatum nominis Caldaici פורען *purngan*; reſpondens ly, למקדש *lemachdaſcin ſanctificationem*; proueniens à radice פרע *parangh*, quæ vindicare ſignificat, Iud. 5.2. *Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael* בפרע פרעות *biph-*

biphroangh pherangeth; ideſt, *in vindicando vindictas Iſrael*. Dupliciter autem ſumitur vindicare; primò in libertatem dare, liberum facere à iugo ſeruitutis, & hoſtiũ iniurijs, 2.Par.28.19. dicitur de rege Achaz impio; *Eo quod nudaſſet eum*; ideſt Iudam; *auxilio* כי הפריע ביהודה *chi hiphriangh bijudah*. Quia libertatem dederat in Iuda; liberauerat, abſtraxerat Iuda ab obſeruatione legis, & diuini cultus; hic eſt Atheiſmus; & eſt ſenſus primus; *Vobis Deum ſanctificãtibus erit verbum eius in vindictam*; uindicabit vos ab iniurijs hoſtiũ, abſtrahet vos, & liberabit à iugo ſeruitutis, quam timetis. Secundò ſumitur vindicare pro vlciſci, punire, pœnas infligere. Num.31.1. *Vlciſcere prius filios Iſrael*; Cald. דתפרע *bithpherangh*; & eſt ſecundus ſenſus; *Vobis Dominum nõ ſanctificantibus, erit verbum eius in vindictam*; ideſt, puniet vos; & hæc eſt punitio, & vltio, quia erit vobis in petram ſcandali, & ruinam.

CAPVT TERTIVM.

Hanc prophetiam eſſe apertiſſimè de Rege Meſſia Ieſu Nazareno, et eius diuinitate, et humanitate, qui eſt Noſter Emmanuel, qui fuit petra ſcandali, & lapis offenſionis Iudæis, & habitantibus Ieruſalem probatur ex RR., & noſtris.

SCiendũ eſt, quòd ſæpe vbi reperitur in ſcriptura nomen Dei ineffabile, & incommunicabile creaturis *iod, he, vau, he* יהוה *iehouah*, traduci à Cald. per nomen, *verbum Dei*; In hoc capite 8. *Et addidit Dominus Ihehouah loqui ad me adhuc*; Cald. *Et adiecit* מימרא דיי *mẽbra daaſcem*: *Verbum Dei*; Item Deus, & Verbũ Dei ſunt vnus Deus;

vnius

vnius ſubſtãtiæ, Iſa.p.13. *Feſta veſtra odiuit anima mea.* Cald. *Verbum meũ*; ideſt, Ego Deus, Iſa.4.4. *Extendens cælum ſolus* לבדי *leuadi*, Cald. במימרי *bememri*; *per verbũ meum*; certè non creatura, ſed vnius eſſentiæ cum Deo. Vlterius, Meſſias frequenter in recto nominatur nomine ineffabili, Iſa.28. *In die illa erit Iheoah exercituum corona exultationis*; Cald. יהי משיחא דיי *lehe meſcichah daaſcem*; *Erit Meſſias Deus Sabbaoth*, Ierem.23. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum Iheouah iuſtus noſter*; confitẽtur RR. vt ſuo loco videbitur; Hunc locum, quem præ manibus habemus; *Et erit vobis in ſanctificationem*; exponũt omnes, ſecundùm veritatem, *de Iheouah domino exercituum*; explicat chabaliſticè Cald. *Et erit verbum eius*; ideſt, *Domini exercituum*; Thalmudiſtę apertè fatentur hoc verbum Dei eſſe filium Dauid regem Meſſiam. Vide trac. 1 p.2.c.3. Ergò rex Meſſias homo quà filius Dauid, eſt etiã Deus, quà verbum Dei; qui eſt noſter Emmanuel filius *bangalmah*; quæ, *& propheteſſa*; qui tunc in fide credentium in illum, & illum ſanctificantium, fuit illis in deffenſionem, & liberationem ab hoſtibus, ſicuti in lapidem offenſionis, & ruinam illorum regnorum, & familiarum; quæ illum offenderunt rebellione à fide, ac Idololatria. Audiamus R.S. recantantem, & veritatem confitentem in Gloſſa loci Thalmudici citati, & Scripturæ; *Et erit vobis in ſanctificationem*; ſic ad verbum exponit; והיה מושיען של ישראל למקדש של ישראל *Vehaieh moſcingan ſcel Iſrael lemichdaſc ſcel Iſrael*; *Et erit Saluator Iſrael ad ſanctificationem Iſrael*; *leuen negbeph ſcemenag bepheth eth haraglaim*; *Et in lapidem offenſionis, quæ eſt percuſſio pedum*; *Vlzur michſciol ſelangh maeſcelah*; *Et in petram ſcandali, rupis, ruinæ*; *Iheieh liſcne bathe Iſrael*; *Erit duabus domibus Iſrael*; Quod Caldeus exponit;

ponit; *verbum Dei*; R.S. ex mente Thalmudistarum exponit saluatorem Israel, qui certè, alius non fuit, neque esse potest, nisi rex Messias, filius Dauid, quem omnes Iudæi, & Israelitæ expectant saluatorem non solùm Israelis, sed totius mundi; ergò Messias est verbum Dei, & caro humana, Deus, & homo, noster Emmanuel. Confirmatur, & explicatur hæc mirabilis veritas, subtilissima, sed verissima penetratione huiusmet textus.

Diximus supra ly; *& offendent ex eis plurimi*; idest ex habitantibus Ierusalem, & ex duabus domibus Israel, in heb. & Cald. legi בם *bam, in eis*; hoc est in illis lapidibus, & laqueis. R.S. R.D. sic exponunt; *In ipsis lapidibus offendent*; sed quinam fuerint isti lapides, in quos impegerunt illi rebelles, & osores domus Dauid; non declarant; certũ est hos lapides non sumi materialiter, sed metaphoricè; pro causa illorum casus, & ruinæ; At sacer textus apertè insinuat hos lapides fore dominum exercituum; verbum suum; & R.S. fore saluatorem Israel, qui est rex Messias, noster Emmanuel; vbi videas mysterium nostri Emmanuel, in his duobus verbis אבן *euen, lapis*; & צור *zur; petra*; quæ duo indicant veram significationem huius nominis Emmanuel, quę est, Deus nobiscum in carne nostra lapis & petra, *euen, & zur*; quia homo, & Deus simul, rex Messias Iesus, Saluator; quare verus sensus est; *Dominũ exercituũ ipsum sanctificate*; hoc est, credite in Emmanuele, illũ colite, adorate, sanctificate; quia ipse est *euen*, & *zur*; homo, & Deus simul; *Et erit vobis in sanctificationem*; *&* *erit verbum eius in vindictam*; si non credideritis hoc mysterium vnionis verbi Dei cum carne humana, qui est iste puer Emmanuul, tali nomine ostendens hoc mysterium; & quod ipse rex Iuda, & Ierusalem possit sua diuina virtute liberare ciuitatem istam, & vos ab his hostibus:

ftibus; Et vt homo, & vt Deus; *Euen*; & *Zur*; erit vobis causa vestre, & omnium ruinæ, & excidij, omnium, inquit, non credentium in eum; Qui est Saluator Israel Rex Messias, erit in lapidem offensionis, & ruinæ Israelitis, & Iudæis, quia hunc lapidem, hunc Emmanuelem reprobauerunt, blasphemauerunt, & crucifixerunt; Certè hic sensus quamuis nouus, est tamen ipsamet veritas, & vnicus sensus litteralis intimus, huius sacræ scripturæ; ipsis etiam RR. non repugnantibus; habent enim in scriptis, & ore ipsorum hanc veritatē: quod propter Iesum Nazarenum ipsi sunt priuati regno, Sacerdotio, libertate, & omni bono, captiui, & miseri vbiq; terrarum, certè nulla alia ratione: Nisi quia nolunt dicere eum sanctum, confiteri, & credere eum verum Deum, Verbum Dei, Saluatorem Israelis, & totius orbis. Sed quem negāt perfidè, confitentur inuiti, Iesum Nazarenum esse verum Messiā, & Verbū Dei, quia fuit, & est illis, ob eorum incredulitatem, lapis offensionis, & petra scādali, verus Emmanuel Deus & homo nobiscum. Saluator, & sanctificator eorū, qui in ipsum credunt, sperant, & ipsum colunt.

Hic germanus sensus huius prophetiæ, vt à Spiritu sancto principaliter intentus de Emmanuele in nouo testamēto comprobatur de Christo Luc. 2. *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Petrus Epist. 1. cap. 3. hanc prophetiam totam accipit de Christo. *Timorem enim eorum ne timueritis, & non conturbemini; Dominum enim Christum sanctificate;* & cap. 2. 8. ait; *quibusdam futurum esse lapidem offensionis, & petram scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt iniquo, & positi sunt.* Ita S. Paulus Rom. 9. 32. *Offenderunt enim in lapidem offensionis, & petram scandali;* hoc est; *in Christum;* videntes .n. Iudæi Christi humilitatem, pau-

pertatem, crucem, & mortem noluerunt eum agnoscere Messiam, offensi eius abiectione; & sic eorum incredulitate, & malitia fuit lapis, petra, & causa ruinæ ipsorum. Vide vtrobique egregiè Corn. à lapide. Hæc dicta sint in gratiam nostri Emmanuelis, quæ conferes cum dictis DD. loco citato tract. 1. par. 2.

VERSUS SEXTUS DECIMUS, ET DECIMUS SEPTIMUS.

Liga testimonium, & signa legem in discipulis meis. Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.

Obseruationes litterales.

RECTÈ R.S. docet ista esse verba D.S.B., & verbum צור; *zor; liga*; quamuis sit infinitiuus; tamen accipi, sicut sæpissimè fit Imperatiuè; & significat ligare, colligare strictissimè, imprimere; & si radix est נצר *Nazar*; significat *Custodire*; ita Chal. טר *thar*; *Custode* sūma diligentia; תעודה *Thengudah*; *Testimoniū*; à radice עוד *ngauad*; *testificari*; & ita vocatur lex, etiam infra v. 19., quia est diuinæ Voluntatis in nos testimonium.

Et signa legem חתום *Chathom*; imperatiuus, obsignare sigillo, confirmare; est repetitio superioris; *In doctis meis*; בלמדי *belimudai*; *optime*; In his, qui timent me, R.S. Horum verborum potest esse varius sensus litteralis; Primus est, vt ly, *testimonium* & *lex*, non sumatur pro lege Moysis, & decem præceptis; sed pro præsenti oraculo Isaiæ, in quo multa prædixit mirabilia, vt Verbi diuini Incarnationem, Virginis matris integritatem; Deum ipsum incarnatum fore lapidem offensionis, & petram scandali Israelites, quæ est reprobatio populi Israelitici paucis ser-

seruandis,& gentium vocatio; Mysteria omnia abscondita à sæculo, & solùm reuelanda doctis illius temporis, hoc est fidelibus credentibus, & legem Dei custodientibus; quos pueros illi à Deo datos, vocat Isaias; & Deus doctos suos. Ideò præcipit Deus Isaiæ, vt ista diuina prophetica oracula signet, obtegat, & claudat imperitæ, & infideli multitudini; & illa conseruet reuelanda, & docenda discipulos suos; ita exponitur, secundùm hebraismum; ly, *in discipulis meis*; idest; *pro discipulis meis*. Secũdus sensus litteralis est; secundùm quod ly, *testimoniũ*, & ly, *lex*, propriè significant legem Dei Mosaycam, & prophetarum vaticinia; cùm enim maxima ex parte, qui erant ex tribu Iuda, essent legis Mosaycæ pessimi transgressores, increduli verbis diuinis, & Idololatræ, & prophetarũ Dei contẽptores; & præcipuè rex Achaz, & qui cùm eo erant, qui, & legem, & oracula diuina prædicta penitus, & verbis, & factis vilipenderunt; ideò Deus præcipit Isaiæ, vt illa omnia consignet, conscribat, & colligat in discipulis, siue doctis suis; putà in his, qui in eum credunt, vt illa omnia conseruent, & obseruent, & credant, & custodiant, & alijs prædicent, explicent, & obseruare faciant. Hic sensus est valde planus, & appositus ad versum subsequentem 19. & 20. *Et cùm dixerint ad vos: Quærite à phytonibus*. Tunc temporis Iudæi, vt maiori ex parte Idololatræ, ad phythones, & diuinos dilapsi erant; Idcircò Isaias monet discipulos suos, quos statim vocat pueros; ne omninò sequantur istorum impiorum verba, & suasiones; sed neglectis pythonibus, & diuinis, recurrant ad legem Dei; *Ad legem magis, & ad testimonium*; & ad prophetarum oracula, hæc consulant, in causis gerendis; vbi reiterantur eadem verba, quæ supra; *liga testimonium; & signa legem*; in proprio significato supra-

dicto. Tertius ſenſus litteralis eſt; Iſta omnia myſteria de Emmanuele, quæ clarè, & apertè præcepi tibi vt ſcriberes in volumine magnò; nunc iubeo vt complices liges, & claudas, huic incredulæ, & imperitę multitudini, & ſolùm diſcipulis tuis, & doctis meis illa explices, & conſignabis; itaut illud; *In diſcipulis meis*; inſeruiat datiuo; *diſcipulis meis*; vt eſt frequens in ſcriptura.

Et expectabo Dominum; in hebr. verbum וחכיתי *Vehichithi*: *anhelare*; denotat ſummo deſiderio ſiti, & ardore rem aliquam ambire. R.S. R.D. & omnes docent, verba ſuperiora; *liga &c.* eſſe Dei; at iſta eſſe prophetæ; ita Cald. *Dixit propheta propter hoc orabo Dominum, qui dixit auferre diuinitatem ſuam à domo Iacob, & orabo coram eo*; R.D. notat illud; *Et præſtolabor eum*; ideſt Dominum; heb. וקויתי *Vechinithi*; quod traducit Cald. ובעיתו *Vunghithi*; *Et orabo*; eſſe repetitionem prædicti verbi; *Et expectabo eum*; Quod in ſacris demonſtrat talis repetitio maximā patientiam, expectationem, & ſpem auidiſsimam rei venturæ, & expectatæ. Quæ verò ſit res iſta à propheta tam ardentiſsimè ſperata, & expectata, certè eſt Dominus יהוה iod, he, vau, he, qui abſcondit faciem ſuam domui Iacob, ideſt duodecim tribubus Iſrael; quatenus decem tribubus regni Ephraim fuit paulò poſt in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali in captiuitate Aſſyriaca; deinde domui Iuda, & domui Dauid fuit Dominus in petram ſcandali in captiuitate Babylonica, & tandem in hac Romana; adeò vt ſint mille, & quadringenti anni ſecūdùm illorum computum, quibus à tota domo Iacob abſcondit faciem ſuam Dominus; ille qui vocatur exercituum, ille qui aliquibus paucis, & tunc temporis, credentibus in eum, ſperantibus in eum, ſanctificantibus eum, fuit in ſanctificationem, tutamen, & ſecuritatem;

qui

qui est rex Mesias, vt ex RR. ipsis supra ostensum; hic est ille Dominus exercituum, Noster Emmanuel; cuius aduentum toto ardore,& affectu suspirat,& anhelat noster Isaias, qui tunc temporis abscondit faciem suam à domo Iacob, à decem tribubus, quia abscondit eis hæc testimonia,& mysteria Incarnationis ipsius Dei &c.quia increduli; & idololatræ illis fidem præbere noluerunt; mysterium,inquam,virginei partus hangalmah filij Dei, & filij Dauid. Qui tẽpore domus secundę,cùm ablatum esset sceptrum Dauid de tribu Iuda, adimplens hoc diuinissimũ oraculũ; nascens ex purissima Virgine Matre, verus Deus & homo,Emmanuel,NobiscũDeus in carne humana; fuit, & est, & erit vsque ad finem mundi ferè omnibus hebræis, duabus domibus Israel, & habitantibus Ierusalem lapis offensionis,& petra scandali; & hoc illorum culpa,vitio,incredulitate,& perfidia; & hoc est, quod insinuat Isa. dicens; *Qui abscondit faciem suam à domo Iacob*; quod est dicere; omnia ista mysteria, & legis Moysis, & prophetarum, abscondita sunt Iudaico populo;habent enim velamen expansum,infidelitatis,sicut & tunc,ita & nunc,super oculos suos,cùm sacram scripturam veterem legant; itaut non videant in illis, suum regem Mesiam, diuinissimum Emmanuelem, verum Deum, & hominem; qui est vera Dei facies, verus filius Dei Patris.

Est notissimum in sacris Scripturis regem Mesiam vocari faciem Dei.psal.80. *Deus virtutum conuerte nos;ostende faciem tuam,& salui erimus*;omnes,Mesiam tuum,qui verus filius Dei,est illius substãtialis,& essentialis imago. Sic Malach.3.p. Pater vocat Mesiam faciem suam. *Ecce ego mitto Angelum meum*;idest Eliam,dicunt heb. *Et præparabit viam ante faciem meam*; idest Mesiam;

neq;

neq; si dicat hebr. לְפָנַי *lephanai*; *ante faciem meam*; esse hebraismum; tamquam, *coram me, ante me*; hoc officit; nam vterque sensus est litteralis, & necessarius; siquidem Messias, qui est facies Dei, filius Dei, Verbum Dei, est essentialiter isdem Deus; Audiant perfidi, quod subdit Malachias; *Et statim veniet ad templum suũ dominator*; indubitatè hîc est rex Messias; *Dominator*; hebr. הָאָדוֹן *haadon*; Ille eximius, supremus dominus; hic non est nisi Deus; & hîc non est nisi Messias, ergo Messias est Deus, & facies patris. Hanc Dei faciem suũ Messiam abscondit Deus à domo Iacob increduli, & infideli; subdit tamen propheta, & repetit.

Et praestolabor eum; idest dominum exercituum, verbum eius Emmanuel, faciem eius, filium eius, Iesum Christum in carne venturum sperabo, summa fide, & spe expectabo; qui reuelabit faciem suam, seipsum verum filiũ Dei, & filium hominis fidelibus suis; & veluti fulgentissimus Sol excæcabit debiles pupillas Iudæorum infidelium; & illuminabit, & illustrabit fortes, & fideles credentium; qui erunt illius Apostoli, & discipuli; qui denique & reliquias populi Israelitici, & omnes denique gentes conuertant ad veram fidem Emmanuelis.

VERSVS DECIMVS OCTAVVS.

Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum in Israel à domino exercituum, qui habitat in monte Syon.

Obseruationes litterales.

Ecce ego; istæ duæ simul voces vnitæ ostendunt realem, & personalem existentiam, & præsentiam illius, qui loquitur; quod non indiget probatione; & illorum, qui adducuntur

ducuntur à Propheta; *Et pueri mei*; itaut quando Isaias hæc dixerit fuerit realiter, & personaliter præsens, & cum eo realiter, & personaliter præsentes, quos vocat pueros suos.

Et pueri mei; in fonte non est affixum relatiuum, *mei*; sed absolutè, *pueri*; Quę vox in sacro textu sępè significat natos, filios; sed aliquandò significat puerum הנער *banangar*; simpliciter Zach. 8. 5. plateæ Ciuitatis implebuntur; ילדים וילדות *Ieladim viladoth*; *pueris, & puellis*; Ioel. 3. 3. Et posuerunt הילד *haieled*; *puerũ pro postribulo*; Gen. 37. 29. de Ioseph, iam sexdecim annorum, dixit Ruben והילד *vehaieled*; *Et puer non comparet*. 3. reg. 12. 8. 10. 14. rex Roboam derelicto consilio senum patris sui Salomonis; *Consuluit* הילדים *hailadim*: *pueros, qui nutriti erant cum eo*; adolescentes sui æui. Daniel. 1. 4. 10. 13. 15. 16. omnes adolescentes ministerio regis dediti vocantur, *hailadim*; *pueri, ministri*; & sic alibi.

Quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israeli; hæc phrasis, *quos dedit mihi Dominus*; in sacra Scriptura, non semper denotat, quos dederit Dominus alicui per naturalem generationem, vt ly, *pueri*, vel *puer*; significet verum filium generatum à patre; sed alio modo à Deo datum, quàm per generationem naturalem; putà per liberationem ab euidenti morte. 2. reg. 12. 22. pro filio suo ex Bersabee, cuius vita desperabatur, orans Dauid Deũ, dicebat; *Quis scit si forte donet eum mihi Dominus?* idest quem infantem mihi donauit Deus per generationem, redonet mihi per precem? de quo infrà diffusiùs.

In signũ, & portentũ Israel; heb. plur. לאותות ולמופתים בישראל *leothoth vlmophethim beisrael*: *In signa, & portenta in Israel*. Non inuenio hæc dicta fuisse nisi de prophetis, qui spiritu prophetico, & diuino agitati, tùm verbis, tùm

rebus,

rebus,& factis,signa erant, & portenta rerum futurarum domui Israel,siue aliis nationibus; ita noster Isai. primus inter omnes, cùm iussu Dei nudus, & discalceatus tribus diebus incessisset,de eo dixit Deus c.20.3. *Seruus meus Isaias nudus,& discalceatus trium annorum signum,& portentum erit super Ægyptum*;ita Ezech.12.4. dũ Deo obediens sumit vasa transmigrationis, quæ fuerunt baculus, calcei, pera, penula; siue sacci,currus, vectes &c. & egreditur vesperi velata facie,ostendens his signis captam ciuitatem,& ciuium fugam,atque exilium; à Deo, hoc facto,vocatur portẽtum Ezechiel; sic enim dixit illi Dominus; *Quia portentum dedi te domui Israel*;ita Zach. 3.8. *Audi Iesu Sacerdos magne,tu,& amici tui, qui viri portendentes sunt*; אנשי מופת *ansce mopheth*; qui fuerunt Aggæus. Zach. & Malachias, omnes prophetæ. Pari modo hoc debet verificari de pueris istis Isaię,quod fuerint in signa, & in portenta Israel,& verbis, & factis; & quod non caruerint prophetico spiritu, quod infrà quæremus. Hîc nota ly, *portentum*; non tantùm sumi pro miraculo, siue prodigio suprà vires naturales; sed etiam pro euentu futuro prænũciato à propheta vel verbo, vel nomine, vel aliquo signo sensibili externo, absque significatione,& inclusione prodigiosi effectus.

CAPVT PRIMVM.

Qua sit connexio,& sensus huius textus; Ecce ego &c. ***cum præcedentibus;*** Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.

COmmuniter interpretes, & catholici, & hebraici hos duos textus,prophetæ tribuunt; & hoc modo connectunt;

ctunt; *Ecce ego,& pueri mei*; hoc est discipuli mei, qui meæ doctrinæ hærent, & mores meos assequuntur diuina gratia, qui in obseruatione legis, & fide erga Deum verum facti sunt, in signum, & in portentum Israel; nos, inquam, præstolabimur Dominũ, idest in tanta calamitate, quantam ego, & discipuli mei præsentimus venturam, diuinæ misericordiæ fidimus; Et quamquam vos rebelles sitis, & diffidentes cum vestro Achaz rege; ego tamen, & pueri mei fidentissimi sumus; neque lædendos vos, neque nos à Phacee rege Samariæ, neque à Rasin rege Syriæ, neque à Senacherib; ideòq; vobis desperantibus, nos præstolabimur diuinam clementiam, & adiutorium; ita optimè ad historiam Michael de Palatio hoc loco; Forerius ita exponit; *Ecce ego*; hebræis est vox, & signum obedientiæ; *Ego,& pueri mei adsumus ad quoduis parati*; Isaias, vt erat apud Deũ valde pius, audiens à Deo, quod Emmanuel filius Dei non totum Israel erat saluaturus aduentu suo, quinimmò futurus esset in ruinam multorum; intelligensq; penitus euertendam illam rempub. ob infidelitatem iudæorũ, ac paucos tantùm salutem consequuturos; vastationisq; symbolum esse nomen illud, quod filio dominus præcepisset imponi; *Acceleratum spolium*; sicut, et seruandarum; alterum illud *scear lasub*; idest reliquiæ conuertentur. Vidensq; velle dominum hanc prophetiam manere occultam, et obscuram; neq; intelligendam nisi Apostolorum tempore; in has voces obedientię, et fidei, et ingentis pietatis prorumpit. Quidquid dominus faciat, ego ad ipsum inhiabo, ab ipso pendebo, totũ me ipsi cõmittam. Hæc ille. Sensus verissimus in eo, quod asserit de Emmanuele rege Messia venturo; at de duobus filijs Isaiæ, non item, vt infrà. Tertius nexus est. Videns Isaias maximam partem populi Israelitici, et Iudaici, re-

licto vero Deo, et eius lege contempta, Idola gentium adorare; et ideò vt incredulos, et infideles à Deo abijciendos, et abhominandos; attamen nonnullos paucos adhùc extare Deum timentes, et colentes; in quibus veluti discipulis suis præceperat Deus Isaię, vt ligaret, obsignaret, et imprimeret legem suam, statuta, testimonia sua, et oracula; quatenus illam obseruarent in oculis illius populi idololatrici; ideò Isaias omni spe in Deo reposita ardētissimus diuinæ legis æmulator, seipsum, et pueros suos quos paulò ante discipulos, seu doctos suos, idest timētes eum vocauerat Deus, corā rege Achaz, et omnibus Dei inimicis; seipsum, inquam, et pueros suos, hoc est discipulos, sese exhibent exactissimos obseruatores legis, et oraculorum diuinorū testes fideles, veluti signa, et portenta, paratos in omni humilitate, et patientia pati quodcunq; genus persequutionis, martyrij, et mortis; vti fœliciter tandem euenit nostro Isaiæ, qui et exemplo, et verbo cōstanter legem Dei idololatris Iudæis prædicans, illorum vitia arguere non desinens, tandem sui ardentissimi Zeli præmium, nempè martyrij palmam, lignea serra à Rege Manasse Idololatra dissectus, obtinuit. Hic sensus cohæret cum primo, et est immediatè litteralis; vt ex dicendis magis patebit.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur, quos pueros suos vocat Isaias, non fuisse filios ab eo ex suis vxoribus natos; sed discipulos ab eo legem Dei edoctos, siue ad legem Dei conuersos. Et sic, quam in hoc cap. Spiritus sanctus vocat prophetissam, nequaquam fuisse vxorem propheta.

NOn miror RR. antiquos tempore D. Hieron., et modernos in odium fidei Christianæ finxisse Isaiam tres

filios

filios ex vxore sua suscepisse, *Rabsacen, Scear lasciuu, &* *Emmanuel*, qui est isdem, qui vocatus etiam fuit; *Accelera spolium, festina prædam*; ita R.S.R.Abr. & omnes, excepto R. D. qui putat Emmanuel esse filium regis Achaz; & istum filium Isaiæ, vt suprà satis vidimus; sed obstupeo ex nostris, aliquos perdoctos Expositores, & in lingua Sancta eruditos, huic Rabbinico errori addictos, adeò turpiter iudaizare, vt tamquam ipsam veritatem, amplectentur, tueantur, & pro viribus mordicùs defendãt; in quo quammaximè errent, & veritatem ipsam, quã certò putant tueri, oppugnent; atque hanc mirabilem prophetiam, & oraculum virginei partus, & conceptus Virginis matris Emmanuel regis Messiæ, offendant, & maculent; pro mea virili non deero ostendere. Super duos textus huius prophetiæ innixi Auctores contrariæ sententię, tenent indubitatò; Isaiam prophetam vxorem habuisse, & ex ea filios genuisse; primus textus est vers. 3. cap. septimi; *Et dixit Dominus ad Isaiam; Egredere in occursum Achaz, tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus.* Secundus textus est versus 18. cap. 8. quod exponimus; *Ecce ego & pueri mei &c.* qui duo loci à nobis sunt diligenter examinandi, & primus in hoc capite, & alter in sequenti, vt veritas à tenebris falsitatis eripiatur, & innotescat.

Sanctissimus, & doctissimus Hieronymus Isa. 7. lib. 3. in illis verbis; *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*; sic scribit; *Quidam de nostris iudaizans Isaiam prophetã duos filios habuisse cõtendit, Iasub, et Emmanuel de prophetissa vxore eius esse generatum in typum domini Saluatoris; Vt prior filius Iasub, quod interpretatur, relictus; siue conuertens, iudaicum populum significet, qui relictus est, deinde reuersurus. Secundum autem, idest Emmanuel, et nobiscum Deus*

gentium vocationem; postquam Verbum caro factum est. Vbi videas tempore sanctissimi Doctoris, qui iam sunt mille & trecenti anni, erat ista opinio iudæorum Iasub, & Emmanuel fuisse filios Isaiæ ex eius vxoribus generatos; itaut qui ex nostris, tunc temporis, ita & nunc, hanc opinionem tenebant iudaizantes meritò dicebantur, & dici debent. Isdem sanctissimus Doctor Isa. 57. Lyran. & alij referunt ex sententia hebr. Isaiam duos habuisse filios, primum Rabsacem, de quo fit mentio cap. 36. 4. *Et dixit ad eos Rabsaces*; qui apostatando à fide transfugerat ad Assyrios; & istum, cuius nomen proprium est Iasub; sed à Deo vocatur relictus, siue derelictus; quia solus erat relictus ipsi Isaiæ filius, altero apostatante, & ad Assyrios se recipiente; Addunt aliam coniecturam; quia Rabsaces loquutus est hebraicè, ergo hebræus erat. Huius figmenti non reperio mentionem faciant R. S., R. D. vel alius, neque hîc, neq; Isa. 36. neq; 2. par. 32. vt etiam notauit Lyra. Quicquid sit de hoc, ridicula est ista consequentia, dicit Burgens., Rabsaces loquebatur iudaicè, ergo iudæus erat; nam multi loquuntur lingua Serracenica, qui non sunt Sarraceni. Deinde quod Iasub vocetur à Deo; *relictus*; quasi solus relictus Isaiæ patri, chimericum est, & sine fundamento. Verùm quod à Iudæis, & aliquibus ex nostris teneatur pro certo; nempè quem Deus vocat; *Qui derelictus est Iasub*; fuerit verus, & naturalis filius Isaiæ ab eo genitus; videtur habere fundamentum; cũ scriptura apertè vocet illum filiũ suũ ושאר ישוב בנך *vscear lasciuu benecha; & qui derelictus est filius tuus*; Quod vt magis declarẽt, & corroborẽt heb. & nostri hebraizãtes, imaginati sunt hoc sõniũ; cuius auctor est R. D. in sua glossa; Quod iste filius Isaiæ; *vscear lasciuu; & qui derelictus est Iasub*; siue hebraicè; *& reliquum*

reuertetur; ita denominatus fuit à patre in signum; *Quoniam reliquum Iuda reuertetur adhuc post captiuitatem nempe Babylonicam; & non ita decem tribus*; Hæc ille; cui subscribit P. Cornel. à lapide Isa. fol. 111. litt. c., addens Isaiam Dei instinctu filio suo imposuisse nomen שאר ישוב *scear iasciuu*; idest derelictus redibit, ratione prædicta. Immò fol. 27. Cano. 31. dicit; *Hinc Isaiæ 8. 3. hebraicè est; Voca nomen eius scear iasciuu; quod noster vertit; Voca nomen eius; Reliquiæ conuertentur; hoc enim significat; scear iasciuu*; Hæc ille; quod totum est falsum, & certè inaduertenter, & debet corrigi. Nam Isa. c. 8. 3. scriptum reperitur; *Voca nomen eius; Accelera spoliũ, festina prædã*; non autem; *scear iasciuu*; quæ sunt verba cap. 7. 3., vbi habetur tantùm; *& qui derelictus est Iasub filius tuus*; & non legitur; *Voca nomen eius; Et reliquiæ conuertentur*; quod nempè Deus præceperit Isa. tale nomen imponeret huic filio suo; sicuti cap. 8. apertè præcepit illi, vt filio prophetissæ illud nomen imponat; *Accelera spoliũ, festina prædam*; Atq; hæc est ratio principalis conuincens hanc iudaicam opinionem esse vanam, & falsam, nempè hunc vocatum à Deo; *scear iasciuu*; fuisse verum, & naturalem filium Isaiæ. Vbi enim reperies habuisse hunc filium? & quando Deus Prophetæ iusserit tale nomen huic filio imponat? & qua occasione? certè nullibi; præcipuè cùm dicat R. D. in fine huius glossæ; *Et vocatio, siue impositio nominum puerorum* שאר ישוב *scear iasciuu; reliquum conuertetur*; & מהר שלל חש בז *maher scialal; casc bazi Accelera spolium, festina prædam; à domino exercituum: nihil feci à me ipso, sed omne imperatum est mihi à domino Deo*; sed quia non potest probare, quòd dominus exercituum imperauit illi, vt imponeret nomen illud filio suo; *scear iasciuu*; ideò stultescit, & mentitur. Prætereà euanescit il-

lius

lius commentum; Quomodo enim rex Achaz potuerit ex illo solo nomine filij Isaiæ præcognoscere, quod post captiuitatem Babylonicam septuaginta annorum reuersura erat tribus Iuda ad terram suam; cùm nulla pænitùs neque ante, neque in hac prophetia fiat mentio neque captiuitatis Iuda, neque reuersionis à captiuitate? Hinc nonnulli ex nostris videntes hæc omnia Rabbinica euanescere; adinuenerunt aliam rationem explicandi ethymon, siue significatum huius nominis; *scear iasciuu*; quatenus tale nomen prænunciaret, & portenderet regi Achaz, populum suum Iudaicum, qui relictus fuerat, & superstes ex atrocissimis cladibus paulò ante acceptis ab illis duobus regibus Rezin, & Phacee, liberandum esse ab illo excidio, tūc imminenti, quod prædicti Reges obsidendo Ierusalem illi intentabant; Verùm hæc tota imaginatio distat à veritate sacri textus. Et primò à significatione huius nominis; *scear iasciuu; Reliquum reuertetur*: cū hîc nulla reperiatur reuersio; potius dicere debebat, cùm multissimi ex tribu, & regno Iuda in bellis præcedentibus occisi fuerint ab exercitibus istis; qui remanserunt, illæ paruæ reliquiæ saluabuntur à morte, liberabuntur ab excidio; quem sensum non importat hoc nomen; *scear iasciuu; Reliquiæ conuertentur*; vt statim patebit. Præterea ad quid hoc nomen, siue hic filius cum hoc nomine coram rege Achaz, & optimatum eius? Vnde sciebat Achaz hunc filium ita vocari? & si ita; quomodo in hoc nomine prophetico poterat intueri liberationem ciuitatis, nisi Isaias declarasset, quod fecisse prophetā ignoratur? Vlterius, Si propheta apertissimis verbis promittit regi Achaz certissimam liberationem ab illa instanti obsidione, & duorum illorum regum, & regnorum vltimum excidium proximum; quod præcedat; hortatur

regem,

regem, vt petat signum à Deo faciendum; immò per omnes RR. dedit illi Deus signum in nomine עמנואל Emmanuel filij העלמה *hangalmah*; quod non caperetur; sed liberaretur Ierusalem, & saluaretur domus Dauid; sonat .n., & portendit hoc nomen, *Emmanuel*; Nobiscum Deus Saluator, & liberator ab hac imminenti calamitate, vt RR. omnes exponunt; ergo hoc est superfluũ in nomine isto, & nomen istud; *scear iasciuu*; non aptum ad tale significatum. Dices Deum etiã uoluisse id totum filius Isaiæ tali nomine portenderet; sed, inquam, sine ratione, cùm tale nomen id ex se nòn præseferat; neque legatur siue à Deo, siue à propheta impositum fuisse tale nomen; sicuti præcepit, & exprimitur de hoc nomine, ***Emmanuel***, cuius significatum immediatè declaratur; *Quia antequam sciat puer &c. derelinquetur terra &c.* Cùm ergò de impositione huius nominis; *scear iasciuu*; *Reliquum conuertetur*; nulla, & nullibi reperiatur Dei iussio, & eius interpratatio non conueniat rei signatæ; totum erit figmentũ carens omni probabilitate; Vt ergò veritas in apertò prodeat, & fundamentaliter omnibus pateat.

Notandum est hoc nomen ישוב *iasciuu*; quod à vulgato vertitur; *lasub*; aliquandó esse proprium alicuius personæ, Paral. p. 7. 1. *De filijs Issachar lasub, & Simeron*. 1. Esdr. 10. 29. *De filijs bani lasub, & sceal*; aliquando est verbũ futurum tertiæ personæ verbi שוב *sciuu*; redire, reuerti significans; hinc ישוב *iasciuu*; *redibit, reuertetur*; Pariter hoc nomen ושאר *vscear*; quod traducit vulgatus. *Et qui derelictus est*; in fonte non est relatiuum; *qui*; & littera ו *vau* significat dictionem, *&*, copulatiuam; itaut verbum sit שאר *scear*. Hoc nomen, inquam, proueniens à radice שאר *sciar*; relinquere, remanere, superesse; significat residuum, reliquum, reliquiæ, quod remanet, & superest ex

aliqua

aliqua magna multitudine; & cùm sit nomen, quamuis numeri singularis, tamen collectiuum, & multitudinis; pluraliter potest transferri, cum suo verbo singulari pariter in plurali, vt in re nostra שאר ישוב *scear iascihu*; potest traduci; *Reliquum, residuum conuertetur*; ita multi; & pariter; *Reliquiæ conuertentur*. Ità infrà c. 10. 21. sunt ista duo verba, quæ hîc שאר ישוב שאר יעקב *scear iasciuh scear iangachou*; *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ Iacob*; traducit vulgatus; potest traduci; *Residuum conuertetur, residuum Iacob*; sensus est residuū Iacob, quod supererit ex duodecim tribubus conuerse; *ad Deum, ad pænitentiā*. R. S. conuertetur בתשובה שלמה *bithosciuuab scelemah*; *pænitentia perfecta*. R. D. noster vulgatus videtur accepisse ly, ישוב *iascinu, Iasub*; pro nomine proprio filij Isaiæ; & ly שאר *scear*; *& derelictus*; tamquam adiectiuū, veluti reliquus; quemadmodùm vocatus fuit Dauid, 1. reg. 16. 11. *Qui respondit* עוד שאר הקטן *ngod sciaar hachatan*; *adhuc reliquus est paruus, qui pascit oues*; itaut sit sensus; *Et reliquus Iasub filius tuus*; quasi Isaias habuerit alios filios, & hic fuerit reliquus, siue vltimus, qui ex illis superesset.

Verùm cùm nullus doctorum non cognoscat mysterium in hoc nomine duorum verborum; *scear iasciuu*; & hoc sit præ monstratum, *Reliquiæ conuertentur*, vel, *Reliquum conuertetur*; & præcipuè hoc doceant RR. & Rabbinizātes, cùm quibus certamus pro veritate, asserentes hæc duo nomina *scear iasciuu* esse nomen impositum à Propheta iussu Dei huic filio suo: & sensum huius nominis esse prędictum: & iam suprà ostensum est duas prædictas rabbinicas expositiones huius nominis: *Reliquum conuertetur*: longissimè distare à veritate textus; debemus inuestigare illius germanum sensum qui nos ducat in cognitionem, an iste qui vocatur à Deo filius Isaiæ fuerit

eius naturalis, an alio modo; quod duobus modis facere possumus.

Prima expositio est; si sequamur sensum prædictum horum verborum; *Reliquum conuertetur*; ideſt ad Deum per pœnitentiam, vti Isa. 10. 21. is sit penitùs sensus textus nostri; *Reliquum conuertetur, siue reliquiæ conuertentur per pœnitentiam filius tuus*; Itaut Deus his verbis loquēs cum Isaia, præcipiat ei quod egrediatur ex ciuitate Ierusalem in occursum Achaz, non solus, sed associatus his, qui verbo suo, vel iam conuersi erāt ad fidem, vel potius conuertendi ab eo prædicatione, & prophetia, quam coram rege Achaz, & primatibus regni, & domo Dauid, & populi Iuda, habuit luculentissimam, quos hoc nomine; *Scear iasciuu*; *Reliquum conuertetur, vel reliquiæ conuertentur*; innuit Deus. Quasi dicat; Mitto te ò Isaias ad regem, & gentem infidelem idololatram, & perfidam, vt prædices illis meam fidem, omnipotentiam, & prouidentiam singularem erga ciuitatem Ierusalem, & domū Dauid; exhibe illis, vt credant mihi, & tibi, miracula, & prodigia; Verùm quia præuideo incredulitatem, & perfidiā regis Achaz, & eorum, qui cum eo sunt, quia nō credent verbis meis; & quia prędideo, quod verba mea ex ore tuo non redibunt vacua, sed ad fidem, & pœnitentiam conuertent illos, qui tecum è ciuitate egredientur ad occurrendum regi Achaz; ideò præcipio tibi ne solus exeas, sed cum illorum comitatu, quos, vt nunc scias futuros à te conuertendos ad me, & futuros tuos filios spirituales in hac præsenti occasione, hoc nomine tibi ostendo; *Et reliquiæ conuertentur tibi filij tui*; qui tecum egredientur ex ciuitate erunt filij tui, quia tua prædicatione illos generabis mihi fideles pœnitentes, & legis meæ obseruatores. Hic germanus, & litteralis sensus fuit semper

antiquorum Thalmudistarum, testante R.S. quorũ anima ipse semper fuit; & verba illorum sunt ista; שארית מעט שישוב אלי על ידך ותם כבניך *scearit mengat sceiasciuu elai ngal iadecha vehem chabenecha*; idest; *Reliquum parum quod conuertetur ad me*; vel, *Reliquiæ paucæ, quæ conuertentur ad me per manum tuam; & ipsi erunt, sicut filij tui*; itaut dicat Deus Isaiæ; Egredere in occursum, Achaz tu, & illi, qui te commitabuntur; nam istos conuertes ad fidem prædicatione tua, & erunt filij tui fide, & spiritu. Quid clariùs bone Deus. Quid dicis Iudee? hunc sensũ esse mysticũ, & nõ litteralem; non bene dicis; imò solus litteralis; Nam vt modò notauimus illa phrasis in hebr. שאר ישוב שאר יעקוב אל אל גבר *scear iasciuu, scear ianghachou el el gibbor*; *Reliquum conuertetur; Reliquũ Iacob ad Deum fortem*; Isa. 10. 20. vult numerum pluralem; *Reliquiæ conuertentur*; vt docent R. S. *Reliquiæ, quæ in eis cõuertentur ad D. S. B.* & R. D. ita dicens; *Quia in diebus Ezechiæ transmigrauit multitudo Israel*; idest in Assyriam; *ideò dicit* שאר *scear*; *Reliquiæ*; *vult dicere*; *quod reliquum est ex Israel*; *hoc est, Reliquiæ Israel conuertentur*. Hæc illi. Sed in textu nostro sunt eadem verba ושאר ישוב *vscear iasciuu*; *Et reliquiæ conuertentur*; in plurali; ergò & in plurali debet exponi ly בנך *benecha*; quod noster traducit, *filius tuus*; debet intelligi, inquam, & exponi pluraliter, *filij tui*; & hic singulare stat pro plurali, id exigente syntaxi hebraica, quod annotauit doctissimus super omnes DD. hebr. R.S. qui in sua glossa legit ly בנך *benecha*; *filius tuus*; cum *caph* similitudinis; & cum *zere*, & *iod*, quæ sunt signa pluralitatis nominis in regimine; grammaticis loquor; legit, inquã, כבניך *chabenecha*, *sicut filij tui*; & hoc dico etiam secundùm vulgatum, qui non descedit à se ipso, putà à significato grammaticali huius nominis;

scear iasciuu; *Et reliquiæ conuertentur*; cùm eadem duo verba vers. 20. cap. 10. verterit; *Reliquiæ conuertentur*; & secundùm omnes doctores, qui significatum aliquod in his duobus nominib. recognoscũt; quòd certè non potest esse nisi prædictum; & consequenter: ly; *filius tuus*: non significat filium aliquem Isaiæ ex sua vxore generatum, sed quos prædicatione ad fidem conuersurus erat filios suos idest Prophetæ, vocat Spiritus sanctus. Hîc corrigendus est Lyranus, qui afferens prædictã glossam R.S. ita eam explicat; *Tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus*: Quasi dicat Dominus; *pauci de populo Iudæ, qui reuertentur ad me per pœnitentiam ad dictum tuum*; *Erunt tibi sicut filius tuus Iasub*; corrigendus inquam est; cùm certè in glossa R.S. sint tantùm ista verba והם כבניך *vehem chabbenecha*; *Et ipsi sicut filij tui*; in plurali, & nõ in singulari, sine ly, *Iasub*; cùm hoc non sit nomen, sed verbum; Amplectitur hanc veritatem Lyran. c. 7. & hîc, vt in sequenti capite videbimus.

Secunda expositio, quæ ferè coincidit cũ ista, est paraphr. Cald. Ionath. quæ ita se habet; *Egredere tu* ושאר דלא חטו ודחכו מחוטאה תלמידך *Vsciar dela chatu vdchauu michelecã talmidach*; *Et reliquiæ quæ non peccauerunt; et mundæ sũt à peccato, discipuli tui*. Et sensus est; Præcipio tibi Isaias, quod exeundo de Ciuitate in occursum regis Achaz, tecum ducas illos tuos discipulos, non solùm doctrina, & lege, sed vitæ sanctitate; & tui imitatione iustos, sanctos, & puros ab omni peccato; verè tuos filios spirituales; Similes enim sæpè vocantur filij in Scripturis. Prou. p. 8. *Audi beni fili mi*. 4. reg. 4. 38. ובני הנביאים *Vune hanneu ijm & filij prophetarum*; discipuli, doctrina, & sanctitate vitę filij, vti rectè R.S. docuit Num. 3. 1. *Et istæ sunt generationes Aaron, & Moysis*: Quærit R.S. non meminit *sacer*

 textus

textus nisi filiorum Aharon; & quomodo vocantur generationes Moysis? Resp. לפישלמדןתורה *lephi scelamedan thorah; Quia docuit illos legẽ;* sequitur; *Ostendens, quod omni docenti legem filium socij sui, attribuit ei Scriptura gradum; perinde ac genuisset illum;* כאלוילדו *cheillu ialdo; Et tunc factæ fuerunt istæ generationes eius, idest Moysis, quando docuit eos, quod ipse didicit;* מפיהגבורה *miphi hagheuurah; Ex ore diuinitatis;* Ex quibus omnibus colligitur quam verisimiliter, & certissimè asserendũ sit, hunc, *Iasub*, non fuisse filium Isaię per generationem humanam; sed multos filios spirituales, & adoptiuos; vel quia sua prædicatione tunc ad pœnitentiam conuertere debebat, vel quia eos legem Dei docuerat. Et equidem ita fuisse persuadet ista optima congruentia, & ratio sequens.

Hæc legatio, ad quam mittebat Deus maximum, & nobilissimum prophetam Isaiam, erat ad regem Achaz, & optimates, & nobiles aulæ eius ex domo Dauid, & ad multos ex populo Iuda; Quis credet Isaiam occurrisse Regi cum solo filio, & non habuisse multos, qui eũ sequerẽtur? Verùm, veluti Propheta missus à Deo in tam seria legatione, vt animaret trepidantem Regem, & regnum; Regem, inquam, infidelem, & idololatram, qui verbis diuinis de præsentanea liberatione Ierusalem credere renuit cum suis aulicis; & signum, siue miraculum à Deo illi exhibitum, vt suo arbitrio postularet quodcũque voluerit; perfidè, & sacrilegè recusauit postulare à Deo suo, ne Deus tali miraculo glorificaretur; quod certè euenisset, vel conuersione ipsius Regis, vel aliquorum suæ aulæ, siue ex populo, ad fidem veri Dei; Hæc omnia, inquam, futura præuidens Deus, & suo Prophetæ reuelans; quos poterat Deus præcipere Prophetæ, quod secum addu-

ceret in suo comitatu talis legationis, nisi illos paucos, & reliquos ex ciuibus Ierusalem, quos Deus præuidit conuertendos ad fidem, & pœnitentiam hac prædicatione, & prophetia mirabili, & fiendos filios spirituales ipsius Isaiæ? certè hoc ita fuisse conuincunt verba diuina præceptiua Isaiæ; *Egredere tu, & reliquiæ*; supple, *quæ conuertentur filij tui*. Et quos Propheta ipse sibi in socios huius legationis assumere poterat, nisi suos discipulos, & cum illis multos ciues Ierosolymitanos ad fidem cõuertendos; Prophetæ enim erant magistri, & multos discipulos habebant, vt ex Scripturis constat. Certè hoc cõueniebat honori diuino, ne verbum Dei rediret vacuum; præuidens enim Deus iniquam, & nimis apertam incredulitatem regis Achaz, & suorum, coram tã magna multitudine nobilium, & populi, qui aderant; opus erat, vt adessent tales, qui verbis illis diuinis, & crederent, & conuerterentur ab Idolis ad pęnitentiam; & hoc ad confusionem, & iustam damnationem, & punitionem non credentium; & isti sunt illi reliqui pauci ex tot millibus infidelium, quos Deus præsciuit, conuertendos ad prophetiam, & prædicationem Isaiæ; ideò propheticè istos pręcipit illi Deus, vt secum ducat; *Et reliquiæ conuertentur filij tui*; nam ipsos conuertere debebat ad Deum, illos sibi filios dilectos spiritu ales pariendo. Siue dicamus cũ Ionatha Caldæo, istos filios fuisse discipulos, quos secum duxit in tali legatione, vt adessent, veluti signa, & portenta in Israel in fide firma, sanctitate, & eximia obseruatione legis diuinæ; inter tot infideles, & apostatas à Deo, & lege, qui erant Deo, & Prophetis molestissimi, veluti illis insultat Propheta; *Nunquid parum est ex vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo?* Atque ita in facto fuisse non potest negare R. D. qui in

ſua gloſſa cap. 8. 18. ita fatetur; *Et iſta verba dixit Propheta diſcipulis aſtantibus coram eo;* לתלמידים היושבים לפניו ואמר להם גם כן וכי יאמרו אליכם *lethalmidim naiaſceuim lephanau vehamar lahem gam chen vechi iomeru alechem; Et dixit illis etiam ita;* hoc eſt illis diſcipulis ſuis; *Et ſi dixerint ad vos.* Hæc ille. Sed quomodo probet ſuum dictum iſte R. D. Iſaiam, quãdo egreſſus eſt de Ieruſalem in occurſum Achaz, ſecũ duxiſſe diſcipulos ſuos, & fuiſſe illi pręſentes quando loquebatur regi Achaz, & dicebat verba iſta; nullo modo, & nullibi hoc probare poteſt, niſi ex hoc textu; *Egredere in occurſum Achaz tu, & reliquiæ conuertentur filij tui;* ideſt diſcipuli tui; ſiue ex textu quẽ modò examinabimus; *Ecce ego, & pueri mei;* ideſt diſcipuli mei, qui ſunt mihi veluti filij dilectiſſimi.

CAPVT TERTIVM.

Examinatur diligenter ſecundus locus Iſaiæ:
Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſraël à Domino exercituũ, qui habitat in monte Syon.

HOc textu, tamquã Achille, & RR., & ex noſtris præcipuè perdocti viri Forerius, & Gaſpar Sanctius putant euidenter cogere nos fateri Iſaiam loqui de filijs ab eo ex legitima vxore ſua prophetiſſa ſuſceptis; qui ſunt duo; & qui vocatur, *ſcear iaſciuu;* & q vocatus fuit à Deo per Prophetam; *feſtina ſpolium, accelera prædam;* iudaizantes cum R. D., qui verba prædicta ita exponit; *Ecce ego, & pueri &c. Opera, quæ ego feci in ſignum, ſicut eſt ſcriptura voluminis, & vocatio nominum puerorum ſcear iaſciuu; Reliquiæ conuertentur; & maher ſcialal caſc baz; Accelera ſpolium, feſtina prædam; à Domino exercituũ;*

nihil feci à me ipso, sed omne imperatũ est mihi à Domino Deo exercituum. Hæc ille. Sed in multis deficit; tũ quia non est verum, à Domino illi iussum fuisse, quod imponeret nomen hoc, *scear iasciun*, primo filio suo; cùm nullibi reperiatur, sicuti reperitur mandatum diuinum illi directum, vt imponeret filio prophetissæ iam dictum nomen; *Accelera spolium*. Tùm quia quomodo tunc Propheta dicere poterat in præterito; *Opera quæ ego feci*; vt Scriptura illorum quatuor verborũ in volumine magno, & vocatio nominis pueri prophetissæ; *Accelera spolium &c.*, si tunc omnia videbat in visione prophetica, & enunciabat illa regi Achaz, & astantibus? si tunc prophetissa non conceperat, & Isaias ad illam adhuc non accesserat? Quod verò caput septimum, & octauũ, vnica fuerit continuata, & prædicata prophetia à Deo per os Prophetę eodem pęnitus filo temporis, loco, & personis, putà extra Ierusalem, coram rege Achaz, proceribus regni, & discipulis ipsius Isaiæ, est euidens; nam in vtroque capite agitur de eodem subiecto, putà liberatione Ierusalem ab illis duobus Regibus inimicis; In vtroq; capite, siue isdem filius, siue sint duo; quorum, siue cuius duo nomina simul promittunt, & liberationem ab obsidione, & illorum duorum regum mortem, & regnorum excidium, ita cap. 7. *Ecce virgo &c. & vocabitur nomen eius Emmanuel &c. Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum regum suorum.* Et cap. 8. idem pænitus legitur; *Voca nomen eius Accelera spolium, festina prædam; Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum*; quod est dicere; *derelinquetur terra &c.* vt suo loco ostendimus. Tùm quia, &

ad hominem; si Propheta per R. D. illis verbis; *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus*; intelligit filios naturales ab eo genitos; & præcipuè qui vocatur *scear iasciuu*; denotat illos, saltem istum, fuisse præsentem; cùm cap. 7. legatur, quòd iussu Dei Isaias pater occurreret Regi cũ isto filio suo; & non legatur alibi, signum est, ista duo capita fuisse vnam continuatam, & interruptam prædicationem, & prophetiam, loco, tempore, & personis; Quomodò ergò poterat dicere Propheta; *Opera, quæ ego feci*; si nondum nullum opus externum fecerat; sed tantùm in visione prophetica sibi visum fecisse; & cùm esset in actu prædicationis, & enunciationis prophetiæ, & non exequutionis actus externi, & materialis, veluti scriptionis illorum nominum in magna pergamena; adductionis illorum duorum testium fidelium; Accessionis ad prophetissam, conceptionis, & partus filij eius; Et tandem impositionis illius nominis? Nonne verum est, secundùm regulas grammaticales, & veritatem prophetiæ, omnia illa verba in tempore præterito posita; *Et adhibui mihi; Et accessi, & concepit, & peperit*; exponẽda, & intelligenda esse in tempore futuro; *Et adhibebo; Et accedam; Et concipiet, & pariet*? sic solet sæpè insanire iste R. D. veritatem prophetiarum de rege Messia, Iesu Nazareno, suis nugis, & falsis commentationibus peruertens obtenebrare; quam perfidiam magis paulò post ostendit, vt videbimus.

R. S. horum verborum; *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus in signa*; duplicem affert expositionem. Prima est; *In signa; duo signa sunt; punitionis phechach; ita vocatus fuit infans; festina spolium, accelera prædam; & salutis domus Dauid; ideò vocatus est infans, Emmanuel*; זה והוא בענין לפי פשוט; *ehu baiasciun benginijan lephi pesciuto*;

sciuo; *Hoc aptum est in significato secundùm sensum litteralem eius*; vult dicere hic est sensus litteralis horum verborum; *Ecce ego, & pueri &c. in signa*; loquitur iste R. consequenter ad sua principia; docuerat enim, & quæ c. 7. vocatur, *hangalmah*; *Ecce Virgo*; & quæ c. 8. prophetissa, esse eandemmet vxorem Isaiæ; & vnicum tantùm eius filiũ, vocatũ duob. nominibus à matre; *Emmanuel*; & à Deo; *Accelera spolium*; & sic cùm inter filios Isaię ab eo genitos non numeret illum, qui à Deo vocatur; *scear iasciuu*; sed hoc nomine intelligantur reliquiæ, quæ per Isaiam conuertendæ erant ad Deũ; Clarè liquet, ꝙ loquatur de illo vnico tantũ filio ab eo genito ex prophetissa; quæ &, *hangalmah*; dicitur. Verùm ex suis verbis ostendit R.S. falsum esse hunc sensum litteralem; siquidem Isaias loquitur pluraliter; *Et pueros* והילדים *vehailadim*; *quos dedit mihi Dominus*; at R.S. non agnoscit nisi vnicum, & solùm prædictum filium Isaiæ; ergò vel alij debent inueniri filij; ꝙ nequit esse; vel falsa eius glossa, vti est. Præterea ly; *Ecce ego*; est phrasis indicans realem existentiam, & præsentiam personæ loquentis, putà Isaiæ, quod certum est; ergò etiam, quod Propheta sub eadem phrasi, subiungit; *Et pueros quos dedit*; Tùm etiã ratione dictionis, &, copulatiuæ, tùm litteræ ה *h*, affixæ nomini *bailadim*, quæ sæpè solet demonstrare rem præsentem; ostendit illos pueros fuisse tunc eodem loco, & tempore personaliter præsentes, & existentes cum propheta Isaię; quod certè verificari nequit de filio prophetissæ, vtpotè neque adhùc concepto. Et vlterius, quod fuerint præsentes eodem instanti temporis, conuincit textus subsequens; *Et cùm dixerint ad uos*; certè ad illos; quos immediatè ante vocauit pueros illi datos à Deo; vt statim videbimus. Cùm ergò hæc R.S. expositio non

ſit pęnitus apta, immò ſit contraria, & deſtructiua ſenſus litteralis huius textus, & prophetiæ; à veritate impulſus, coactus eſt mutare ſtatim ſententiam, & veritatem conſiteri; quàm c. 7. v. 3. docuerat exponendo illa verba; *Qui derelictus eſt laſub filius tuus*; ſiue, vt in fonte; *Reliquiæ conuertētur filius tuus*, hoc pacto; *Reliquiæ pauca, quæ cōuertentur ad me per manū tuā, & ſunt ſicut filij tui*; hanc inquā, germanam, & litteralem intelligentiam ſequens, exploſa prima veluti falſa de pluribus filijs Iſaiæ ab eo genitis; hanc amplectitur de filijs per pœnitentiam, ſiue doctrinam ab ipſo ſpiritualiter genitis Deo, dicens; *Ecce ego, & pueri quos &c.* הם תלמידים שחבבים עליו כבנים *hem talmidim ſcechauiuim ngalau chebbanim; Iſti ſunt diſcipuli qui dilecti erant ab eo ſicut filij; Erunt in ſigna, & portenta, quia ſtabilietur lex in Iſrael per manus eorum.* Hæc ille. Quæ litteralis expoſitio reperitur in Talmud Ieroſolymitano tractatu Sanehedrin fol. 28. colum. 2. וכי ילדיו היו *vechi ielidau haiu; Et quomodo filij, vel nati, vel pueri eius fuerunt*; ואלה תלמידיו היו *veelle thalmidau haiu; Et iſti diſcipuli eius fuerunt*; אלא מלמד שהיו חביבים עליו *Ella melamed ſcehaiu chnuiuin ngolau; Sed docet, quod fuerunt, ſiue erant dilecti ab eo*; vbi docent Thalmudiſtæ, etiam ſi ly, *pueri*, ſignificet filios; tamen quærimus, quonam modo ſint iſti pueri, filij prophetæ. Reſp. Certiſſimè iſti erāt diſcipuli Prophetæ, ſed quia eos maximè diligebat, vocantur ab eo pueri, nati, & filij; ſi Talmudiſtæ ſupremi doctores hebraicæ ſectæ exiſtimaſſent ſenſum litteralem; *& pueri, quos dedit mihi Dominus*; eſſe; *& pueri*, & filij, quos mihi dedit Dominus per generationem naturalem ex prophetiſſa vxore mea: vtique expreſſiſſent, & non excluſiſſent veluti falſum, vt ex eorum loquendi modo conſtat euidenter. Qui pęnitus litteralis,

hiſtoricus, & germanus ſenſus, clarè colligitur ex tota ratione, & ſerie contextus; & primò ex textu præcedẽte; *liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis*; ſi ſunt verba Dei loquentis ad Iſaiam præcipientis illi, vt imprimat legem ſuam, & oraculum huius admirabilis prophetiæ ſuper cor diſcipulorum ſuorũ, vt illam perpetuò obſeruent; certè dum Iſaias immediatè ſubdit: quaſi reſpondens Domino; *Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Dominus*; diſcrepat valde à textu, quod intelligantur filij Prophetæ ab eo geniti; ſicuti optimè conuenit, intelligantur eius diſcipuli ab eo conuerſi, & docti; & ſicut filij dilecti, dati illi à Deo in ſigna, & portenta in Iſrael; hoc eſt, quia inter penè infinitã multitudinem Iſraelitarum, tunc infidelium, & idololatrantium, iſti diſcipuli Iſaiæ erant illi dati à Deo, vt veluti monſtra, & portẽta eſſent in Iſrael, in exacta obſeruatione legis diuinæ, vt optimè R.S. *Erunt in ſigna, & portenta in Iſrael*; שתתקיימה תורה בישראל על ידם *ſcethithchaijemah thorah beiſrael ngal iadam*; *Quia ſtabilietur lex in Iſrael per manus illorum*; Si verò etiam exponantur prædicta verba; *liga teſtimonium*; eſſe Prophetæ, vt obliquè exponit R. D. dicens; *Non eſt mihi, niſi colligare, & imprimere legem in*; id eſt; *ſimul cum diſcipulis meis*; & iterum; *quia non videbunt eam niſi diſcipuli*; & amplius; *& non nominetur niſi diſcipulis*; putà lex. Si ita eſt, quomodo verba Iſaiæ immediata; *Ecce ego, et pueri*; de illis duobus filijs, *ſcear iaſciuu*: quod falſum oſtendimus; & *Accelera ſpolium*; qui nondũ erat conceptus poſſunt intelligi? hoc certè repugnat in terminis. Non enim, vt putat P. Sanctius in nominibus prædictis horum puerorum, quaſi in tabulis ſcripta erat lex; ſed ſolùm euentus futuri prædicti, putà tribum Iudã è captiuitate reuertendam; & Damaſcum, & Samariam

deprædandas;quæ nõ cohærent neque vlla ratione cum supradicto textu; *liga testimonium ; signa legem in discipulis meis*; & cùm subsequenti ; *Et cùm dixerint ad vos &c. ad legem magis, & ad testimonium*; At verò si exponatur sensu prædicto; *Ecce ego, & pueri*; idest discipuli; *Quos dedit mihi Dominus*; vt in ipsis imprimem docendo, & operando legem suam, testimonium suum; itaut isti discipuli mei illam deferant docendo, prædicando, & exéplo ad populum Israeliticum, & illam obseruare faciant; hic, inquam, sensus est verè litteralis, & omnes textus litteraliter quadrant, & concordant ad inuicem.

Deinde, quod iste sit totius prophetiæ cohærens simplex sensus, colligitur ex textu immediatè subsequenti; *Et cũ dixerint ad vos ; Quærite à phytonibus, & à diuinis &c.* Quinam sunt isti, ad quos Propheta vti realiter, & personaliter præsentes loquitur dicens; *Et cùm dixerint ad vos?* Prius sciendum est, quòd huic veritati, & textibus lucem maximam affert Rabb. S. hoc loco in sua glossa, ex antiquissima traditione RR. in libro Aggadah in beresicit Rabba; *Quod tunc temporis huius prophetiæ. Impius, & inimicus Dei, & legis eius rex Achaz clauserat;* בתי כנסיות *bate chinesciotħ; Scholas, vel domos congregationis*; idest Synagogas vbi conueniebant Iudæi causa orationis, vel legis audiendæ singulis Sabbathis; ובתי מדרשות *vbathe medrasciotħ; & scholas, siue domos* (Erant loci studio legis destinati, vbi docebatur, concionabatur; & Ierosolymis erant tũc temporis quadringentæ scholæ, siue Academiæ in quibus discipuli legem Dei docebantur) *ne docerentur discipuli domus magnæ legem, dicens; Si nõ erunt hædi, nec etiam arietes ; si non oues, nec etiam pastor; causabo ei vt auferat diuinitatem suam. Dixit ei Propheta omne illud conspiras, testimonium, & sigillum legis occultare,*

tare, ne inueniatur in Israel, nihil proderit tibi; hæc ibi. Quia Deus præcepit mihi, quod ligem testimonium, & imprimam legem suam in discipulis suis, & meis; *Et ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus*; ad eius legẽ docẽdã, pdicãdã, & obseruandã ab illis in Israel: Ex qua traditione colligimus primò de mente antiquorum RR. hanc totam prophetiam, & concionem cap. septimi, & octaui habuisse Isaiam coram rege Achaz, domo Dauid, & populo eodem loco, & tempore; deinde, quod quærimus, quos Isa. vocat pueros à Deo illi datos non fuisse filios naturales, sed discipulos ab eo siue doctos, siue conuersos; & consequenter illos, ad quos dixerat; *Et cùm dixerint ad vos*; esse eosdemmet discipulos Isaiæ, & pueros illi datos à Deo in signa, & portenta in Israel; itaut sit sensus; Cùm populi gentilium infideles, idololatræ, & apostatæ, Israelitæ, & Iudæi dediti superstitionibus, & consulere oracula Idolorum, & quærere à phythonibus (quos gẽtilium ritus, & impietates introduxerat in tẽplo Dei sacrilegus, & demoniacus rex Achaz; & obseruabãtur in toto Israelis populo, & Iudaico) dixerint vobis hortando, suadendo, & vim inferendo, vt despecta Dei lege, & eius diuinis oraculis, consulatis oracula dæmonum, quæratis responsionem futurorum euentuũ à phytonibus, idest, qui arte magica à mortuis scrutantur futura; Vos respondere debetis; *Nunquid, nõ populus à Deo suo requiret visionem pro viuis à mortuis; Ad legẽ magis, & ad testimonium*; hoc est, vt rectè Lyranus, ad legem diuinitùs datam, ad testimonium prophetarum à Deo inspiratorũ magis recurrendum est, quàm ad phytones, & diuinos; sed qui erunt isti, nisi illi, de quibus paulò ante dixerat Deus Prophetæ; *liga testimonium, signa legem in discipulis meis*; Et isti, qui erunt, nisi quos vocat Isaias

pueros

pueros illi à Deo datos? ad quid? *In signa, & portenta in Israel;* Quomodo? certè non vt suis extrinsecis nominib. portendant sono, & voce duos futuros citissimè euentus; post quos euanescēt illa nomina; sed vt factis, omni tempore vitæ eorum, & successores eorum semper in futuris temporibus legem diuinam custodiant, ad oracula Prophetarum recurrant; & sint in signa, & portēta in Israel, hoc est obseruationem legis, & oraculorum suorum sustentent, & stabiliant legem eius, opponendo se, & gentibus, & Israelitis; Idololatris, qui abiurata lege Moysis, Idola, & phytones consulunt; Cùm ergò & antecedētia; *liga testimonium &c. in discipulis meis;* & subsequentia; *Et cùm dixerint ad vos;* idest discipulos meos, cōfitetur R. D. cur textus medius; *Ecce ego, & pueri,* non debet eodem sensu à Propheta intelligi; *Ecce ego, & discipuli;* cùm præcipuè tales discipulos dederit illi Deus, dicens; *liga testimonium, signa legem in discipulis meis?* quasi dicat, qui sunt docti mei, quia habent timorem meum, sint discipuli tui, pueri tui, filij tui, docendo illos legem meam, oracula mea, secreta mea, & sint in signa, & portenta coram Israelitis apostatis, & Idololatris exactissima obseruatione, & prædicatione legis meæ; itaut & docendo, & operando illam stabiliant, & ad illam cōuertant illius rebelles, & transgressores.

Præuidit hanc apertissimam veritatem R. D. quos Isa. hoc versu vocat pueros à Deo illi datos, nullo modo posse intellligi de filijs ex sua vxore genitis; sed quidem de discipulis; ideò adinuenit hoc subterfugium, quod placuit etiam Forerio: ואלה הדברים היה אומר הנביא לתלמידים היושבים לפניו *ueelle haddeuarim hatah omer hannaui lethalmidim baioscenim lephanau;* idest; *Et ista verba dicebat propheta discipulis stantibus coram eo;* vt sit sensus; postquam di-

xerat

xerat Propheta; *ligare testimonium, signare legem in discipulis meis*; (vult enim ista duo verba esse infinitiua, nō imperatiua) & sic Propheta qui loquitur, dicat; Ego debeo colligare, & imprimere legem in discipulis meis, quibus præsentibus loquebatur; deinde quasi per parenthesim, subdat duos sequentes versus 17. & 18. *Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suā à domo Iacob, & præstolabor eum. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & portentū in Israel à Domino exercituum, qui habitat in monte Syon*; denotans duos suos filios, quibus imposuit nomina; & quod ista verba in parenthesi dixit discipulis astantibus coram eo; loquens, inquam, de filijs suis ab eo genitis, quos in parēthesi vocat pueros à Deo illi datos. Deinde versu sequenti 19. reuertatur ad discipulos suos, illisq; dicat; *Et cùm dixerint ad vos; Quærite &c.* vertens suum sermonem ad suos discipulos. At quis non videat hæc omnia esse violenta, & chimerica, ex prædictis; nam repugnat textui facere illa duo verba; *liga, signa*; infinitiua; cū ex natura textus debeant esse imperatiua, & conueniant Deo imperanti, & præcipienti Prophetæ; qui .n. ante loquitur est Deus v. 11. *Hæc enim ait Dominus ad me sicut in manu forti, dicens*; v. 12. *Ne dicatis coniuratio &c.* & versu 13. *Dominum exercituum ipsum sanctificate &c.* est ipsemet Deus loquens per Prophetam de seipso in tertia persona, vt sæpè solet Scriptura. Quare v. 16. *liga testimonium*; est ipsemet Deus præcipiens Isaiæ, quod ita faciat; Ideò ꝙ statim v. 17. loquatur Propheta, dicens; *Et expectabo Dominum, qui &c.* non est parenthesis, sed continuata oratio, siue sermo Prophetæ, & responsio ad prædicta verba; Duo prædixerat Deus; Primum, quod infidelibus Israelitis, & non credentibus Iudæis futurus erat lapis offen-

offenſionis, & petra ſcandali, hoc eſt illorũ ruina, & perditio; ad quod reſpondit Propheta, dicens; *Et expectabo Dominum, qui abſcondit*; ideſt, *&c*, quamuis ob maxima peccata Iacob Deus illi occultauerit faciem ſuam in captiuitate Aſſyriaca; Attamen cõfido in ſua benignitate, quod liberabit ciuitatem Ieruſalem, & tribum Iuda, & domum Dauid à rege Senacherib; ita R.S. & cæteri RR.

Deinde præceperat Deus prophetæ, vt oracula ſua ab infidelibus Iſraelitis deſpecta, & legem violatam traderet, conſignaret, imprimeret, & ſigillaret in diſcipulis ſuis; quos illi tunc, his verbis; *liga teſtimonium &c.* tradebat conuertendos, docendos, & inſtruendos tanquam ſuos filios, & Diſcipulos in lege ſua, & oraculis, in quorum exacta obſeruatione, & ardenti prædicatione euaderent iſti prophetæ diſcipuli, ſigna, monſtra, & prodigia in omni virtute, & ſanctitate coram infidelibus Iſraelitis ad illorum pænitentiã, & conuerſionẽ operandam; Ad ꝙ totũ promptè, & obedientiſſimè ſe, & ſuos pueros, hoc eſt, hos diſcipulos exhibet Iſa. dicẽs; *Ecce ego, et pueri, quos dedit mihi Dnũs* (ante diſcipulos Dei modò meos Diſcipulos; præcipiens mihi, *liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis) in ſigna, & portenta in Iſrael.*

Præterea peto à R. D. quando Iſaias dixit coram diſcipulis ſuis: *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus.* Vbi erant iſti natura filij ſui, certè filius propheteſſę nundum conceptus erat: ergò nũdùm illi datus à Deo, multò minùs neque præſens, neque vllibi; De filio vocato; *ſcear iaſciuu*; euidenter oſtendimus nullum eſſe filium naturalem; ſed illa phraſi ſignificari á Deo propheticè diſcipulos Iſaiæ ab eo ad legem Dei conuertendos, ergò neceſſariò colligitur Cont. R. D. & iudaizantes, quos Iſaias vocat pueros à Deo illi datos, non poſſe eſſe filios

ſuos

suos natura; sed discipulos, sed filios spiritu, & gratia; in quo errauit P. Sanctius, & alij, putantes duos filios Isaiæ; *scear iasciuu*; &, *festina spolium, accelera prædam*, esse istos, quos vocat pueros, & simul Deus discipulos suos, qui aderant, & comitabantur Isaiam; & cum quibus præsentibus loquebatur illis, dicens; *Et cùm dixerint ad vos; Quærite &c.* vt patet ex dictis, & dicendis.

CAPVT QVARTVM.

Respondetur quibusdam obiectionibus.

P. Sanctius num. 34. sic opponit veritati explicatæ: *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus; Hæc verba communiter interpretes cum D. Hieron. Prophetæ tribuunt; ita tamen vt in pueris Prophetas alios Isaiæ socios intelligant. Quæ sanè mihi paulò duriora visa sunt; quia illud loquêdi genus; Pueri quos dedit mihi Dominus; ex vsu Scripturæ sacræ filios designat; sic enim Iacob Genes. 33. 6. Paruuli sunt, quos donauit mihi Dnũs; Quare hæc de filijs Isaiæ potius accipio, vt etiam putat Forerius.* Hæc ille. Verùm hæc non officiunt, & nullius sunt momenti, vt possint facere recedere à veritate ostensa. Primò, quia nomen הילדים *hailadim, Pueri*; id non cogit, cùm sæpè sumatur, non pro filio generato, sed pro puero, iuuene, adolescête & ministro, vt in nostris obseruationibus videri potest. Secundò neque id efficit adiectiuum, *mei*, deficiens in heb. codice; & admisso, cùm denotet rei possessionem, hæc potest esse multiplex, vel generatione, vel adoptione, vel doctrina, vel conuersione, vel liberatione, vel ministerio. Tertiò, non est vsus Scripturæ vbique hoc loquêdi modo; *pueri quos donauit mihi Dominus*; denotare

filios per generationẽ naturalem datos à Deo; nisi aliud præcedat, vel sequatur; nam alio titulo possunt dici dati à Deo, putà per liberationẽ ab euidenti morte. 2. reg. 12. 22. Orans Dauid Deum pro filio suo ex Bersabee nato, cuius vita periclitabatur dicebat: *Quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans*; idest, quem mihi donauit puerum per generationem, mihi redonet per precem. Hinc in locis adductis à Sanctio illa phrasis non potest intelligi nisi de filijs per generationem naturalem à Deo datis; *paruuli sunt, quos donauit mihi Dominus seruo tuo*; nam v. 5. dicitur quod Esau; *leuatis oculis vidit mulieres, & paruulos earum*; & v. 6. *Et appropinquantes ancillæ & filij earum*; *Et accessit quoque Lia cum pueris suis*; ex quibus colligitur, per illos paruulos, non posse intelligi nisi filios naturales. Similiter Genes. cap. 49. 9. dicens Ioseph ad patrem; *filij mei sunt, quos donauit &c.* non possunt intelligi nisi naturales filij, cùm vocet eos filios suos, & Iacob iam v. 5. prædixerat; *Duo ergò filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, mei erunt*; At verò in casu nostro non ita res se habet; *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus*; non enim præcedit, siue sequitur in Scriptura; quod sint filij Isaiæ per generationem naturalem, veluti de *scear iasciuu*; & de filio prophetissæ satis superque demonstratum est; cùm ille nũquam fuerit, & iste nondum conceptus; vnde non potest dicere Propheta; *Ecce ego, & pueri mei*; tamquam realiter, & personaliter tunc ibi existentes, & præsentes; Neque dicere, *quos donauit mihi Dominus*; cùm nulli, & nihil essent in rerum natura; nam dicere; *quos donauit mihi Dominus*, supponit illos filios iam genitos, & natos, existere in rerũ natura; in quo decepti sunt auctores nostri sequẽtes RR. modernos, & præcipuè Sanctius, qui existimant hos duos

filios

filios, siue pueros Isaiæ tunc temporis, quando ista dicebat Propheta, iam natos fuisse, & viuos, & præsentes; & esse illos discipulos, quos Deus nominauerat suos, & de quibus v. 16. dixerat; *liga testimonium, signa legem in discipulis meis*, hoc est, *in nominibus duorũ filiorũ Isaiæ*; exponit Sanctius, & consequenter, dum subdit Isaias: *Et cùm dixerint ad vos*; isti sint discipuli Isaię per R. D., erunt etiam filij naturales Isaiæ, quę omnia vana, & falsa esse iam ostendimus.

Tandem sacer textus, & Isaias apertè se declarat quo titulo isti sint eius pueri, & dati illi à Deo; nam non dicit simpliciter; *Quos dedit mihi Dominus*; idest per generationẽ; sed ad differentiam insinuandam addit; *In signa, & portenta in Israel*; in plurali, vt est in fonte; Tunc Deus dedit Prophetæ hos pueros, quando illi præcepit; *liga testimonium, signa legem in discipulis meis*; idest quos præuideo à te conuertendos, & forè timentes me, qui tecum sunt, & ex ciuitate Ierusalem tecum exierunt obuiam regi Achaz, legem meam doce, oracula mea in illis imprime, vt coram Israelitis infidelibus, Idololatris, & magicis superstitionibus deditis sint signa, & portenta, tùm dono prophetiæ futura prædicendo; ideò doctos meos illos voco; tùm exactissima legis, & oraculorum meorum obseruatione, & prædicatione legem ipsam sustineant, defendant, & ad eam infideles conuertant; sic enim vocantur aliquando in Scriptura viri sancti, & iusti, diuinę legis zelantes, & Prophetæ, signa, & portenta, Zach. 3. 8. *Audi Iesu Sacerdos magne, tu, & amici tui, qui habitant corã te, quia viri portendentes sunt*, heb. אנשי מופת *ansche mophet*; Non discedo à RR. antiquis, qui docent teste R. D. hos viros portenti fuisse Ananiam, Misaelem, & Azariam; qui in Babylonia, quia fuerunt in sanctitate, & obseruan-

tia legis diuinæ prodigiosi, quia noluerunt adorare imaginem Nabuchd. proiecti in illa ardentissima fornace, fuerunt miraculum toti mundo, conseruans Deus illos illæsos in medio fornacis. Alia expositio R.D. *Socij tui scear Hachoanim; Reliqui sacerdotes digni sunt, vt faciã illis prodigium per manus ipsorum*; idest, qui sanctitate vitæ, & legis meæ obseruatione, & dictis, et factis mirabilibus sunt admirabiles super omnes, sunt illi, per quos ego operor signa, et portenta; Tales socij Iesu summi Sacerdotis fuerunt tunc temporis ferè omnes prophetæ, Aggæus, Zacharias, Malachias, Esdras, Neemias, Zerubabel, qui, et verbis, et oraculis, et factis fuerunt signa, et portenta transgressoribus Iudæis à captiuitate reuersis, in obseruatione Sabbathi, in repudio mulierum alienigenarum, in manumissione seruorum, et ancillarum, in restitutione Agrorum, vinearum, domorum, pecuniarũ, et vsurarum; Similes his viris portentosis vocat pueros, et discipulos suos Isaias, et seipsum; *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus*; tales opus erant, illis infidis temporibus Isaiæ, pueri, discipuli, & legis diuinæ studiosissimi, & prodigiosi obseruatores; quãdo in templo Dei, ablato diuino cultu, construxerat Idolis altaria impius Achaz, & gentilium ritus inuexerat; quando tota ciuitas, & terra Iuda plena erat superstitionibus, impietatibus, & dęmoniorum inuocationibus, et Idolorum cultibus; quando omnes ferè Israelitæ, et Iudæi legem diuinam, oracula Prophetarum despiciebant, negabant, reprobabant; Tunc, inquam, isti viri in sanctitate prodigiosi, necesse erat, vt testimonijs Prophetarum credentes, & legem Dei obseruantes, inducerent cœteros infideles, vt ad illam, in omnibus casibus, recurrerent, & non ad pythones; ad Deum, & non ad dęmonium; ad Prophetas

Dei,& non ad diuinos,& magos;ad pœnitentiam,& non ad idololatriam; nec alium sensum litteralem, quam istū requirūt cœtera huius capitis verba; vt intuenti patebit. Concludamus ergò, quos, Isaias vocat pueros illi à Deo datos,esse,qui ab illo ad pœnitentiam conuersi,& legem Dei docti, sui discipuli, & sicut filij ab eo dilecti;fuerunt signa,& portenta in Israel,conuertendo infideles ad pœnitentiam,stabiliendo factis, & oraculis diuinam legem. Sicq; probatum manet, quod est principale intentum in hoc tractatu; illam eminentissimā prophetissam nequaquam fuisse,nec potuisse esse vxorem Isaiæ; sed erat illa sacratissima, *hangalmah*, virgo; quam Spiritus sanctus, qui omnes Prophetas illuminauit, & fœcundauit eorum mentes diuinis mysterijs;sua infinita virtute obūbrando, & replendo, virgo concipere,& virgo parere debebat filium suum Emmanuelem, verum Deum, & hominem, regem Messiam,Iesum Nazarenum, saluatorem mundi. Ad cuius honorem, & gloriā hæc omnia composuimus, & dirigimus semper,omni æuo,& æternitate.

VERSVS DECIMVS OCTAVVS,& NONVS, & VIGESIMVS.

Et cùm dixerint ad vos: Quærite à phythonibus, & à diuinis, qui strident incantationibus suis. Nunquid non populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis,& ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta Verbum hoc: non erit eis matutina lux.

QVinam fuerint tunc illi, ad quos, veluti præsentes, loquitur Isaias; *Et cùm dixerint ad vos; Quærite &c.*

R.S.

R. S. antiquos sequutus, hos fuisse discipulos Prophetæ asserit, non negat R. D. Qui erunt dicentes; *Quærite a phythonibus*; Gentiles, populus ille Israeliticus, & Iuda idololatra; sensus est. Si populus iste iudaicus, superstitionibus, & negromantijs gentium deditus, in hac obsidione pressus, & angustiatus, hortabitur, & suadet vos, consulenda esse Idola, à phythonibus, & diuinis eorum petenda oracula, per artem magicam à mortuis sciscitanda esse responsa futurorum euentuum circa hoc bellum; an cōiurandum cōtra domum Dauid, & regi Phacee adhærendum; & non esse credendum verbis meis propheticis, quibus liberationem ciuitatis ab hac obsidione, & duorum istorum regum, & regnorum ipsorum proximam mortem, & excidium prænuncio, & certissimè promitto ex ore Dei; Si, inquam, ita dixerint ad vos discipulos meos, vos respondebitis, numquid non est Deus in Israel, à quo populus requirat responsa de futurorum euentu? *Ad legem magis, & ad testimoniū*; idest abijcite pythones, & diuinos; magis accedite ad legem Dei; ipsa enim docebit vos quid agendum, quid fugiendum; *Accedite ad testimonium*; ad Arcam Dei, & eius Propitiatorium; ad summum Sacerdotem, ad Prophetas, ab his audietis vera oracula, & euentus futuros huius belli, quos quæritis. *Quod si non dixerint iuxta verbum hoc*. Videlicet, si populus iste iudaicus se opposuerit vobis, & abiecerit quod doceo, atque perstiterit perfidè, non à Deo, sed à dæmonibus petendum esse oraculum, & responsū de euentu belli Syriaci; sciatis; *Quod non erit eis matutina lux*; idest veritas; sed in tenebris errorum, & falsorum oraculorum deget, siue, quod conuenit mirè verbis sequentibus; Nihil fœlix, nihil prosperum succedet illis; sed omnia tristia, infausta, & aduersa; sequitur enim;

Et transibit per eam; hoc est ista lux, prosperitas, fęlicitas omnis derelinquet iudęam; quæ propter Idola, quæ coluit, pythones, et magos, quos consuluit, occupata caligine infidelitatis, et peccatorum, exterminata fuit, et deuastata à Rege Nabuchdonosor, de quo versu sequenti.

P. Sanctius consequenter, ad suam expositionem diuersimodè prædicta exponit: qui non omninò placet. Dicit primo num. 38. *Iubet Deus, vt in discipulis, idest in filijs testimonium liget Isaias, idest obscurè proponat in nominib. illorum impositis à Deo, nempè in; Scear iasciuu; Et festina prædari; Et id facit Isaias cùm dicit; Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum; Quia in eorum nominibus, quasi in tabulis scripta lex erat, & testimonium de rerum futurarum euentibus, & ideò opportunè sequitur num. 39. Et cùm dixerint ad vos. Quærite à pythonibus vsq; ad testimonium. Quia futurum erat, vt in rerum angustijs homines impij Idola consulerent, et à pythonibus oracula peterent, expressa esse voluit, & quasi viua in viuis certè Isaiæ filijs consignata oracula rerum futurarum. Quare cùm eò venerint insaniæ, vt de pythonibus consulendis cogitauerint, iubet, vt mittantur ad legem & testimonium, quæ supradixerat ligata esse, atque signata in discipulis, hoc est in nominibus duorum filiorum Isaiæ. Nihil est enim, quod pertineat ad illorum temporum Historiam, siue de libertatis spe, siue de duorum Regum, regnorumque exitio, quod non contineatur, licet obscurè, in nominibus duorum filiorum Isaiæ.* Hæc doctus et eloquens vir, sed non placet, cùm primò sit à se diuersus; nam num. 29. *Liga testimonium, & signa legem in discipulis meis,* sic exponit: *Quæ paucis erant notata verbis in volumine magno, ad populum, eadem pluribus explicasse verbis; & iterum de Messia dixisse nō pauca illius nempe virtute pro-*

fligandos

dicere illis; *Quærite à pythonibus*. Si quæras quinam fuerint illi, qui dicturi erant Iudæis; *Quærite à phytonibus*; Respondebit forsitan, hos fuisse gentiles, infideles populi; sed per ipsum, isti esse nō possunt; cùm doceat; *Cùm eò venerint insaniæ, certè iudæi, vt de pythonibus consulēdis cogitauerint*; *Isaias iubet, vt illi, quibus præsentibus loquitur, mittant eos ad legem, & testimonium*, siue vt ipse exponit, *ad duo ista nomina filiorum suorum, in quibus expressa, et viua sunt in viuis filijs rerū futurarū oracula*; in quibus nominibus, & non in responsionibus dęmonū intuebuntur, quid futurum esset: certè isti non sunt gentiles, vt potè religione diuersi, nec possūt mitti ad legem, & testimonium, siue ad prædicta duo nomina prophetica cùm ista omnia infideles ignorent, & derideant: ergò isti erant iudæi apostatæ, & Idololatræ, qui comitabantur Regem Idololatram, & superstitionibus diabolicis deditum, & Isaias expertus iam illorum incredulitatem, nolētium credere verbis Dei deliberatione ciuitatis ab illa obsidione: & excidio illorum duorum Regum, & regnorum ipsorum: veritùs Propheta ne illos, quibus loquebatur, qui secum erant, qui erant discipuli sui, nonnulli infideles iudæi, impij, & politici homines, in despectum, & irrisionem prophetiæ: illos inquam discipulos suos, à se ad veram fidem conuersos, ne suaderent, vt à pythonibus, & diuinis sciscitarentur futuros euentus illius belli, & obsidionis; Ideò hortatur, & admonet illos, vt audacter respondeant apostatis iudæis, ad Deum esse recurrendum, non ad dæmones; ad legem, & testimonium, non ad diuinos, & negromantos; Qui certè est coherens, & germanus sensus ad totam prophetiam.

VERSVS VIGESIMVS PRIMVS, & SECVNDVS.

Et transibit per eam, corruet, & esuriet; & cùm esurierit irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum. Et ad terram intuebitur. Et ecce tribulatio, & tenebræ, dissolutio, & angustia, & caligo persequens; & non poterit auolare de angustia.

Obseruationes litterales.

HÆc scriptura est admodùm difficilis explicatu, tùm quò ad verba singula, quę patiuntur diuersam traductionem, tùm quò ad sensum, & præcisam intentionem Prophetæ. In hoc cōueniunt omnes DD. nostri, & heb. hic vaticinari aliquam extremam, & miserrimam calamitatem alicuius gentis, & terræ ingentem deuastationem, quæ priuata diuino, & humano auxilio, & oppressa miris, & varijs tribulationibus, & angustijs, veluti in teterrimo, & tenebroso carcere obsessa, ab eo nullum possit inuenire effugium. Explicabimus singulas dictiones, & varias illarum versiones,

Corruet; נקשה *nichscee*; est nomen passiuum, & est nominatiuus verbi, *transibit*, & traducitur; *induratus, percussus*; hoc est dura, & grauia passus; vide radicē קשה *chasciah*; *Et esuriet*; ורעב *Veranghēu*; est pariter nomen; *famelicus, esuriens*; cœtera sunt, vt traducit vulgatus; *Et tenebræ, dissolutio*; וחשכה מעוף *vachasccebah menghuph*; si radix sit עיף *nghiph*; potest esse participium, & legi; *tenebræ defatigatæ*; ab effectu, quia defatigant, dissoluūt, & lassum reddunt hominem, & sic vulgatus legit tamquam nomen, *dissolutio*; si radix est עוף *nghoph*, quæ volare denotat, po-

test

rest legi; *tenebra aduolans*; idest citò veniens; denotat etiã obtenebrare; hinc עֵיפָה *ngephah*; *tenebra, caligo*; & erit sensus; *Et tenebra obtenebrata*; heb. *Obscurissimæ tenebræ*.

Et angustia; צוּקָה *zuchah*; Nomen, molestia, afflictio, pressura; & præcipuè, quæ consistit in animi timore, & trepidatione. p. reg. 22. 2. *Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti*; כל איש מצוק *chol, isc, mazoch*.

Et caligo persequens; ואפלה *vaaphelah*; מנודח *menudach*; radix נדח *dachah*; *expellere, impellere*, est passiuum; *Et caligo impulsa, eiecta, dispersa*; quæ seipsam dispergit, & diffundit, vulgatus legit actiuè; *Caligo persequens expellens*, sensum respiciens, vt infra.

Et non poterit auolare de angustia sua; In fonte כי לא מועף *chi Quoniam lo mungh aph*; si radix est *ngoph*, *Auolare*; & est participium passiuum, legitur, *Quoniam non est volatus ei*; sensus idẽ; *Et non poterit auolare illi*; si radix est, *ngahiph*; *defatigare, lassum reddere*; sensus est; Quoniam non defatigatio ei, non lassitudo ei; *De angustia sua*; In fonte מוצק לה *muzach lah*; radix est צוק *zoch*; *Opprimere, affligere cruciare, obsidione arctare*; hinc מצוק *mazoch, zucchah, mezucchah*; *Oppressio, obsidio*; & ita legitur, sensus; *Quoniam non est ei volatus, cui obsessio, & pressura*; siue alio modo; *Quoniam nõ est ei lassitudo, cui angustia*; & vt notat doctè Marinus Brixianus Canon. Regularis S. Saluatoris in sua Arca Noe fol. 396. col. 2. est hebraismus; pro nõ omninò defatigabitur, cuius sensum statim explicabimus. Et quia vocabulum, *muzacchalah*; *Angustia ei*; prouenit à יצק *iazach*; quod est eiusdem significati, ac צוק *zoch*; permutata significatione ordinum, grammaticis loquor; significans effundere, & diffundere; hinc legit doctissimus Forerius; *Effusa est ei*; hoc sensu: Caligo, quæ superfusa est ei terræ, non fiet vt auolet, idest non effugabitur, non

euanescet (idem prorsus, non defatigabitur, nõ deficiet) sed perdurabit, & perpetua erit; Adhuc enim durat, & in tenebris degunt tàm corporalibus, quàm spiritualibus; *velamen namque super cor eorum positum est, & viuunt absque regno, rege, & sacerdote &c.* Hic locus insignis, & valdè perspicuus est aduersus Iudæos, quem eorum magistri, vt cæci, & veritatis hostes, ita detorquent, & adeò obscurant; vt quid sentiant, neque qui eos sequuntur ex nostris, vix diligens lector possit percipere. Hæc ille. Qui isdem auctor v. 20. in fine sic scribit; *Hæc autem, & quæ sequuntur* (quæ sunt quæ tractamus; *Et transilit per eam*) *explicant statum illum rerum in Iudæa, quando scilicet impegerant Iudæi in lapidem Christum; tunc enim ablata est illis lux, & quo se verterent, nesciebant; tũc scripturas habentes, ac si non haberent, cœperũt veritatẽ aliundè q̃rere. Itaq; q̃rere à pythonibus figuratè dictũ arbitror; vt supra significarit Propheta, quam destituendi vera scientia esset, & Scripturarum intelligentia post offensionem illam; simulque insinuaret angustiam animorum in vltima illa vastatione Iudææ; quam sequentibus verbis satis apertè describere Propheta videbitur; modò non consulat hoc loco, aut similibus, eos, qui luce destituti sunt, & somnia sectantur, nempè Rabbinos.* Hæc illemet sapientissimè; quę omnia verissima esse ad complementum huius subiecti virginei partus; & quia cùm Rabb. in arenam descendi, pro defensione veritatis, & illorum cæcitate euellenda, omni conatu curabo ostendere; Afferam quidquid, & ab antiquis, & modernis RR. affertur in expositione prædictæ Scripturæ, vt ex eorum ore, & mente veritas, quam insimulant, eluceat magis, & confundantur, & ad eam conuertantur.

CA-

CAPVT PRIMVM.

Afferuntur antiquorum, & recentiorum RR. expositiones, paraphrases, & glossæ, expenduntur singula, & corriguntur vbi opus est.

ANte omnes præcedere debet R. Ionath. Caldæus interpres, vtpotè omnibus antiquior, & auctoritate, & sanctitate vnicus inter illos; sic enim vertit; *Et transibit scandalum, ruina per terram, & erit tribulatio, & fames; Et erit quando videbit* (putà indigena illius terræ) *famē, & tribulationem; & maledicet, & spernet nomen imaginū illius, & Idolorum eius. Et aspiciet sursum quærere redemptionem, postquam obsignatum est decretum, & nō poterit. Et auxilium ab habitatoribus terræ quæret; Quia venit super eum tribulatio, fames, & tenebræ, angustia. Vociferabitur, siue gemet, dispersus. Quoniam non cessabunt, non quiescent, non sentient laborem, & affectionem omnes venientes ad obsidendum, & angustiandum illos.* Quid clariùs? Hæc si miseri, & cæci RR. paululum considerarent, illorum nugas, & somnia, quæ afferunt, cognoscerent; sed nolunt hanc lucem veritatis aspicere.

Thalmudistę in tractatu Sanehedrin, senatores, cap. 11. fol. 221. colum. 4. explicantes illum versum 7. huius capitis; *Propter hoc adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum, & ascendet super omnes riuos eius &c. & ibit per Iudam, inundans, & transiens, vsque ad collum veniet;* De rege Senacherib, quando sub Ezechia rege, cœpit omnes ciuitates munitas regni Iuda, & peruenit; *vsque ad collum;* idest vsque ad ciuitatem Ierusalem, quam obsedit; de qua obsidione exponūt vltima verba huius capituli; לא מועף לאשר מוצק לה; *lo mun-*

gaot

gaph laascer muzach leh; quæ vulgatus legit; *Et non poterit auolare de angustia sua*; ipsi legunt; *Quoniam non defatigatio illi, angustia ei*; sic exponunt: *Non est traditus populus defatigatus in lege in manu illius, qui est angustiator illius*; *quæ ghemara sic exponitur in sua glossa à R. S. Venit Propheta, & dixit ei* (idest ad Ezechiam) *Quando veniet (idest Senacherib) vsque ad Ierusalem; non tradetur, siue traditus fuit ipsemet Ezechias, qui est defatigatus in lege, in manu Senacherib, qui* הַמֵּצִיק לוֹ *hamazich lo; ipsum obsidione angit*. Itaque volunt, Prophetam verbis prædictis describere dessolationem, quam intulit Senacherib cum suo magno exercitu, terræ, & regno Iuda, obsidione affligans Ierusalem, & regem Ezechiam, quæ describitur 4. reg. 18. 13. & 2. par. 32. 1. Verùm quam inscitè hoc dicant satis apertè eos conuincit Isaias, qui suis verbis vaticinatur statum miserabilissimũ terræ Iudæ, omnis languoris, infœlicitatis, & desperationis plenum; in quo neq; à cęlo, neq; à terra, neq; à Deo, neq; ab hominibus sperari possit aliquod refugium, ne dicam effugium; in quo statu maximis calamitatibus oppressus Iudæus famelicus, dura passus, irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo; Quæ mala non fuerunt in prædicta obsidione, vt constat ex scripturis allegatis, & ex dicendis colligetur.

R. S. *Et transibit per eam*; Reuersio ad superius, quod dixerat in principio argumenti; *Et erudiuit me, ne irẽ in viã populi eius*; Et expositio. Quod ista via est; *Ne dicatis coniuratio*; coniurationi decem tribuum; quia coniurauerunt cum Regibus Ægypti. Et exponit punitioné eius; *Et erit in sanctificationem*; legit in *vltionem, siue vindictam, & cadent in eis*; & totum factum fuit; *Et transibit per eam*; Transiens per eã viam; derelinquentes D. S. B.,

& adhærentes regibus Ægypti; *Induratus*; ab euentu duro; *Induratus, & famelicus*; Afflictus angustijs arduis; *Et famelicus*; nam induratus, intricatus; & afflictio, & pressura; *famelicus*; Et fames veniet super eos in diebus obsidionis trium annorum; quibus obsidebit rex Salmanasar; *Et erit cùm esurierit, irascetur, & maledicet regi suo.* Vitulis eorum, & Baalim, quia seruierunt illis; *Et respiciet sursum*; quærens à D.S.B., & non audiet; quoniam obsignatum est decretum iuditij; *Et ad terram aspiciet*; si forsitan inueniat adiutorium; quia misit nuncios Osee ben Elah ad Soa regem Ægypti; *Et ecce tribulatio*; Quoniam non adiuuabit eam; Et etiam Sobnah; exiuit Senacherib ad perditionem eius; מעוף צוקה *menghuph zuchah*; *dissolutio, pressura*; idest, defatigatio, pressura; *Et tenebræ, caligo impulsa*; idest medio caliginis est impulsio; & est sensus sicut illud Hier. 23. 12. *Idcircò via eorum quasi lubricum in tenebris compellentur enim; Iddachu; & corruēt in ea*; & ad caliginē ipsi propulsi sunt: *Quoniam non defatigatio ei, pressura ei. Nam rex Assur qui dat pressuram ei* (idest terræ Israel decem tribuum) *non ipse defatigabitur, non erit negligens, vt veniat contra vos tribus uicibus*. Hæc ille. Qui subnectit illas tres ab ipso imaginatas transmigrationes decem tribuum à nobis supra confutatas, & confutandas initio tractatus tertij. Euidenter discedit R. S. ab intentione, & sensu prophetiæ, & somnia, & falsa machinatur. Nam dato, quod est falsum, quòd *& transibit per eam*; ly, *per eam*; referatur ad illud; *ne dicatis coniuratio*; falsum est, vatem loqui de coniuratione decem tribuum, quando Osee rex Israel coniurauit cum Soa regem Ægypti deficiendo à rege Salmanasar, quæ coniuratio euenit anno duodecimo re-

gis

gis Achaz, & nono prædicti Osee post præsentem prophetiam. Siquidem vates in hoc capite non loquitur de decem tribubus Israel; sed cum tribu, & populo Iuda, qui magna ex parte se rebellauerat à domo, & regno Dauid, & adhæserat partibus regis Syriæ, & regis Ephraim; ita v. 6. *pro eo, quod abiecit populus iste* (certè populus Iuda, cui loquebatur) *aquas Siloe* (idest regnum Dauid) *&c. assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ*; idest, vt exponit ipsemet R. S. quia voluerunt facere reuerti regnum domus Dauid in diebus Achaz ad Phechach filium Romeliæ; sequitur sacer textus; *Et propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes.* Equidem super populum Iuda, quando tempore Ezechiæ venit Senacherib, cùm subdat; *Et ibit per Iudam.* Quare, quod sequitur v. 11. *Sicut in manu forti erudiuit me ne irem in via populi huius dicens; Non dicatis coniuratio;* hæc via, nempè coniuratio, & ne populi huius, idest Iudaici, corã quo loquebatur Isaias; qui populus timore perculsus agebat de defectione à domo Dauid, & deditione ad domum Ephraim; & ideò Deus minatur in punitionem tãti sceleris, illis, qui à domo Dauid defecerint, ruinã, & excidium; illis, qui in fide perstiterint asylum, & tutamen; *Et erit vobis in sanctificationem &c.* Præterea vnde probat R. S. decem tribus coniurasse cum rege Ægypti, scriptura illam tribuit soli regi Osee, non populo; sicuti hoc loco eam tribuit apertè populo Iudæ. Ex quibus colligitur describi, & vaticinari à Propheta prędictis verbis; *Et transibit per eam*; terræ, & populi Iuda desolationẽ, excidium, & ruinam vltimam, & extremam, & captiuitatem illorum miserrimam inter omnes alias captiuitates, vt infra ostendetur.

R. D. *Et transiens per eam*; Expositio, per terram; nam dixerat

xerat superius: *In monte Syon*; Vult dicere ille qui transibit per eam induratus, & famelicus erit; nam non inueniet in terra quid comedat; & expositio; נקשה *Nichsce: induratus*: est hæc: קשה יומו *Chasce iomo*; *Durus dies eius*; sicuti Iob. 30. 25. *Nisi flebã super colichsce iom* (vulg. legit, *qui afflictus erat*;) *cuius dura vita eius*, siue, *qui dura, & grauia patitur: Et erit cũ esurierit*; sicuti nesciet quid faciet, & nesciet consulere animæ suæ; nam famescet, & ira excandescet, *& maledicet Regi suo*: quoniam non habet vim saluandi eum, siquidem famescet propter bellũ inimicorum: *& Deos suos*; & Idola, quæ adorauit; *& suspiciet sursum, & ad terram intuebitur*; sensus est, vt exponit Caldæus supra; *Et ecce tribulatio, & tenebræ*; sicut; *Angustia, & caligo*; & est expositio; Volans tenebra; sicut illud ps. 143. *Anima mea sicut terra sine aqua*; heb. עיפה *ngaiephah*; sitiens, obscura, deformis, defatigata, lassa; sicut illud; *& ad caliginem*; sensus est, videbit ipsemet propulsationem ad tenebras, & ad caliginem; & Ionath. exponit; *Propulsatio ibi*; ac si diceret; & caligo; *Vdechi*; & impulsio, lapsus, eiectio; *Quoniam non lassitudo ei, angustia ei*; Non cogitauit Israel ipsemet tenebras, & tribulationem, & angustiam, quæ venit terræ in principio, quando scilicet transmigrarunt Zabulon, & Nephthali; Et expositio, *mungaph*; eius significatum est, *tenebra*; sicut *terra sitiens obscura*; &, *muzach*; eius significatum est, *zuchah*; Angustia, obsidio, pressura; *ei*, exponitur, *terræ*. Hæc ille. Qui sæpè inconstans, sibi contradicit; si Propheta per ly; *transiens per eam*; idest terram, intelligit terram Iuda; nam textus quem adducit, qui est v. 18. *A Domino exercituum, qui habitat in monte Syon*: hoc probat; nam mons Syon est in terra Iuda proximus Ierusalem, & accipitur pro templo, in quo habitabat Deus;

& consequenter hæc omnia infortunia, miserias, & calamitates sub methaphoris tenebrarum caliginis, expulsionis prædicit Isaias, nonnisi de terra, & populo Iuda illa vaticinatur; cur deinde exponit, & applicat terræ Ephraim, siue tribuũ Israel sequens somnium R.S. de excidio regni Israelitici, & captiuitate decem tribuum in Assyriam; cùm hoc capite Propheta numquam loquatur de illis, sed solũ de terra, & populo Iudæ? nisi quia velamen illorum perfidiæ positum est super cor eorum, & nolunt intendere apertissimæ veritati, sed semper falsa sectantur.

CAPVT SECVNDVM.

Declaratur, & exponitur germanus sensus prædictæ prophetiæ.

NOt. primò Prophetas frequenter vti verbis parabolicis in describendo varijs fortunæ casibus, ita pro aduersa, & misera fortuna, & maxima calamitate indicanda adhibere nomina noctis, tenebrarũ, & caliginis, sicut è contra, pro fœlici, & læta fortuna, & optabili rerum euentu, diei, solis, & lucis nominibus vtuntur, Iob. 17.12. *post tenebras spero lucem:* Thren. 3. *me adduxit in tenebras, & non in lucem*; de captiuitate Babylonica Isa. 30. 26. *Et erit lux lunæ sicut lux solis*; iudæis liberatis à Senacherib, siue redeũtibus à captiuitate Babylonica summa erit lux, idest lætitia, prosperitas, &c. Amos 5. 18. *Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, & nõ lux: Caligo, & nõ splendor in ea:* idest dies, siue Assyriacæ, siue Babylonicæ captiuitatis omnium tribuum, futura erat sine luce; tota tenebrosa, hoc est ærumnosa, luctuosa, in qua priuandi erant regno, templo

templo, patria, diuitijs, rege, & libertate; & ducendi in terrã tenebrosã, plenã caligine, & vmbra mortis; hoc est plenam tristitia, mærore, afflictione, fame, & omni calamitate: pariter Sophoniæ 2. 15. sub ijsdem tropis describitur excidium idemmet ciuitatis Ierusalem, & captiuitatis Babilonicæ per Caldæos: *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, et miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis*; quæ omnes metaphoræ, cùm obseruētur ab Isaia in textu nostro, apertè ostendunt futuram aliquam calamitosam captiuitatem, & confitentur R.S. & R.D. in suis glossis, sed non rectè, de captiuitate miserrima, & perpetua decem tribuum in Assyriam.

Not. secundò, & aduertendum circa variam lectionem extremi versus: *Et non poterit auolare de angustia sua*; quæ ostendit hanc, quam vaticinatur Isaias, captiuitatē, forè interminabilem, perpetuam, & saltem longissimam, & multorum millium annorum; quòd tenentur concedere inuiti RR. citati de captiuitate Assyriaca, de qua hic loqui Prophetam volunt; Aduertendum, inquam est, vt in obseruationibus vidimus, verbi, *auolare, mungbaph*; duplicem esse radicem, & lectionē; prima est, *ngoph*; *volare*; hinc participium pasiuū, & nomen, *mungaph*; *volatus*; & sic optimè traduxit vulgatus; *Quoniam non poterit auolare*, siue, *Non volatus ei*; Secunda est, *ngaiph*; *defatigare*; hinc nomen, *mungaph*; *defatigatio*; & hunc sensum respexit Cald. *Quoniam non defatigatio eis*; siue, *non laborabunt*; similiter R.S. legit, & R.D. Porrò verbum, *de angustia sua*; siue, vt in heb. *Angustia ei*; omnes eodem sensu traducunt Cald. *Ad angustiandum illos*; Thalmud. *Angustiator illius*; R.S. & R.D. *Angustia, pressura ei*; Quocūque modo legatur, semper prædicitur à Propheta

 lon-

nullum tempus determinatum præscribitur de liberatione ab ea; sicut datur, & promittitur à Deo de prima captiuitate, dũ dicit Leuit. 26.42. *Et recordabor fœderis mei quod pepigi; Terræ quoque memor ero*; De ista in secundo templo nulla omninò spes eius finis datur; sed tota spes dependet à sola pœnitentia, ita Deus cap. 30. v. 1. *Cùm ergò venerint super te omnes sermones isti, & ductus pœnitudine cordis tui in vniuersis gentibus &c. & reuersus fueris ad eum &c. in toto corde tuo &c.*, sed decem tribus iam tribus mille annis transactis, & tribus Iuda iã mille & quingentis annis versantur in totali dispersione, miseria, & calamitate, & quamcumq; pœnitentiam egerint, vel agant, hactenùs tamen tam longo tempore non videmus reduci eos ad terram Israel, de quo argumento alibi in proprio tractatu.

Ex quibus prænotatis euidenter colligimus, vaticinium loqui de captiuitate, non decem tribuum in Assyriam; sed de captiuitate tribus Iuda; non Babylonica ex qua auolarunt, & ad terram, & ciuitatem Ierusalem redierunt liberi, & domini; quamuis Isaias etiam istam includat suo modo, vt notat Lyra, & cum eo alij; sed de Romana, quando domus secunda, & ciuitas Ierusalem incendio consumata in cinerem redacta fuit, & tota gens iudaica per orbem vniuersum dispersa, quæ captiuitas perdurauit mille, & quingentis annis; neque ab ea vnquam effugere poterunt, nisi in fine mundi. In hac captiuitate Romana adimpletæ fuerunt, & semper adimplentur omnes prædictæ maledictiones, vt experientia testatur vbique terrarum; In hac, iudaica gens vehementer fuit, & tunc, & nunc afflictata est fame, paupertate, & ærumnis. In hac opprimuntur caligine, & tenebris ignorantiæ viri Dei, & legis, & Prophetarum, juxtà illud Deuter. 28. 28.

Per-

Percutiat te Deus amentia, & cæcitate, ac furore mentis; & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. In hac esurie, & fame cōcitati, & irati maledicunt Regi suo, hoc est, Romano imperio; in hoc enim multa maledicta congerunt Iudæi; immò Deum suum blasphemant, quem faciunt huius vltimæ suæ calamitatis auctorem; & qui populum suum in tot mala coniecerit. In hac, miseri, & miserabiles, siue aspiciant sursum, siue deorsum, semper omnibus suffragijs, & diuinis, & humanis destituti reperiuntur, & pro fauore & suffragio, illis noua succedit vehemens tribulatio, & pressura intollerabilis, priuati omni spe remedij, euadēdi; Ab hac enim numquam auolare, & liberari poterūt obstricti tenacissime incredulitatis vinculis; non credentes, immò abnegantes Iesum Nazarenum esse verū Regem Messiam, & Emmanuelem Deum, & hominem simul, quod est peccatum infidelitatis illorum; & causa huius interminabilis captiuitatis, veluti prædixit illis noster Isaias cap. 7. v. אם לא תאמינו כי לא תאמנו. *im lo thaaminu thi lo theamenu; Si non credideritis non permanebitis;* à qua nunquā liberabuntur, donec resipiscant, & eos pœniteat peccati sui; et confiteantur Iesum Nazarenum, quem crucifixerūt, esse eorum verum regem Messiam, Emmanuelem, Deum, et hominem, conceptum, et natum ex Virgine Prophetissa, idest Spiritu sancto plena, et fęcunda, vt testatus est ipse diuinus Spiritus sanctus in pręsenti vaticinio Isaiæ; ואקרב אל הנביאה ותהר ותלד בן *vacharau el hannauiah vataher vathelad ben; Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium;* Ad cuius Prophetissæ Virginitatis, Fœcunditatis, et Maternitatis Dei honorē, gloriam, et defensionem, hos labores deuoto affectu pro nostra virili suscepimus, et consecramus.

SE-

SECVNDA PARS

Huius Secundi Tractatus.

In qua agitur de sensu allegorico; sed primariò, & principaliter intento à Spiritu sancto, nempè de Rege Messia, & salute æterna ab eo operanda, incluso in illis mysticis nominibus, & Isaiæ verbis: *Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera spolia detrahere, festina prædari; Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum.*

QVòd historica, & litteralis Regum Damasci, & Samariæ, & regnorum illorum totalis ruina, & euersio facta ab Emmanuele filio Prophetissæ, quà Deus, ministerio regis Assyriorum; antequàm nasceretur, quà homo; Et illa temporalis liberatio ciuitatis Ierusalem, & Regiæ domus Dauid, à coniuratione, & obsidione illorum duorum Regum fuerit veluti præludium, & typus, & præfigurauerit aliam euersionem longè nobiliorem, & præstantiorem, vtpotè spiritualem, nempè diaboli, & regni eius, & æternam liberationem animarum ab illius tyrannica seruitute, & perpetua damnatione; Atque hanc maximam, & admirabilem salutem adimplendam fore à puero nato ex Virgine prophetissa, vt Emmanuel; idest quà homo, & Deus simul; Verbum caro factum; Omnes antiqui Patres, Doctores, & Expositores nostri, aliqua ratione, omninò recognoscunt, confitentur, & elegantissimè explicāt, vt infrà breuiter constabit. Tota difficultas est, & multū ardua,

rationibus, auctoritate, & scripturis ostendere.

Primo prædicta nomina, & effectus per illa significatos solius Regis Messiæ esse propria, & illi soli, vti causæ efficienti, conuenire posse.

Deinde, secundùm præcipuum sensum, & scopum prophetiæ, verè, & realiter, omnia prædicta adimplẽda esse per Regem Messiam, non temporaliter; sed spiritualiter.

Postremò talem festinum acceleratorem, & deprędatorem fortitudinis, & spoliorum diaboli fuisse Regem Messiam Iesum Nazarenum Virginis filium, & æterni Patris vnigenitum. Quæ tria fidei Catholicæ dogmata, in hac Secunda Parte huius secundi Tractatus Virginei partus, suffultus Virginis Deiparæ lumine, & ope contra Iudæorũ iuniorum cæcam prauitatem disputabo, declarabo, & demonstrabo; diuidens hanc Secundam Partem in tria capita.

CAPVT PRIMVM.

Hæc quatuor nomina מהר שלל חש בז Maher, Scialal, Casc, Baz; Accelera spolium, festina prædam: *soli Regi Messiæ, propriè, & essentialiter conuenire veluti operatori, siue causæ efficienti: ostenditur.*

Sectio prima.

NOtauimus supra, grammaticaliter ista quatuor nomina coniungenda esse bina, & bina; vt putà; *Accelera spolium, festina prædam*; Atque esse synonima, & duplicata, quæ figura redupplicationis vocatur ab hæbreis כפל ענין במלות שונות *chephel ngijan bemilloth scionoth; reduplicatio significati duabus dictionibus*; frequentissimus he-

hebraiſmus, quo denotatur gradus ſuperlatiuus, & ſupremus in illo genere; itaque in re noſtra huius nominis redupplicatio denotabit maximam firmitatem, celeritatem, & potentiam huius pueri ſpoliatoris, & deprędatoris; denotabit, inquam, maximam aliquam, & non vulgarem victoriam, inimicorumq; potentiſſimorum debellationem, deſpoliationem, & triumphum inſigne, & inſolitum; præterea ſup. v. 4. oſtendimus illa verba; *Quia antequam ſciat puer &c. auferetur fortitudo Damaſci*; propriè conuenire puero Prophetiſſæ, tamquam agenti, prout legitur in fonte, à Caldæo, à Septuaginta, & SS. Patribus; *Auferet, capiet, diripiet ipſe puer &c.* quæ veritas euidenter comprobatur ex nomine ipſo à Deo impoſito puero; Nam hoc nomen in principio capitis præcepit Deus Prophetæ, vt ſcriberet illud in magno volumine, abſolutè, & abſque reſpectu ad puerum, qui poſtea vocatus fuit à Deo, per Prophetam, tali nomine; & ideò ſcribitur in tempore infinitiuo, indeterminato למהר שלל חש בז *maher ſcialal caſc baz*; *Accelerare ſpoliũ, feſtinare prædam*; ſiue, *ad accelerandum ſpolium, feſtinandum prædam*; nam, vt ſuo loco docuimus, littera ל *lamed*, eſt vna ex litteris, בכלם *Bichlam*, quæ inſeruiunt infinitiuo; At verò quando Deus imponit idem nomen puero prophetiſſæ, per Iſaiam; *Voca nomen eius*; diuerſo modo profert eadem nomina; nam relinquendo litteram ל *lamed*, præfixam verbo מהר *maher*, quæ conſtituebat in infinitiuum tempus, remanet verbum, *maher*, in tempore imperatiuo, *feſtina, accelera*; vt exẽplo docent Gen. 19. 22. מהר המלט שמה *maher himmalet ſciamma, feſtina, ſaluare ibi*; & ſic Deus loquitur ipſi puero veluti perſonæ ſecundæ, illi iubendo, & imperando tamquam operatori, vt ipſemet adimpleat, & exequatur illud, quod includit no-

men suum proprium à Deo illi impositum, festinando spolium,& accelerando prædam, illam ab hostium manibus auferendo,& diripiendo; & quod ita sit, comprobant verba sequentia, in quibus Deus huic puero tamquam principali agenti tribuit ablationem fortitudinis Damasci, & spoliorum Samariæ; *Quia antequam sciat puer &c. auferet fortitudinem &c.* Nec obest, quòd in nominis impositione loquatur Deus puero tamquam personæ secundæ, illi pręcipiendo, *festina spolium*; & statim de eodem puero loquatur in tertia persona, *Auferet &c.* Nam est frequens hæc figura,& transitus à persona secunda, ad eandem in tertia persona, Gen. 49. *Ad prædam ascendisti fili mi. Incuruauit, accubuit vt leo*; ita in heb. שכב רבץ *sciachau rauatz*; pro *Incuruasti, accubuisti &c.* Abdias p. *ponent insidias subter te, non est prudentia in eo*; pro, *in te*. Ita Deus imperans puero prophetissæ hoc nomine,& loquens ei vti secundæ personæ; *Accelera spolium, festina prædam*; quamuis immediatè loquens de eodem puero, dicat in tertia persona; *Quoniā antequam sciat puer &c. auferet fortitudinem Damasci*; erit tamen sensus; *antequam scias puer &c. auferes fortitudinem Damasci*; Et concesso aliquibus hebraizantibus; præcipuè Marco Marino in sua Archa Noe, has quatuor dictiones esse nomina imposita puero in tertia persona; *Voca nomen eius, Accelerās spolio festinus præda*; est tamen isdem sensus, quod tale nomen non sit verbalis,& extrinseca denominatio; sed intrinseca,& essentialis proprietas, & actio exercenda ab eodem puero, cùm subdatur; *Quia antequam sciat puer &c. auferet &c.* vt docuimus suo locò; quibus hæc addenda sunt; in fonte heb. syntaxis grammaticalis adeò clarè est actiua; huius nempè versus: ישא את חיל דמשק *Issa eth chel damesech*; *Auferet*

feret fortitudinem Damasci &c. vt in suo פשוטו *pesciuto*, vt, loquũtur hebręi, sensu litterali principali, nõ admittat constructionem passiuam; *Auferetur*; cùm habeat suum nominatiuum agentem, qui est puer; & accusatiuum patientem cum nota, & particula את *eth*, quę indicat accusatiuum patientem, qui est אתחל *eth chel*; *fortitudinem Damasci*: & quamuis aliquandò particula את *eth*, designet nominatiuum, hoc erit semper post verba passiua; & nominatiuum rei patientis, Gen. 12. 5. לא יקרא עוד את שמך *lecchare ngod eth scimcha Abram*; *Non vocabitur amplius nomen tuum Abram*; quod non est in textu nostro; vbi verbum, *Issa, auferet*, est actiuum; Tamen quia hæc prophetia, & verbum actiuũ, *Issa, auferet*; includit simul significationem passiuam, respectu illius ablatiui, vt annotauimus suo loco; *coram rege Assyriorum*; hoc est à præsentia, à persona regis Assyriorum; ideò, inquam, particula את *eth*, denotabit vocem sequentem חל *chel*, esse nominatiuum patientem; Et sic optimè traducit vulgatus; *Auferetur fortitudo Damasci &c.*, qui tamen est sensus litteralis secundarius, posterior, et à primo dependens. Ex quibus colligimus cùm hæc filio Isaiæ minimè conuenire possint, restat, vt soli regi Messiæ conueniant, qui est iste puer filius prophetissæ, et Emmanuel filius *bangalmah*. Hæc diximus contra modernos heb. quos lector his grammaticalibus obseruationibus facili, et efficaci argumento conuincere poteris; nam antiqui hanc prophetiam totam de rege Messia intelligebant; Siquidem in primitiua Ecclesia Iudæi illorum temporum obijciebant Christianis Iesum Christum Nazarenum non fuisse Messiam; quia ab infantia non abstulerit fortitudinem Damasci, et spolia Samariæ; nam ideò vocatus fuit à Deo מהר שלל חשבז *maher scialal case baz*; *Citer spoliator, festi-*

nus prædator. Et hunc non forè alium, quàm regẽ Messiam; siquidem, *Quis vnquam genitus rex ex hebræis, antequam patrem & matrem vocare possit, regnauit, pugnauit, & victor existens, acceperit spolia Samariæ, & inimicorum? Dauid triginta annorum, Salomon adultus, Ioas septem annorum, Iosias septem annorum regna assumpserunt; & in hac ætate potuerint vocari prædictis nominibus, bellum agere, & de deuictis inimicis triumphare. Quis est ergò iste, qui antequam ferè nascatur, regnat, & spolia hostium diripit; Quis rex Israel fuerit huiusmodi dicant Iudæi*; ità disertè S. Athanas. lib. de Incarnatione. Hoc certè est admirabile signum, et admirandum prodigium. non vtique quod infans manducet butyrum, et mel; hoc enim infantis est. Sed quod infans, nondùm natus accepturus sit fortitudinem Damasci, et spolia Samariæ. Antiqui Iudęorum hunc confitebantur fore regem Messiam; Ita inuenio apud Tertull. qui vixit in secundo sæculo, siue centesimo Virginei partus; hic lib. illo admirabili aduer. Iudæos, cap. 9. dicit; *Nam Iudæi contendunt Iesum non fuisse Messiam: nam infans non abstulit spolia Samariæ &c.* Item Euseb. lib. 7. de Demonst. Euang. Demonst. 2. qui vixit tempore Constantini Magni, sæculo tertio à Christi Natiuitate, testatur, Iudęos sui temporis, asserere hanc prophetiam ad litteram debere intelligi, & ad verbum, de rege Messia venturo, quem tunc expectabant, & adhùc futurum expectant, ita scribens: *Quòd si etiam nunc Iudæi hæc alio quodam tempore futura esse dicant, vt porè eum, & ex scripto dumtaxat, atque ad verbum, de eo, qui ab ipsis adhùc expectatur, Christo, accipere soleant; interrogandi sunt protinus, quomodo, qui venturus est, vt ipsi aiunt, potestatem Damasci, & spolia Samariæ accipiet coràm rege Assyriorum &c.* Et equidem

ita sensisse RR. antiquos,& ante Christum,& post Christum, paulò post destructionem templi secundi, demonstraui sup. v.2. *Et adhibui mihi testes fideles &c.* Tùm ex auctoritate irrefragabili Caldæi Ionathę, qui multis annis pręcessit Christum; Tùm maximi illius R. Achiua,& aliorum præcipuorum RR. qui fuerunt paulò post destructionem templi secundi per Titum. Et ideò optimè aduertit Thoringius hoc capite; prophetiam huius capitis octaui multò efficaciùs conuincere hebręos ad confitendum partum Virginis;*Et accessi ad prophetissam,& concepit,& peperit filium:* quàm faciat prophetia cap.7. *Ecce virgo concipiet,& pariet filium*; Ratio est,quia trãslatio Caldaica,& auctoritas illorum RR. Thalmudist., cui innititur hæc veritas, est apud illos maximæ, & irrefragabilis veritatis; & hæc,hoc cap.8. ostendit hic loqui de rege Mesia,de partu,& conceptu Virginis per accessum Spiritus sancti ad ipsam העלמה *hangalmah* virginẽ, quæ ideò vocatur הנביאה *hanneuiah prophetissa*; quia Spiritu sancto plena,& fœcunda; Quæ auctoritas non reperitur in cap. septimo. Ad faciendum enim fidem infidelibus opus est eorum inniti fundamentis; quæ negare nõ consueuerunt. Porrò suprà probauimus ex doctrina RR. prædictum nomen pueri; *Accelera spolium, festina prædam*; nõ solùm portendere celerem deprædationem Damasci,& Samariæ, illorum duorum regum, & regnorum internetionem, & totalem desitionem, & annihilationem;sed vlterius,denotare primę domus Salomonicę, & ciuitatis Ierusalem excidium per regem Nabuchdon. prædictam ab Vria sacerdote, iuxtà illud; *Et adducam mihi testes fideles Vriam sacerdotem* ergò includit etiam prophetiam Zachariæ,cùm subdat;*Et Zachariam filiũ Barachiæ*;sed prophetia Zachariæ est de omni consolatione,

tione, hoc est de rege Messia; ergò hic puer erit rex Messias; hæc nomina eius propria; hæc deprædatio spoliorũ; illius munus, & ars. Minorem probant RR. ex auctoritate Zach. 8. 4. כה אמר יי צבאות עד ישבו זקנים וזקנות ברחבות ירושלאים *Cho amar adonai zeuaoth ngod iesceuu zechenim vzchenoth birchouoth ierusciolaim. Hæc dicit Dominus exercituũ; Adhùc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem;* Thalmudistæ in tractatu פסחים *pissechim*; exponunt de dieb. regis Messiæ; עתידין צדקים שיהיו מחים דכתיב *ngathidin zadichim sceichaijn methim dichthiu; futuri sunt iusti* (tempore Messiæ) *qui resurgere facient mortuos; quod scriptum est; Adhùc habitabunt senes &c.* quæ miscnah ita explicatur in sua glossa à R. S. כמו שבדר כאלישע ואליהו שהחיו את המתים כך יחיו כל הצדיקים את המתים *Chemidbbur chaelisci ng veelihau scehechaijn eth hamethim; chach zechaiu chol hazadichem eth hammethim; Secundùm ordinem, quo Eliseus, & Elias surgere fecerunt mortuos ad vitam; ita resurgere facient omnes illi iusti mortuos ad vitam*; etsi omnes iusti hoc facient tempore Messiæ, quantò magis hoc faciet rex Messias iustus, & Saluator à morte temporali corporis, & multò magis à morte spirituali, & æterna; nempè à peccato vera, & ęterna mors animæ; liberãs, & resuscitare faciens animas ad vitam gratiæ? O cæci Iudæi aperite oculos vestros ad hanc lucem, & doctrinã magistrorum vestrorum; Elias, & Elisæus quot mortuos Deo, & in peccatis, illorum prædicatione, & miraculis, ad pœnitentiã, & ad vitam gratiæ diuinæ, reuocauerunt? & à potestate dęmonum, & damnatione æterna eripuerunt? Hoc diuinissimum opus erat principale, & propriũ regis Messiæ, & omnium iustorum illius æui; Et ideò à Deo patre hoc illi imponitur nomen ab effectu; *Accelera spolium, festina prædam;* siue, *Celer spoliator, festinus prædator;*

dator; qui à seruitute, & tyrãnide diaboli, omnes animas, quas mortuas Deo peccatis, & Idololatria, captiuas opprimebat, & angebat, eripere, & ad vitam gratiæ reuocare debebat; Et ad hoc à suo æterno patre missus erat; Quod vix natus, & adhùc infans incœpit adimplere, quando tres Magos anteà infideles, duce stella ex Damasco, idest ex Oriente, cum suis opibus, & spolijs Samariæ, hoc est Idololatriæ, ad suas cunas, & præsepe vocauit, & illi quasi Regi, ac domino suo offerrent aurum, thus, & mirrham, quæ prius Idolis, ac diabolo offerebãt; expolians tàm diuiti præda gentilitatis, principatus, & potestates infernales, de quo iterum agetur infra.

Sectio secunda.

Prosequitur ostendere hæc nomina: Accelera spolium, festina prædam; *soli regi Messiæ conuenire posse ex sacris Scripturis; & præcipuè hoc nomen* מהר שלל Maher scialal; festinus spoliator.

Hoc siquidem inuenio in sacra Scriptura fuisse primũ, & mysticum nomen impositum regi Mesiæ. Nam Gen. 49. Patriarcha, & Propheta Iacob in benedictione filij sui Iudæ, promittens ex illo oriundum fore regem Messiam, vocat eum hoc insigni, & notabili nomine; עד כי יבא שילה *ngad chi iauo sciloh; Donec veniat qui mittendus est*; legit vulgatus; *Donec veniat Messias*; exponũt omnes RR. Quæ sit autem significatio huius nominis; *sciloh*; admodùm variant, & nostri, & hebr. interpretes; in quo rectè adnotauit D. Isidorus Clarius Benedictinus Cassinensis, linguarum, & sacræ Scripturæ peritissimus in scholijs huius loci; *sciloh significat multa, nõ pugnantia*

inter

inter se, sed sũt inter se cognata; ut Iacob in hac ꝓphetia oĩa ea coniunctim in Xp̃o intelligi voluerit; sicut in plurimis alijs Scripturæ locis varia significatio vnius vocabuli sententiam pleniorem reddit. Significat ergò in primis, Cuius illud; scilicet sceptrum, propriè erit. Secundò filius eius; vt sit sensus; *Donec veniat filius Iudæ Christus Dominus.* Hæc ille. Marinus in sua arca fol. 215. sic scribit; *Sciloh; scribitur voce fœminina, putà cum littera he,* הא*, & affixo masculino posito supra littera he, quod est o ו vauchôlem: vt in alijs dictionibus nonnunquam fieri obseruari possit, ut in nomine proprio Salomonis* שלמה *Scelomoh, scribitur cũ he fœminina, & legitur cum o masculino; vbique ob mysterium; vel quia denotat ex tribu Iuda Messiam nasciturum: sed ex sola Virgine matre, sine virili semine; Quidam recentiores à* שלוה *scialah; filium fortunatum, augustum, tranquillum, pacificum, æternæ tranquillitatis authorem deducunt. Ego censeo nomen esse Messiæ, & significationis Ethimon nobis ignotum esse.* Hæc ille.

Vide, quæ de hoc nomine annotauimus trac. 1. fol. 227. & in hoc tract. v. 6. quatenus verò spectat ad rem præsẽtem: nam in tract. Sceptrum Iuda latius differo de significatis huius nominis שלה *sciloh;* non descendendo, ab expositionibus hæbreorum, & ponderando illam, quàm affert R. Ab. Aben ngazrah hoc loco, ויש מי שהוציא מלשון קרמוש שליל *Veiesse mi scehotzio millascion Chadmonenu scelel; Et est qui educat illud, nempe nomen scilòh, ex vocabulo antiquorum nostrorum scelil.* Hic est punctus scire quid apud antiquos Doctores hebræorum significet hoc nomen שליל *scelil*, & quomodo ab eo deductum sit hoc nomen שלה *sciloh*: quæ sit inquam prioris vocis vera significatio, ex qua dependet notitia quid nominis huius, quo Patriarcha Iacob nominat regem Messiam,

sciloh.

sciloh. Poteſt quis dicere שליל *scelel*; eſſe nomen Caldaicum,& Rabbinicum,& ſignificare fœtum,quem mulier eijcit immaturum,& mortuum, ita Eccleſiaſtes 6.3. *Quod melior illo ſit abortiuus* טוב ממנו הנפל *Tou mimennu Hanaphel*, Cald. legit שלילא *scelila*. Non puto RR. antiquos vnquam excogitaſſe,nec intēdiſſe hoc nomen, *sciloh*, oriri ab hoc nomine ſub tali ſignificatione tàm vili, & turpi; Abhorret ſiquidem omnis ſana mens hoc concipere; quod Rex Meſſias, ſemen Dei, ſemen Sanctum,ſemen alterū à Deo datum, ſemen, & filius illius mulieris,cuius erat conterere caput antiqui ſerpentis filius promiſsus patribus,in quo benedicendæ,hoc eſt ſaluandæ,promittūtur omnes gentes, & familiæ terræ, vocetur à Propheta fœtus informis, immaturus, & abortiuus; immò partus perfectiſsimus ab inſtanti cōceptionis ſuæ à Spiritu ſancto organizatus, repletus plenitudine diuinitatis, & omnium donorum Spiritus ſancti,vti prædixit Iſaias 2. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini &c.* & includitur in nomine iſto,*sciloh*,vti oſtendimus apertè cum Chabaliſtis tract.1. pag.229. Quare multò veroſimilius eſt, RR.docendo, hoc egregium, & ſingulare nomen Meſsiæ,*sciloh*,deduci ab hoc vocabulo, *scelil*; quo ſignificatur illa pellis,illud ſpolium, quo inuoluitur fętus in vtero matris; duo myſteria nobis aperire, incluſa in iſto vocabulo, & nomine Meſsiæ, *sciloh*; primum, quod metonimicè accipiatur illa pellis, & ſecundina pro re contenta in illa, ideſt pro filio eius, ideſt mulieris itaut vox, *sciloh*, dicat, *filius illius mulieris*; nam ſecundinæ ſunt propriè mulieris; & vox, *sciloh*, ſcripta eſt cum הא *he* fœminina; vnde non poteſt dici iſte filius, niſi mulieris, & matris huius filij, quam meminit Propheta, & eam ſolam inſinuat, nulla facta mentione

patris; dicere verò, quod affixum ה *he*, ſtat loco ו *vau*, hoc eſt euertere mentem, & ſignificatum occultum, quod in hoc nomine prophetico, propheticè continere omnes RR. confitentur, & exponunt; Myſterium ergò eſt, quod Propheta vocet Meſsiam non filium patris, putà Iudæ, ſed filium matris, filium vteri ſui, ſic Ionathan paraphr. Cald., ſed adulterinus legit; *Donec veniat Meſsias* עד בנאה *zengher benah*, generis fœminini; *paruus filius eius*; ideſt matris, & non patris; Et myſteriũ eſt, velint nolint, quod Meſsias ſingulari, & ſupernaturali modo ex ſola matrice, & ſecundinis matris eius ſemper virginis, ſine viri operatione concipi, & naſci debebat, conceptus, & partus regis Meſsię debebat eſſe virgineus, & eius mater ſemper virgo; Hoc enim eſt illud ſemen alterum, de quo prima noſtra mater Eua vaticinata fuit; *poſuit mihi Deus ſemen alterum pro Abel*; RR. *quod ex altero loco prouenire debebat*; ſemen omnium filiorum Adæ prouenit à patre, & matre; At ſemen huius filij regis Meſſiæ erit à ſola matre; hoc eſt, erit ſolus filius matris, ſolus cõceptus ex puriſſimis ſanguinibus illius virginis matris; in ſua matrice, & vtero virginiſſimo; Vide quę diximus tract. primo fol. 422. & infrà redibit ſermo de eodem. Secundum myſterium, & ſignificatum huius nominis, *ſciloh*, quatenus volunt antiquiores RR. deducatur ab hoc vocabulo *ſcelil*, deſumitur à ſua propria, & naturali radice, ſecundùm ſuum primarium ſignificatũ; Radix eſt שלל *ſcialal*; hoc mihi nunquàm negabitur à quouis tyrone linguæ ſanctæ: Scio apud RR. *ſcialal*, in eorum lingua ſumi pro negare; hinc שלילה *ſcelilah, negatio*; ſed quod ratione huius ſignificati vocetur à Patriarcha Iacob, rex Meſſias *ſciloh*, iniquum eſt cogitare; At verò, *ſcialal*, in lingua ſancta, vt ſæpè ſupra docuimus, denotat expoliare, præ-
dari,

dari, deprædari; ex qua radice formatur nomen שליל *scelil*; itaut *iod* sit *heemanthi*, nominis formatiua, velut גמיר *ghemir*; *fortis, strenuus*; à radice *gauar*; כפיר *chephir, leo, iuuenis*; à radice *chaphar*. Ita שליל *scelil, spoliator, deprædator*; à radice, *scialal*. Hinc nomen, *sciloh*, nomen proprium regis Mesʃiæ, quaʃi prædator, & ablator ʃpoliorum; ità Deus approbat hanc ethymologiam nominis huius regis Meſsiæ, dum præcepit Iſaiæ, vt filio prophetiſſæ; qui eſt iſdem rex Meſsias, clarè, & apertè litteris magnis ſcribat, & imponat, hoc idem nomen; *Voca nomen eius* מהר שלל חש בז *maher scialal chasc baz*; *Accelera ſpolium, feſtina prædam*; ſiue, *Celer spoliator, feſtinus prædator*. Probemus ex proprijs, & immediatis hanc proprijſsimã ſignificationem nominis huius, *ſciloh*; Patriarcha enim Iacob, antequam hoc nomine vocaret regem Meſsiam, talia præmiſit, quæ à nobis intellecta, manuducerent ad cognoſcendum ex parte, illius ſignificatum; Benedicens enim Iudam ſuum filium tertiogenitum, & in eius perſona, ſiue Dauid, ſiue regis Meſsiæ, tamquam principaliori, nec abnuunt omnes RR. eum aſsimilat leoni prędatori, & ad prędam, ſiue de prędaaſcendenti; גור אריה יהודה מטרף בני עלית *ghur arieh ielucdah mitereph beni nhalitha*; *Catulus leonis Iuda de præda fili mi aſcendiſti*. Aſsimilat iterum illum leoni adulto, qui habet catulos, & pro illis prædam rapit; qui ſe incuruet, & accumbat, ſiue dormiat; כרע רבץ כאריה *charangh rauaz chearieh*; *Incuruauit, accubuit vt leo*; Tertiò aſsimilat eum leoni annoſo feroci, & terribili; ſed dormienti; וכלביא מי יקימנו *vclaui mi iecbimennu*; *Et ſicut leæna* (ſi legas *lenija*) *& ſicut leo, quis ſuſcitabit eum?* Quis hebræorũ negabit Prophetam hæc omnia magno myſterio regi Meſsiæ principaliter appropriari, cùm ſiue Iudæ, ſiue Dauid, ſiue

tribu Iuda vix conuenire possunt. Ita certè exponit de rege Messia R. Isaach ngaramah, magnæ auctoritatis apud iuniores Iudæos. In Berescit, porta trigesimatertia; docens, & applicans hanc incuruationem, humiliationem, accubitum, & dormitionem pupulo Iudaico in præsenti depressione, & captiuitate Romana, vsque ad aduentum sciloh, donec veniat sciloh: Dicit: *Quoniã ipse sciloh, congregabit ad se omnes gentes, & regnabit super eos regno perfecto, sicut dictum est, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*; Et subdit iste R. *Et ab illa hora, & deinceps* לא יוסיף לכרוע אבל כלם לפניו יכרעו ויפלו דכתיב לפניו יכרעו ציים *lo Iosiph lichroangh aual cullam lephanau ichrenghu vaipolu dichthiu lephanau ichrenghu tziim. Non addet incuruare, cadere, sed omnes ante eum incuruabunt, cadent; quod scriptum est; Corã illo procident, incuruabũt Insulæ; vulgata; Ætyopes, & inimici eius terrã lingent*. Hæc ille. Certè cùm ista testimonia adducta ex psalm. 72. vbi de rege Mesia hæc prædicuntur, soli Mesiæ conueniant; & asserat, quod non amplius addet vt se incuruet, & cadat; intelligit iste auctor de rege Messia, quæ supra dixit, Incuruabit se, cadet, accumbet, dormiet sicut leo, postea resurget, & regnabit, & cõgregabit omnes gentes; & omnes gentes, & reges terræ incuruabunt se ante eum, & adorabunt eum; quæ doctrina reperitur in commẽtarijs eximij illius R. Moysis Hadarscian: Et re vera ita fuit, & describitur à Patriarcha Iacob, venatio, bellum, præda, & victoria, quã ille fortissimus leo de tribu Iuda, radix Dauid, obtinere debebat de hostibus infernalibus, in depressione, incuruatione, & humiliatione passionis eius; *Incuruauit se*; & accubitu mortis crucis; *accubuit vt leo*; & deinde in excitatione resurrectionis, & victoriæ eius; *Quis suscitabit eum?* in qua ad præ-

dam

dam ascendit, quam tulit de manu hostium infernalium putà animas SS. Patrũ in Lymbo degentium; Victoriosissimus triumphator, fęlix, & celer deprædator spoliorũ infernalium, quæ fuerunt, & sunt animæ ab eo saluandæ; Hinc colliges lector perquam bellè, & propriè hæc omnia præmittuntur à Patriar. Iacob de rege Messia, vt ab istis heroicis, & gloriosissimis actionibus intelligeremus vnam, & principalem esse hanc, quã inter alias exprimit Propheta in hoc pręriosissimo, & mystico nomine, soli regi Messiæ proprijssimo, *scilob*; Donec veniat ille celer prædator, festinus spoliator; Venator, & vindex animarũ à potestate, & manu dæmonum; ad quod oraculum loquens Deus in hac Isaiæ ptophetia de cõceptu, & partu regis Mesiæ fillj sui, ex Virgine prophetissa, vt sciremus ad quem finem mitteret eum in mundum, imponit illi tale nomen; *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædam*; nomen iam propheratum à Patriarcha Iacob; *Donec veniat* שילה *scilob; Celer spoliator, & festinus prædator*.

Pergamus hãc veritatem amplius comprobare ex oraculis nostri Isaiæ cap 33.1. *Væ qui prædaris nonne prædaberis*; heb. הוי שודד ואתה לא שדוד *Hoi sciodedveathablosciadud, Væ ò prædator, deuastator; Et tu non es deuastatus, deprædatus*. R. S. הוי האויב שאתה שודד תמיד *Hoi haoieu sciathab scioded thamid; Vehò inimice qui es prædator perpetuus, & tu non es deprædatus; siue deuastatus;* ובוגד אתה תמיד ואין אדם בוגדך ובוזך *Vuoghed athahthamid veen adam boghedecha vuozezecha; Et perfide agens tu semper; & non est homo qui decipiat te, qui te diripiat, spoliat, & deprædetur*. Hæc ille. Si quæras ab hebræis quis fuerit, vel sit, iste inimicus, & hostis, qui semper & perpetuò spernat, spoliet, diripiat, & perfidè agat cum populo hebræo, & Iu-

daico;

daico; Contrà quē non fit homo, id eſt nullus ſit in mundo qui ſe illi opponat, & illū decipiat, ſpernat, ſpoliat, & deꝑdetur; Et quis erit tàm potēs, & ſtrenuus heros qui hæc efficiat? Reſp. R.D. in ſua gloſſa; אם נחמה זו *im nechamah zu*; *Si conſolatio iſta fuit in diebus Ezechiæ, dicit; Væ qui prædaris ſuper Senacherib*; vera expoſitio litteralis, ſed non primaria; Senacherib deuaſtauit totā Iudæam, blaſphemauit, & conuiciatus eſt Deum Iſrael, nō erat homo, & poteſtas in terra, quæ hunc perfidum hoſtem deuaſtatorem, deuaſtaret, ſpoliaret, & ſperneret; ſed fuit brachium Domini; *Eſto brachium noſtrum in mane &c.* qui miſit angelum ſuum, qui percuſſit caſtra Aſſyriorū centū octoginta quinque millia; & ſic Senacherib ſpoliatus, & deprædatus ditiſſimis ſpolijs, & diuitijs ſui exercitus, quæ ſpolia populus Ezechiæ exiuit ad ea colligenda, 4. reg. 19. ſpretus, vilipenſus à Deo, & populo iudaico, confuſus fugit ad terram ſuam, vbi à proprio filio fuit interfectus. At ſecundus ſenſus litteralis magis proprius, & principaliter intentus eſt de diebus Meſſiæ; ita R.D. ואם עתידה בימות המשיח *vem ngathidah bimoth hămaſciach*: *Et ſi futura eſt iſta cōſolatio in dieb. Meſſiæ; dicit; Væ qui prædaris ſuper regem populorum qui erit in diebus illis*; & aſſerit hunc regem forè Gog, & Magog, cum quo omnes hebræi tenēt pro indubitata fide, quod Meſſias filius Ioſeph propè finem mundi bellum geret, & à Gog occidetur; & Iſraelitæ ſpoliabuntur, & vaſtabuntur ab illius exercitu; Et docent Thalmudiſtæ tract. ſucchah fol. 17. col. 2. exponentes illud Zach. 3. *Et aſpicient ad me, quem transfixerunt*; de Meſsia filio Ioſeph occiſo à Gog; quod veniens Meſsias filius Dauid; כיון שראו למשיח בן יוסף שנהרג *cheuen ſceroch lamaſciach ben Ioſeph ſceneheragh*; *Poſtquā vidit Meſsiam filium Ioſeph, quod occiſus erat*; dixit corā

Deo;

Deo; Domine mundi, ego non postulo à te nisi vitam. Dixit ei D.S.B. priusquam stabilires, iam prophetauerat de te Dauid pater tuus, quod dictum est חיים שאל ממך נתתה לו (*baiim sciaal mimmechah nathathah lo; Vitam petijt à te, tribuisti ei &c.* Quam miscnam, siue traditionem peruertunt iuniores iudæorum, docentes duos futuros Messias distinctos; *ben Ephraim*; filium Ephraim, siue Ioseph; & *ben Dauid*; filium Dauid; quod est hæreticũ in sacra Scriptura; quæ vnum solum Messiam ex tribu Iuda, & stirpe Dauid vaticinatur, promittit, & describit; & illi antiqui Sapientes per hos duos Messias, voluerunt innuere in vnico Messia duplicem naturam, humanam, & vocauerunt eum filiam Ioseph; & diuinam, & vocauerunt eum filium Dauid; siue voluerunt innuere dupplicem aduentum Messiæ, vnum in paupertate, humilitate, & obedientia, operans per suam mortem crucis salutem spiritualem animarum; & ità magno sacramento, & veritate exponũt de morte Messiæ, & de morte crucis, allata verba Zach. *Et aspicient ad me, quem crucifixerunt*. Alterum aduentum in gloria exprimunt per Messiam; *ben Dauid*; filium Dauid, in regno, & dominio. Modò ad rem nostrã, RR. quod in fine mundi, Gog, & Magog cum maximo dicunt exercitu faciet bellum horribile contra Israelitas in terra Israel; in quo bello occidetur Messias filius Ioseph; sed tunc veniet tempus salutis; idest aduẽtus Messiæ filius Dauid; qui videns Messiam filium Ioseph crucifixum, & mortuum postulabit à Deo, vt illum resuscitet ad vitam æternam. Et tunc Messias ben Dauid pugnabit cum suis Israelitis contra Gog, & Magog, & exercitum eius, & occidet eos, & debellabit, & spoliabit, & deprædabitur omne spolium, & substantiã, quã Gog, & Magog ab Israelitis, & alijs gentibus abstulerunt; *Et tunc Iudæi*

egre-

egredientur de Ciuitatibus Israel, & deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant, & vastabunt vastatores suos; ita Ezech. 39. 10. sed quid futurus est tã copiosissimæ prædę משלל *mescialel, spoliator*, & והבוז *vehabozez, deprædator*? *Rex Messias ben Dauid*. Cur ergò Iudæus nõ concedet inter nomina heroica Messiæ, & cõformiter ad eius egregias, & mirabiles actiones, hoc esse præcipuum, & gloriosum, quod Deus illi imponit, & præcipit, & iubet; *Voca nomen eius* מהר שלל חש בז *maher scialal chasc baz*; nonne in hac prophetia Ezechielis, quam adimplere expectant iudæi, exprimuntur, & ponuntur illa duo nomina huius pueri filij prophetissæ; *scialel, spolium*; *baz, præda*; ergò iste puer non potest esse nisi Rex messias filius Dei, et filius Dauid; *celer spoliator, festinus prædator*.

Sed iterum ex eodem nostro vate Isaia probemus hoc mysticum nomen; *Accelera spolium, festina prædam*; soli regi Messiæ conuenire, Cap. 49. *Audite Insulæ, & attendite populi de longe. Dominus ab vtero vocauit me. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Deploranda cæcitas Iudęorum, qui hęc dici à Propheta de se ipso volunt; ita R. S. *Ex quo ego fui in ventre, ascendit coram eo, in cogitatione*; להיות שמי ישעיה להנבא ישועות ונחמות *liheioth scemi lescinghiah lehinnabe iesciungoth venechamoth*; *Vt esset nomen meum Isaias, ad prophetandum salutes, & consolationes.* R. D. idem; ואלה דברי הנביא על עצמו *Veelleh diure hannani ngal ngazmo*; *Et ista sunt verba Prophetæ, de se ipso*; sed ipsis despectis, clarissimè patet, et necessariò debent confiteri, hanc esse personam regis Messiæ, qui omnibus populis gentium in vnam fidem, religionem, et Ecclesiam ab eo congregandis ex omnibus orbis terrarum partibus alloquitur, et prænunciat ad quem finem Dominus ab vtero matris eius vocauerit eum nomine suo; idest

ideſt appellauerit eum ישוע *Ieſciuangh*; *Ieſum*; ideſt Saluatorem; quia & in hoc nomine omnis ſalus, & libertas iudæorum, & gentilium efficaciter conſignata eſt; & in hoc capite tamquam cauſæ efficienti huius vniuerſalis omnium ſalutis, regi Meſsiæ, illi Deus tribuit, imperat, & iubet. Et probatur primò, quia, cuius nominis recordatus eſt Deus ab vtero matris eius, ſtatim v. 3. vocat eũ nomine Iſrael. *Et dixit mihi* עבדי אתה ישראל אשר בך אתפאר *nghaudi athah Iſrael aſcer bechah ethphaar*; *Seruus meus es tu Iſrael*; *quia in te gloriabor*. Certè hoc nomen, *Iſrael*, prophetæ Iſaiæ conuenire non poteſt, cùm in tota Scriptura non reperiatur vſurpatum niſi vel pro Iacob, vel pro omnibus ſimul duodecim tribubus, vel decem, vel duobus, & tandem pro rege Meſsia; & nunquàm pro alia perſona particulari; porrò de rege Meſsia dicitur hoc nomen Iſrael, ſicut dicitur Iacob, et Dauid, quia ab his deſcendebat ſecundùm carnem, Cant. 8. *Quis dabit te ſicut fratrem meum*, Cald. *Cùm reuelabit ſe rex Meſſias Eccleſiæ Iſraeli*; *dicent ei filij Iſrael*; *Tu eris nobis in fratrem*. Scio corruptionem Maſſoritarũ, quam nouantes (qui illis adhęrent veluti regulæ infallibili, non veritatis indagandę gratia; ſed liuore animi carpendę, et blaſphemandæ vulgatæ editionis) nolunt aduertere. Corruptio iſta eſt in punctatione accentus diſtinctiui; ſic enim ipſi diſpungunt; *Et dixit mihi ſeruus* עבדי אתה *meus tu*; hîc per accentum regium diſtinctiuum, qui vocatur אתנח *Athnach*; apud nos coma, et punctum, faciunt medietatem verſus; deinde incipit altera medietas verſus; *Iſrael, quia in te gloriabor*; ſed quis non videat, quam violenta, et contra naturã textus ſit iſta punctatio? quam diſconueniens, et inconcinna oratio iſta? *Seruus meus es tu*; *Iſrael quia in te gloriabor*; immò vera ſyntaxis requirit alium accentũ diuiſiuũ ante dictionem ly; *quia*;

Quia in te gloriabor; & sic ly; *Israel*; cùm sit per hos argutos nomen suspensum, itaut nec referatur ad ly; *seruus meus tu*; nec ad ꝙ sequitur; *quia in te gloriabor*; ad quid profertur à Deo? si dicas, quod sumitur pro populo Israelitico; contra, ergò eodem penitus versu loquens Deus cum Propheta, & vocans eum seruum suum; statim transiret ad aliam secundam personam à prædicta diuersã, quod non reperitur in tota Scriptura. Vinctus hac veritate R.D. & videns Cal. Ionathæ legere sic; ועבדי את ישראל *seruus meus tu Israel*; vti est veritas lectionis, ita docet; ישראל יאמר בכלל ופרט אתה ישראל שאתפאר בך כאהרן המתפאר בענבו הנאמן *Israel iomar bichlal vperat athah Israel sceethphaar becbab cheadon hamithpaer bangaudo hanceman*; *Israel dicitur, & vniuersaliter, et singulariter; Tu Israel, quia glorificabor in te, sicut Dominus glorificatur in seruo suo fideli*; ergò per te, ly, *Israel*, vnitur secundæ personæ præcedenti, quam Deus vocat, *seruum suum*; sed hæc persona non potest esse populus Israel; Tùm quia hoc nomen Israel nõ fuit impositum ei ab vtero, sed ab vtero vocatus fuit Iacob. Neq; hæc persona potest esse Isaias propheta, cùm sit nouum, & inusitatum; ergò erit rex Messias, qui Israel vocatur, tùm quia ab Israelitis oriundus, tùm quia ad conuersionem à captiuitate decem tribuum, & totius Israel mittẽdus; Tùm multò verius, quia rex Messias est verus rectus Dei, princeps Dei, vel videns Deum, vt sonat nomen Israel. Vlterius, quem Deus ex vtero matris eius vocat seruum suum, non eligitur à Deo vt vaticinetur salutes, & consolationes, quæ consistunt totæ in aduentu regis Messiæ; sed eligitur vt sit, & operetur istas salutes, conuertendo Iacob, idest duodecim tribus ad Deum; *Et nunc dicit Dominus* יוצרי *iozeri; formans me ex vtero seruum sibi*; ad quod munus? prophetandũ?

nequa-

nequaquam; audi; לשובב יעקב אליו *lesciouéu ianghachou elau; Ad cõuertendum Iacob ad Deum*, RR. בתשובה *bitheseiuuah; per pœnitentiam*. Porrò quod sequitur; *Et Israel non congregabitur*; וישראל לא יאסף *Veisrael lo ie asoph*. ita legendum est negatiuè; nam; לא *lo*, per א, *aleph*; est dictio negatiua; sed per ו *vau*, לו *lo*, est datiuus tertiæ personæ; Vnde RR. alterantes Scripturam exponunt dictionem negatiuam לא, *lo*, pro datiuo tertiæ personæ; *Et Israel ei congregabitur*; idest, Deo, per pœnitentiam; & si cogātur admittere sensum genuinum negatiuum per dictionē לא, *Non*; Respondent scriptum esse per א *aleph*, בתימה *Bethimiah*; Admiratiuè; *Et Israel non congregabitur?* imò certissimè congregabitur; ita illi Scripturarum tergiuersatores. Si ita est, per ipsos, quando vmquam præstitit hoc Isaias, quando profectus est in Assyriam; & si paulò ante istam prophetiam transmigrarunt decem tribus; Quādo ibi redire fecit illas ad Deum per pęnitentiam? & ipsæ tribus verè congregauerint se ad Deum? Nonne omnes RR. hoc expectant à solo eorum Messia, quem ad hunc finem nondum venisse nugantur? quam sæpissimè se confundunt miseri in eorum falsis dictis. Amplius loquitur Deus huic seruo suo electo ad cōuertendas tribus Israel; & dicit ei נקל *Nachel*; *Parum est, leue, nullius ponderis est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces, & residua Israel reuertendas*; ונתתיך *vnthathica*; *Et dedi te*; &, pro, *quia*; *quia dabo te &c. in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*; iniquè, & obliquè hæc inuertit R. S. ad excidium Babylonicum; hoc sensu; להנבא על מפלתא של בבל שהוא שמחה לכל העולם *lehinnabbe ngal mapeletha sul bauel, scehi simchah lecol ngolam*; *Ad prophetandum super ruinam Babylonis, quæ erit lætitia toti mundo*; Et tu Iudæe non cogeris fateri, hoc

esse sacras Scripturas nimis audacter, & ineptè peruertere? & verificari illud Prophetæ, verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum? De excidio Babylonico ne verbum quidem, in hoc capite; eligitur à Deo iste Dei seruus, vt conuertat tribus Israel ad Deum per pœnitentiam; sed hoc parum est; eligitur vlterius vt sit lux, & salus omnium gentium, in omnibus finibus terrę, certè per pœnitentiam, & fidem erga verum Deum; Vocatur iste Dei seruus, & est lux, idest magister, & salus, idest saluator totius generis humani; ergo iniquè, & contra apertam veritatem; vis quod ista lux, & salus omnium finium terræ, sit vaticinium excidij Babylonici; apage nebulo.

Cùm omnia prędicta, reductio tribuum Israel ad Deum per pœnitentiam, lux, & salus omnium gentium, sint munera propria solius regis Messiæ, hic seruus Dei nullus esse potest nisi Messias, qui hæc verè, realiter, & effectiuè operaturus erat, non prophetaturus, vt tantùm fecit Isaias, & alij omnes Prophetæ; apertè enim Deus elegit hunc seruum ab vtero matris eius; non vt vaticinetur; sed vt operetur, & magno labore, & fortitudine, virtutem, & vitam suam consumet, vt cõuertat ad Deũ decem tribus Iacob; quod Isaiam nequaquam fecisse certissimum est; sed hoc efficiendum solùm à rege Messia omnes Iudæi expectant. Veritas adeò aperta, & absoluta vt tandem illius osores, & inimici ipsã confiteantur inuiti, & coacti. v. 22. *Hæc dicit Dominus Deus; Ecce leuo ad gentes manũ meam, & ad populos exaltabo signum meum*, ואל עמים ארים נסי *veel ngamim arim nissi.* R.S. נסי סימן להביא גליות *Nissi siman lehaui galioth; Signũ meũ, id est Signũ ad congregandum captiuitates.* Sed ad congregandas, & colligendas dispersas tribus Israel à quattuor extremis terræ eligitur à Deo iste seruus; ergò illius munus erit eleuare

ve-

vexillum, quo viso per totum orbem cõgregentur Israelitæ; sed hoc est solius regis Messiæ propria actio, & effectus, vt noster Isaias testatur c. 2. שרש ישי אשר עמד לנס עמים *sciores iſciai aſcer ngomed lenes ngamim*; *Radix iesse, qui stat in signum populorum*. Ergò iste seruus erit rex Messias, per quem Deus leuabit manum suam, siue signũ suum ad colligendas reliquias Israel, & omnes populos. Prȩterea v. 8. loquens Deus cum isto seruo suo ei manifestat ad quid elegerit sibi in seruum ab vtero matris; *Et dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dißipatas; vt diceres his, qui vincti sunt; Exite, & his qui in tenebris, reuelamini.* R. D. *Et dedi te in fœdus populi*; וזה לעתיד לימות המשיח *vezeh lengathid limoth hamasciach*; *Et hoc futurum est in diebus Messiæ*; Et cur non omnia prȩdicta, congregatio Israel ad Deum, illuminatio, & salus gentium totius terræ; non, inquam, eueniẽt in diebus Messiæ? Et si Deus dabit, hoc est, constituet istũ seruum suum in fœdus populi, hoc est, tu exponis לקיום עם *lechium ngam*; in decretum statu um testamentũ populi; siue vt exponit R. S. להיות עם ברית לי *liheioth ngam berith lii* *Vt sit populus pactum mihi*; quod totum explicatur per verba sequentia; *Vt suscitares terram &c. Et diceres his, qui vincti sunt, exite &c.* idest liberando captiuos tàm ex hebrȩis, quàm ex gentilibus, nouum fœdus ineat cum eis, nouum testamentum, nouam legem; ita enim se explicat R. D. *Et hoc futurum est in diebus Meßiæ; nam necesse erit, quod sit in pactum populi, hoc est ad suscitandum populum Dei; sicut dictum est Deut. 29. 9. suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum.* Hȩc ille. At quomodò prophetȩ hoc conuenire potest, si totum hoc erit offitiũ, et munus principale regis Messiȩ,

Tandem admittamus istis RR. omnia, quȩ in hoc capitulo di-

dicuntur de illo Dei seruo, aliqua ratione accommodari ipsi Prophetæ; quia illa prædixit; certè, cùm, qui à Deo promittuntur, necessariò debeant futuris temporibus euenire; quod Israel congregabitur; quod gentes illuminabuntur, & saluabuntur; quod reparandæ sunt desolationes terræ; quod vincti liberi, et soluti egredientur de tenebris, et captiuitate, debemus inuenire causam, auctorem, et operatorem omnium horum mirabilium effectuum; quis erit iste? Rex Messias; ergò historicè, et ad litteram, quem vocat Deus seruum suum formatum ab eo in vtero matris suæ ad hæc omnia operanda, necesse erit rex Messias, vt omnes Scripturæ clamãt, et omnes Iudæi expectãt. Cũ ergò iste Dei seruus sit Rex Messias, tã mirabilia, & ꝓdigiosa effecturus; quodnã erit illud nomen, quo Deus illum vocauit ab vtero matris suę? *Dominus ab vtero vocauit me. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei*; Certè hoc nomen conuenit esse conforme, & vt necessariò dessumatur à prædictis egregijs operib. quæ gerere, & efficere debet iste seruus Dei Rex Messias; sed ista opera egregia sunt, quòd iste seruus Dei liberet à captiuitate, & tyrannica seruitute tot tantorũq; Regum, & principum mundi, populum Israel, illos spoliando tam diuiti, & copiosa præda, immò auferendo ab illis omnem illorum facultatem, & fortitudinem aurum, argentum, & opes vniuersas, his ditando hebræos; sicut quando exeundo de seruitute Egypti spoliauerũt Egyptios, & mulieres Egyptias suis monilibus, & vasibus aureis, & argenteis; ità enim isti crassi, & terręi iudæi, expectant suam redemptionem, & conuersionem à captiuitate præsenti ex toto orbe ad terram Israel redeuntes ditissimi. Sic ergò, inquàm, nomen huius Messiæ redemptoris, & liberatoris erit illud, quod Deus imponit per

Pro-

Prophetam Isaiam filio prophetissæ. *Voca nomen eius, Accelera spolium, festina prædam; Celer spoliator, festinus prædator*, verè מושיע *Mosciango Saluator*: Verè ישוע *Iesciuugah, salus*, & iudæorum, & gentilium; ità quidem est: At prædatori, & bellatori conueniunt arma; Porrò quibus armis accinctus iste celer spoliator accipiet, auferet, & diripiet istam prædam in toto orbe diffusam gentis hebræorum; ipsemet declarat v. 2. *Et posuit os meum quasi gladium acutum: & posuit me quasi sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.* Deus ipse dedit Regi Messiæ arma gladium, & sagittas, quibus possit vincere debellare, subiugare, deprædari, & spoliare inimicos, & totum orbem; sed quæ arma dedit iste Deus ad subiugandum tot reges, principes, & tyrannos terræ, qui captiuā tenent prædā Iacob. Audi stolide iudæe, qui tuum Messiam cum ingenti exercitu veluti militem cataphractum omnia cædentem armis ferreis, gladio, lancea, arcu, & sagittis, equis, & curribus, omnia regna proterentem, & conculcātem, atque in occisione, & sanguine inimicorum manus suas, & pedes, lauantem, summo desiderio expectas, anhelas. Audi, inquā, & vide, quæ arma dederit Deus Regi Messiæ ad istam magnam victoriam obtinendam de omnib. terræ regibus, & tyrannis, ad deprædandum, & auferendum ab illis hoc spolium, nempè captiuas tribus Israel in libertatem reducendas: *Posuit os meum quasi gladiū acutum*; Dedit Deus eios, vice gladij acuti, & quid per os Messiæ intelligit propheta nisi illius verba? ita Caldæus Ionathæ ושוי פתגמוהי *Vesciaui pithegamohi bephumi. Et posuit verba mea in ore meo quasi gladium penetrantem, & acie sua citissimè secantem* חריפא *Charipha.* Ore & non ferro, lingua & non gladio, verbis & non ar-

mis

mis rex Messias bellaturus est aduersus inimicos, & illos pugnabit, conteret, cædet, subiugabit, & spoliabit; item v. eodem; *posuit me sicut sagittam electam*: Non sagittas ferreas, & herculeas in pharetra gerat ad feriendum inimicos suos iste seruus Dei Rex Messias; sed ipsemet positus est à Deo in oculis, & in corde inimicorum suorum, veluti sagitta *electa* ברור *barur, tersa, polita, nitida, & fulgens*. Ipse enim solo aspectu, oculis, & verbis, debellauit inimicos velocissimè, & sibi subiugauit, auferés ab eis omnem fortitudinem, & spolia. Certè hic seruus Dei erit ille filius Dei, & prophetissæ, cui à Deo hoc nomen imponitur: *Voca nomen eius: Accelera spolium, festina prædam*.

Sectio Tertia.

Continuatur idem argumentum, & probatio ex eodem citato cap. Isaiæ.

POstquam Deus promiserat populo hebræo liberationem à captiuitate, & reductionem illorum ad terram promissionis: Vtens cũ summa venustate, & mysterio, illis metaphoris deferendi illos in sinu, & sustollendi super humeros; *Et quòd futuri erant Reges nutritij eius, & reginæ nutrices eius*: & quòd amplius; *Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent*. Nescio, an Propheta, an populi, qui captiuum tenent populum Israel; vt placet R.D. an ipsimet captiui, more suo, infideles, & increduli desperando de propria liberatione, maximam difficultatem, siue impossibilitatem proponant his verbis: *Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus; Equidem, & captiuitas*

tiuitas à forti tolletur; & quòd ablatum fuerit à robusto, saluabitur. Ità vulgatus; in fonte היקח מגבור מלקוח ואם שבי צדיק ימלט כי כה אמר יהוה גם שבי גבור יקח ומלקוח עריץ ימלט *Haiuc chach Miggibbor malchoach Veim sceui Zaddich immalet: Chi Cho amar adonai: Gam sceui Ghibbor iuchach: Vmalchoach ngariz immalet. Nunquid tolletur à forti præda? (est propriè hominum); & si præda iusti saluabitur? Quoniam hæc dicit Dominus; etiam præda fortis auferetur; & præda truculenti saluabitur.* Est differentia à vulgato, qui loco nominis *Zadich uisti*: traducit: *Robustum; Et quòd captum fuerit à Robusto*; quasi legerit loco *Zadich, uisti, ngariz fortis*, vel *robusti*; quòd nomen immediatè versu sequenti ponitur; *& quòd ablatum fuerit à robusto saluabitur*; Doctissimus Forerius docet esse affinitatem, & similitudinem in litteris, vt errorem scribæ suspicari possimus. Resp. Palatius, quod scriptura vtitur ironica, vel antiphrasi loquutione, tyrannũ, qui iniustè prædam possidet, vocans iustum; Sed dicamus hanc prædam, siue vocetur iusta, vel iusti, quia in iustitia, & iuditio capta fuit, vt exponit R. D. siue quia est præda Iacob iusti, capta ab iniquo, ita R.S. hoc est certum per ipsos, quod principes, Reges, et tyranni huius mundi sunt illi, qui insultant miserrimis iudæis captiuis, illos confundentes propter hanc longissimam captiuitatẽ; ꝙ nulla sit spes egrediẽdi ab illa; nulla vis, nulla penitus potentia, et fortitudo, quæ illos eripere, et liberare possit à manibus illorum, qui sunt fortissimi, et robustissimi super omnem potentiã R.D. כן ישראל איך יצאו מרשותנו *Chen Israel, Ech, iezef, Mithachath; Resciuthenu, ita Israel quomodo egredientur desub dominio nostro?* Respõdet istis Deus: *Etiam præda fortis tolletur, & præda Robusti, tyranni, terribilis liberabitur.* R.D. exponit,

כי אני גבור מכם שאקחנו מידכם *chi ani Gibor Michem Sceecha-chennu Mijad chem; Quoniam ego fortior præ vobis, qui auferam illam de manu vestra.* Vbi aduerte ad defensionem editionis vulgatæ, quæ superiori versu, non traduxit, sicut erat in fonte ly: *Et si præda iusti saluabitur;* sed traduxit; *quod captum fuerit à Robusto*, legens, *ngharic* pro *zadich;* In hoc sequenti versu, in quo eadem verba referuntur; in fonte non est; *& præda iusti saluabitur*: sed scriptum est loco *iusti* צדיק *zadich* עריץ *ngariz*: *Robusti, fortis, tyranni, prædonis, terribilis*. Et ideò subiũgit R.D. *id quod dictum; præda iusti nequaquam dici debet; sed præda ngariz; Robusti, quia vi, & formidine tulerunt illum, non in iustitia, & iuditio;* Et sic vulgatus assequutus est mentem prophetæ, qui ironicè vocat tyrannum iustum, idest iniustissimum, et iniquum prędatorem, et prædonem, traducendo: *Quòd captum fuerit à Robusto.*

Sensus ergò erit. Quis potest à forti gigante, vel leone terribili spolia auferre; aut prædam à faucibus & vnguibus eius extorquere? Sic vos tribus Israel, qui tot seculis estis in potestate, & seruitute gigantum, & leonum, idest principum, regum, & tyrannorum huius mundi, quis vnquam illis tàm fortior poterit vos ab illorum inueterata tyrannide eripere? Sanè qui à gigante, & leone aufert, & extorquet prædam, illis multò fortior, & potentior sit, necesse est; veluti alter Dauid p.reg.12.49. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nàm & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus.* Dicant mihi RR. quem expe-

ctant

ctant ipsi, omni gigante, & leone fortiorem, à quo à presenti miserrima captiuitate, liberētur à tot gigantibus, & leonibus, ideſt principibus, & regibus huius mundi, à quibus vbique terrarum, captiui tàmdiù opprimuntur, à quo in quàm ſperant ipſi tandem in priſtinam terram, & libertatem vindicari? Reſpondent omnes ממשיחנו מלכנו גואלנו מושיענו *A Meſsia noſtro, Rege noſtro, Redemptore noſtro, Saluatore noſtro.*

Ergò Meſſiás erit ille potentiſſimus Rex fortior, & potentior omnibus Regibus, & potētatibus totius mundi; qui ſua virtute, potentia, & diuinitate omnes ſuperabit, & ſubijciet ſub pedibus ſuis, auferet ab eis omnem fortitudinem ſpolium, & prædam; & præcipuè ſpoliabit illos hac ditiſſima præda populi Iſrael primogeniti Dei, quem reſtituet in ſuam terram hȩreditariam, & auitam libertatem, regnum, & ſacerdotium. Ita vos miſeri, & cæci expectatè temporaliter fore in fine mundi poſt bellū Gog, & Magog. Et ſi ita erit per vos, ſi hæc erit omnis conſolatio, quam dixit Deus per Zachariam, hac de cauſa adductam à Deo ipſo in hoc capite Iſaiæ tamquam teſtem fidelem; cur non concedetis huic veſtro regi Meſsiæ temporali liberatori, & vindici omnium hebræorum libertatis, & omnium inimicorum veſtrorum debellatori, & eorum ſpoliorum deprȩdatori victorioſiſſimo; cur, inquā, non fatemini; prædicta nomina eſſe illi ſoli propria; non apparentia, non extrinſeca, non vocalia, non aerea, vti filio Iſaiæ effingitis; ſed vera, intrinſeca, realia, & effectiua; *Voca nomen eius, Accelera ſpolium, feſtina prædam; Celer ſpoliator, feſtinus prædator?* Cùm ſuo tempore à vobis imaginato, leo de tribu Iuda, filius Dauid, leonum, & vrſuum interfectoris; leo, inquam, fortiſſimus, & celerrimus, ſpoliabit, diſſipabit omnes poteſtates mundi, di-

tans vos illarum diuitijs, regnis, principatibus, & Monarchijs? gigas velocissimus ad currendam viam suam, operandam nempè hanc salutem maximam à nobis tamdiù expectatam, non erit ille puer filius Dei, & prophetissæ, qui adhùc infans, nundùm sciens vocare patrem, & matrem suam, auferet strenuus, & inuictus fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ à facie regis Assyriorum? Ita equidem est; sed in hoc maximè erratis, & vultis vosmetipsos miseri, & cæci decipere; dum carnaliter, & temporaliter talem expectatis Messiam, & facitis, vt ad instar Dauidis patris eius potens, & bellicosus effundendo multum sanguinem inimicorum regnum suum in toto orbe terrarum sibi comparet, & profundat. Quod esse falsissimum, & diabolicum inuentum capite sequenti manifestabitur; in quo videbimus primum aduentũ Messiæ esse, vt spiritualiter, & medijs spiritualibus salutem tùm Iudæorum, tùm gentilium operetur; & sibi comparet in diebus suis animarum imperium, & monarchiam, in vna fide, & religione veri Dei; auferendo Idololatriã, & omnem vanam, & alienam religionem, & hoc armis spiritualibus.

CAPVT SECVNDVM.

Declaratur, & demonstratur nostrum Emmanuelem regem Messiam, Virum bellicosum, venturum in mundum ad tollendum peccatum originale, & actuale; & auferendam prætiosissimam prædam animarum de potestate Satanæ, illarum salutem æternam operando, & lucrando armis spiritualibus regnum omnium sęculorum.

Sectio

Rex Messias Deus vir bellator est, & nominatur.

EXod.15.3. Videns Moyses, quod Deus ipse bellando pro Israelitis, equum, & equites Ægyptios, & currus; et præcipuè ipsum pharaonem deiecisset in mare, gratias agens Deo, eiusq; magnificẽtiam, et potentiã celebrans; innuens Deum ipsum præsentem oculis suis, et digito demonstrans; *Iste Deus meus, & glorificabo eum &c.* ipsũ Deum describit quali forma, et specie corporea, et visibili viderit, et oculis conspexerit dicens; *Dominus; quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius*; in hebręo est aliqua diuersitas; יהוה איש מלחמה יהוה שמו *Iheouah isc milchamah; Iheouah scemo; Dominus vir belli, Dominus nomen eius*; vbi deest dictio similitudinis, et iteratur nomen ineffabile Iheouah. Quoad sensum litteralem grãmaticalem est frequens hebraismus, eximiũ, & præstãtẽ in aliqua facultate, arte, virtute, & vitio vocari virũ illius qualitatis Gen. 92. *Noe erat* איש אדמה *isc adama; Vir terræ*; homo agricola; Exod.4.18. איש דברים *isc deuarim; vir verborũ*; eloquens; 1.reg.17.34. איש מלחמה *isc milchamah; Vir belli à iuuentute sua*; Sept.*Bellator*; Cald.*Gerens bella.* Modò Moyses vocat Dominum, *virum belli*; hoc est, vt exponunt R.S.R.Abr. et alij: בעל מלחמות *bangal milchamoth; Dominus possessor bellorum*; Cald. מרי נצחן קרביא *Adonai mare nizchan cheraueia; Dominus triumphator bellorum.* Quod sequitur; *Adonai scemo; Dominus nomen eius*; sic explicant RR. Bella eius, non בכלי זין instrumẽtis bellicis; sed nomine suo ipse belligerat; non cum labore, neque afflictione; sed nomine suo, vt dixit Dauid Giganti Goliæ; *Et ego venio ad te in nomine Domini exercituum.* Hęc illi moderni. An-

Antiqui R R. multa obseruarunt mysteria, & significata huius diuini nominis; *Dominus vir belli*; quæ à nobis nō debent negligi, immò explicari, & in lucem prodi; ostendunt enim hoc gloriosum nomen esse proprium nostri Emmanuelis, qui verè est Deus, & vir simul, bellicosus; Celer spoliator, & festinus debellator, & deprædator infernalis pharaonis, & exercituū eius. Et primò in tract. סוטה *Sutbah*, c. 7. fol. 47. col. 3. exponētes ethymologiam nominis illius superbissimi gigantis גלית *Goliath*, dicunt esse istā; *q stat* בגילוי פנים לפני המקום *Beghilui panim liphne hamachom*; *In reuelatione facierū corā Deo*; volūnt dicere; qui impudentissimus, & audacissimus ausus fuit Deum ipsū ad singulare certamen iniuriosè prouocare; probant ex eo, quod scriptum est, Samuel lib. 1. cap. 17. 9. & dixit Goliat ברו לכם איש וירד אלי *Beru lachem isc veiered elai*; *Eligite vobis virum, & descendat ad me*; Et paulò post; תנו לי איש ונלחמה יחד *Thenu li isc venillachamah iacad*; *Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.* Subdunt RR. ואין איש אלא המקום שנ יהוה איש מלחמה יהוה שמו *Veen isc ella hamachom sceneemar Iheouah isc milchamah Iheouah scemo*; *Non est Vir nisi Deus, quod dictum est; Dominus vir belli; Dominus nomen eius. Dixit Deus S.B. Ecce ego cadere faciam illum per manum* בן איש *ben isc*; *filij viri*; quod dictum est 1. reg. c. 17. 12. *Dauid autem erat filius viri Ephratai.* Hæc ille. Notum est apud hebræos antiquos, Dauid, qui fuit primus rex ex tribu Iuda, in suis factis fuisse typum, & figuram regis Messiæ filij sui; ita in psalmo 70. כמופת הייתי לרבים *chemopheth haijthi lerabbim*; *Tamquam prodigium, portentum, signum factus sum multis*; certè inter egregia gesta Dauid, hoc fuit singularissimum, quod tam grandem gigantem, vno tantùm lapide; *quem funda iecit, & circumducens percusserit*

cusserit in fronte, & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem super terram, percussumque philistæum interfecit; si volunt RR. psalmo citato, quod Dauid fuerit figura regis Messiæ, quando, vt legitur 2. reg. 22. 20. ceciderunt in manu Dauid, & seruorum eius illi quatuor gigantes philisteos; & præcipuè quartus, qui fuit vir excelsus, qui senos in manibus, pedibusq; habebat digitos, idest vigintiquatuor, quem gigantem non interfecit rex Dauid; sed percussit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Si volunt, inquam, RR. quod in hac victoria, & occisione talis gigantis, fuerit typus, & præfiguraucrit regem Messiam, ante quem cadet ille gigas, dominus digitorum; illorum verba sunt ista; עד שיפל לפניו בעל אצבעות זו מלכות הרשעה ואצבעת רגליא מנהון פר זל ומנהון חסף *vengad sceipol lephanau bangal ezbbangoth, zu malcuth harasciangh scenemar*

Et donec cadat coram eo Dominus digitorum, hoc est regnũ nequam; hoc est Romanum; quod dictum est, & digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles. Hæc ille.

Volunt dicere, quòd rex Dauid in occisione illius gigantis, qui habebat vigintiquatuor digitos, præfigurauit regem Messiam, qui debellare, & euertere debebat quartũ regnum, nempè monarchiam Romanam, significatam in illa statua Nabuch. quæ habebat digitos pedum partim ferreos, partim fictiles. Modò si hoc verum, immò verissimũ est, & à rege Messia magna ex parte spiritualiter adimpletum, immò totaliter adimpletum, cùm illud imperium non sit amplius Romanum, sed Christianum, de quo in suo particulari tractatu Deo fauente; vnde Messias, quem ipsi expectant, qui auferat monarchiam Christianam, erit Antichristus. Si, inquam, in hoc rex Dauid fuit typus regis Messiæ; quantò magis præfigurauit illũ

in

in prædicta insigni, & verè prodigiosa victoria, quam retulit de illo magno gigante Goliath; verè Dauid dicere poterat de seipso; *Tamquam prodigium factus sũ multis*; Signum, inquam, prodigiosum & Israelitis, & gentibus in bonum, præfigurans filium meum Dauid regem Messiã; qui verè בן איש *ben aisc*; filius Dei; nam Deus est *vir belli*; & verus homo futurus ex meo semine, & prosapia; Emmanuel, Deus nobiscum in carne humana bellator, aduersus gigantem Goliath, aduersus illum Dei omnipotentis impudentissimum, & audacissimum apostatam, & rebellem luciferum; contra illum draconem magnum, & serpentem antiquum Satanam, qui totum genus humanũ peccati veneno, infecit, & interfecit. Hunc regem Messiam filium Dei, & filium hominis, verbum caro factum ad singulare certamen prouocauit superbissimus gigas lucifer, dicens; *Eligite vobis virum; qui descendat ad me*; At verò non est iste vir nisi Deus dicunt RR. & probant ex eo; *Dominus vir pugnator; Dominus nomen eius; Dominus vir; Deus, & homo*; quid clarius? Deus factus homo, bellator, vt decertat pro nobis, cum omnibus principatibus, & potestatibus tenebrarum harum; spoliator, & deprædator luciferi, & spoliorum eius, quæ sunt animæ nostræ, saluans illas ab æterna damnatione.

Rex Messias est iste; *Dominus vir belli*; Emmanuel, Deus, & vir in carne nostra saluans, & liberans, & iustificans nos. Veritas adeò certa, & patenter ab ipsis antiquis RR. cõfiteatur hoc nomen; *Dominus vir belli*; esse nomen regis Messiæ. In psalm. 21. ita docent; וקורא למלך המשיח על שמו ומה יהוה שמו איש מלחמה. ומלך המשיח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו: *vechore lemelech hamasciach ngal scemo vma scemo Iheouah isc milchamah vmelech hamasciach vezeh scemo ascer ichreu Iheoaah zidchinu. Et vocat, idest Deus, regẽ*

Messiam nomine suo; & quod est nomen eius? Dominus vir belli; & regis Messiæ? & hoc est nomen eius, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Hæc illi. Vbi aduertendum est magnum Sacramentum, quod præterijt Galatinus lib. 3. cap. 22. Nam isti RR. quærendo quonam nomine suo proprio vocet regem Messiam Deus S.B. dicunt esse totum hoc nomen, *Dominus vir belli*; non hoc nomen solum, *Iheouah, Dominus*; sed tria hæc nomina simul; *Dominus vir belli*; est nomen Dei; & nomen regis Messiæ, includens, & ostendens diuinitatem, & humanitatem simul vnitas in persona regis Messiæ; dũ addit, *belli*; significare vult finem ad quem rex Messias Deus, & homo venturus erat in mundum, nempè ad pugnandum, & debellandum illum superbissimum gigantẽ luciferũ, saluando à damnatione æterna animas nostras; Ea de causa RR. subdunt; *Et quod erit nomen regis Messiæ, quo vocabunt eum Israel, & populus Iuda saluati? si Deus vocat illum suo nomine; Dominus vir belli*; Respondent; *Et hoc est nomen eius, quod, siue quo, vocabunt eum, scilicet populi. Dominus iustus noster, siue iustitia nostra.* Hoc est, regẽ Messiã, qui vocatur à Deo suo nomine; *Dominus vir bellator*; quia est Deus & homo simul; *Emmanuel*; sed bellator; *Voca nomẽ eius: Accelera spoliũ, festina prædam*; quia hoc bellũ eius erit spirituale, Itaut princeps huius mũdi eijciatur foras, & animæ liberentur à peccatis, & eius tyrannide; & iustificatæ ab omnibus culpis, salutem æternam consequantur; ideò populi vocabunt regẽ Messiã, verũ Deũ iustificantem, sanctificantem, & saluantem eos in perpetuum. *Et hoc est nomen eius, quod vocabunt eum Dominus iustus noster, siue iustitia nostra, siue iustifica nos*; & sic finis aduentus Messiæ est propter bonum spirituale, sanctificationem nempè, & salutẽ animarũ, quã operatus est armis spiritualibus debellãdo infernales potestates.

Sectio secunda.

Idem penitus ostenditur per varias RR. *doctrinas; Hoc nomen Dei gloriosum;* Dominus vir belli; *esse proprium regis Messiæ, verè Emmanuel, Deum in carne nostra ad bellandum pro nobis.*

IN libro Hămelchita, capite (siue parasciah) quarto, citato hoc præfato textu; *Dominus vir bellator:* sic tradunt. R. Iuda dicit; *Certè ista Scriptura diues est, abūdat multis locis; ostendens, quod Deus reuelauit seipsum cum omnibus instrumentis bellicis;* נגלה עליהם כגבור חגור חרב שנ חגור חרבך על ירך גבור *Niglah ngalehem cheghibbor chagor chareu sceneemar chagor charbbecha ngal iarech ghibbor; Apparuit eis sicut vir, vel gigas accingens, siue accinctus gladio;* quod dictum est psal. 45. 4. *Accingere gladio tuo super femur; O vir, ô Gigas, ô Potentissime;* & nonnullis similibus Scripturæ locis adductis; Iterum RR. quærunt יהוה איש מלחמה למה נאמר *Ihecuah isc milhamah lămah neemar; Dominus vir belli quare dictus est?* Respondent לפי שנגלה על הים כגבור עושה מלחמה שנ יהוה איש מלחמה *lephi sceniglah ngal haiam cheghibbor ngoseh milchamah sceneemar Iheouah isc milchamah; Eoquia apparuit super mare, sicut vir bellicosus, sicut gigas belligerans, quod dictum est; Dominus vir præliator.* Vlterius addunt; נגלה בסיני כזקן מלא רחמים שנ ויראו את אלהי ישראל ותחת רגליו כמעשה לבנת הספיר *Niglah besinai chezachen male rachamim sceneemar vairu eth elohe Israel vethachath raglau chemangaseh liunath hasaphir; Apparuit in Synai, sicut senex plenus misericordijs;* quod dictū est Exod. 24. 10. *Et viderunt Deū Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini;* subdunt RR. vt confirment prædictas Dei S. B. visibiles apparitiones

tiones

tiones in figura, & specie humana, & adducunt illam mirabilem visionem Dan. cap. 7. 9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix; Et capilli capitis eius quasi lana munda. Tronus eius scintillæ ignis. Rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus exibat, & egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Iuditium sedit, & libri aperti sunt. Aspiciebam ergò in visione noctis; Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit; & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. Et omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient; & potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur; & regnũ eius, quod non corrumpetur.* Super quibus verbis Dan. sic docent; שלא ליתן פתחון פה לאומות העולם לומר שתי רשויות הן אלא יהוה איש מלחמה יהוה שמו הוא על הים הוא במצרים הוא לשעבר הוא לעתיד לבוא הוא בעולם הזה הוא בעולם הבא *scelo lithen pitchon peh leumoth hangolam lomar scethe resciuoth hen, ella Iheouah isc milchamah Iheouah scemo; hu ngal haiam, hu bemizraim, hu lescengauar, hu lengathid lauo, hu bangolam hazeh, hu bangolam habba scenee mar. Quia non debet dari aperimentum oris gentibus mundi, quod duo principia, siue duo dij sint isti; sed; Dominus vir belli, Dominus nomen eius. Ipse super mare, ipse in Egypto, ipse in tempore præterito, ipse in futuro. Ipse in mundo isto, ipse in mundo venturo;* quod dictũ Isa. 41. *Quis hæc operatus est, & fecit. Vocans generationes ab initio? Ego Dominus primus & nouissimus ego sum.*

Tandem aliæ mysteria quærunt in hoc nomine glorioso; *Dominus vir belli,* dicentes אפשר לומר כן *Ephsciar lomachen?* Possibile ne est dicere ita? *Et nonne iam dictum fuit.*

Nonne cælum, & terram ego impleò dicit Dominus? Ier. 23.24. Et ſcriptum eſt; *Et clamabat alter ad alterum, & dicebat Sanctus etc. plena eſt enim omnis terra gloria eius;* Iſ. 6. ומהתל יהוה אישמלחמה *Et quid ergò uult ſignificare Iheouah iſc milchamah? Dominus vir belli?* Reſpondent, & introducunt Deum ipſum dicentem; מפני חבתכם ומפני קדושתכם כי אקדש שמי בכם שנ כי אל אנכי ולא איש *mipene chouathchem, umipene chedusciathchem, chi bachaddeſcſcemi vachem. Propter peccatum veſtrum, & propter ſanctificationẽ veſtrã. Quoniã præparabo nomen meũ in vobis. Quod dictum eſt Oſee 2.9. Quoniam Deus ego, & nõ vir.*

Hæc omnia in prædicta traditione, quæ cùm euidentiſſimè demonſtrent, quod indagamus, regem nempè Meſſiam eſſe Deum, & hominem bellatorem contra ſpirituales inimicos, & nequitias indigent aliquo examine.

Et primò, quod hoc nomen; *Dominus vir pugnæ;* ſolius Dei proprium, etiam ſit regis Meſſiæ propriũ confitentur, dùm in principio traditionis in pſal. 21. docent Deum ipſum vocare regem Meſſiam ſuo nomine iſto, quod eſt; *Dominus vir pugnæ;* Deinde in libro Hãmechiltha; intendentes probare, & declarare, quomodo conueniat Deo tale nomen; *Dominus vir pugnæ;* de Deo exponunt, quod ſoli Meſſiæ regi conuenit, pſal. 45. *Accingere gladio tuo ſuper fæmur. Ogigas;* in quo aſſerunt Deum eſſe *virum pugnæ;* quia apparuit accinctus gladio ſuper fæmur; ergò in forma, & ſpecie hominis apparuit, cùm ſolus homo habeat fæmur, & de ſolo homine dici poſſit, quod ſit accinctus gladio ſuper fæmur; ſed hic eſt rex Meſſias, ergò Meſſias eſt Deus, & Deus in forma humana accinctus gladio ſuper fæmur eſt vir belli, & ipſemet Meſſias. Quod iſte pſalmus 45. *Eructauit &c.* ſit canticum, & epithalamium totum compoſitum in laudem,

& descriptioné regis Messiæ, docet Cald. in illis verbis; *Speciosus forma præ filijs hominum*; שופרך מלכא משיחא *sciupherach malcha mescicha*; *Pulchritudo tua ò rex Messias, exuberat, superabundat super filios hominum*; R. Ab. Aben. Iste psalmus dictus est super Dauid; או על משיח בנו שכן שמו *Ongal masciach beno scechen scemo*; siue; *super Messiam filium eius, nam simile est nomen eius. Et Dauid seruus meus princeps eorum in sæculum*; R.D. de rege Messia, qui occidendus est in bello Gog, & Magog exponit; *Accingere gladio tuo &c.* R.S. transcendit omnes, sic exponens illud; *Dico ego opera mea regi*; *Canticũ istud, quod disposui, & feci, ego dico illud*; למי שהוא הבון למלך *lemi scehu haghauuan lemelech*; illi, qui est similitudo, vel exemplar regis, siue regnandi; quod dictũ est prou. 8. 15. בי מלכים ימלוכו *bi melachim imlochu*; *Per me reges regnant.* Hæc ille. Vbi R.S. per ly, *Regi*; quem omnes RR. regem Messiam intelligunt, cui Dauid hunc psalmũ veluti poema; in quo eius personam, diuinitatem, humanitatem, pulchritudinem, iustitiam, & cæteras eius mirabiles virtutes describit, dedicat, & consecrat, R. S. exponit diuinam, & æternam Sapientiam; & magno sacramento, & veritate; nam rex Messias, non est simplex, & tantũ homo filius Dauid secũdùm carnem; sed simul Deus, & æterna Dei patris sapientia genita, in carne humana, verus Emmanuel, Deus, & homo bellator; *Dominus vir pugnæ*; & hac ratione citati heb. theologi, explicant hoc nomen gloriosum; *Dominus vir pugnæ*; cum hac psal. citati auctoritate, dicẽtes, quod Deus apparuit accinctus gladio super fæmur vti gigas bellator; *Accingere gladio tuo &c.* vt nos docerent talem fore regem Messiam Deum, & hominem bellatorem ad debellandum Satanam &c.

Confirmant RR. eandem veritatem, dum asserunt, Deum

adeò

ideò vocatū fuisse à Moyse, & toto populo hoc nomine; *Dominus vir pugnator, Dominus nomen eius*; quia omnes à minimo vsque ad maximum, viderunt Deum ipsum in forma viri, siue gigantis armati belligerantis pro illis super mare rubrum, aduersus pharaonem, & exercitū eius; ita distinctè, & realiter, vt vnusquisque non solùm oculis corporeis viderit, sed digito alter alteri ostenderit; ita Exod. 14. *Parasciah besciallach*; in illis verbis; זה אלי ואנוהו *ze eli veanuehu*; *Iste Deus meus, & glorificabo eum*; R. Bechai, & omnes RR. docent hanc irrefragabilem veritatem, & Mosaycam traditionē; R. Elinghez. dicit; *Vnde tu dicis* שראתה שפחה על הים מה שלא ראה יחזקאל בן בוזי שנ׳ זה אלי ואנוהו *sceraathah siphchah ngal haiam mah scelo raah Iechezehel ben buzi*; *sceneemar ze eli veanuehu*; *Quod vidit ancilla super mare illud, quod non vidit Ezechiel filius buzi; quod dictum est; Iste Deus meus, & glorificabo eum*; declarāt RR. *In Ezechiel scriptum est; Et vidi visiones Dei c. 1. & in cæteris prophetis scriptum est; Et in manibus prophetarum assimilatus sum*, Osea 13. 10. idest in similitudinibus, & visionibus; At verò super mare; ראו כלן עד שאמר כל אחד ואחד זה אלי וג׳ *rau cullā ngad sceamar chol echad veechad zeh eli*; *Viderūt oēs donec diceret vnusquisque; Iste Deus meus, & glorificabo eum*; Addunt vlterius RR. in Berescit rabba, Elle scemoth parascia 23. in fine; ועולי הים היו כל אחד ואחד מראה באצבעו *Vengoleh haiam chol echad veechad mareh beezbbango*; *Et ascendentes mare, vnusquisque viderunt, & videre fecerunt ad inuicem cum digito proprio, & dicētes; Iste Deus meus, & glorificabo eum*; declarant RR. *Non est intentio sapientum in hoc, quod fuerit gradus ancillæ in facto speculationis; & sapientia plusquam speculatio gradus Ezechielis filij buzi prophetæ; sed intentio fuit*; שראתה שפחה על הים דבר שלא ראה יחזקל *sce-*

sceraatah siphehah ngal haiam dauar seelo raah Iechezchel; Quod vidit ancilla super mare rem, quam non vidit Ezechiel. Hæc illi. Ex quibus omnibus, habemus primò, quòd Deus super mare rubrum apparuit omnibus hebræis in gloria sua. Secundò, quòd minima ancilla vidit rem, & gloriam Dei super mare, quam nullus prophetarum vidit. Tertiò, quòd viderunt illam gloriam Dei oculis proprijs corporis, visibilẽ visibiliter. Quartò, quòd amplius illam prȩsentem realiter existentem visam oculis, digito alter alteri ostendebat dicens; *Iste Deus meus*; Quintò, quòd prophetæ quicquid viderunt de diuinis visionibus viderunt non oculis corporeis aliquod obiectum materiale, & corporeum; sed viderũt in visione prophetica, siue imaginaria per species, & obiecta imaginatiuæ potentiæ; & deinde intellectiuæ prophetarum, à Deo infusa, & creata, & rappresentata. Sextò, quòd hebræi super mare viderunt oculis corporis, & digito ostenderunt rem, quam non viderunt prophetæ omnes. Si quæras à RR. quæ sit ista res tam singularis, & admirabilis. Respondent, fuisse Deum ipsum, qui in forma viri, in specie humana corporea, & visibili hominis, inquam, belligerantis se se obiecit oculis hebræorũ; ita ut omnes ipsum Deum in specie hominis corporea, & sensibili, oculis proprijs visibiliter videntes, & digito demonstrantes, belligerantem aduersum pharaonem, dixerint; *Iste Deus meus, & exaltabo eum; Dominus vir pugnæ; Dominus nomen eius.*

His addendum Exod. 24. 10. vbi dicitur, quod Septuaginta seniores cum Moyse ascenderunt montem Synai, & ibi; *Viderunt Deum Israel*; supra tradiderũt RR. quod Deus apparuit illis in forma senis, Cald. Onchelos traducit; *& Viderunt gloriã Dei Israel*; R. Bechai parasciah misc-

patim

patim fol. 107. explicat in ſpecie, quæ fuerit iſta gloria Dei Iſrael dicens; והואהכבוד שראהיחזקאל *vehu hachauod ſceraabiechezchel; Et hæc eſt gloria, quã uidit Ezechiel*; quę fuit ille tam admirabilis thronus; & in particulari, quod erat præcipuum, & principale in illo throno eminens ſuper omnia, & quod ſingulariter viderũt illi ſeptuaginta ſeniores, & ipſe quoque propheta Ezechiel fuit; ועל דמות הכסא דמות כמראה אדם עליו מלמעלה *Vengal demuth hachiſſe; demuth chemarch adam ngalau milmanglah; Et super ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis ſuper eum deſuper*; cap. 1. 26. Quare gloria Dei Iſrael, quam viderunt Moyſes, Aharon, & filij eius, & ſeptuaginta ſenes tunc; במעמד הר סיני *bemenghamad har Synai*; in ſtatione montis Synai fuit ipſemet Deus Iſrael in ſimilitudinem, & aſpectum hominis ſtantis ſuper illum ſupremum thronum, apparens illis. Hic R. S. vel nihil dicit, vel in hoc confitetur profundum, & incognoſcibile ſecretum, dũ ſcribit; לא נתן רשות להתבונן במקרא זה *lo nithan reſhiuth leithbonan bemichra zoh; Non datur facultas intelligendi ſcripturam iſtam*. Sed omnes ſui magiſtri docent, Deum Iſrael fuiſſe, qui in illo ſublimiſsimo throno apparuit in forma, & ſimilitudine hominis, quod eſt maximum ſacramẽtum à nobis explicandum; Et propheta in fine viſionis concludit; *Hæc eſt viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*; דמות כבוד יהוה *Demuth chauod Iheouah*; ſed potiſsima, & ſuprema ſimilitudo, eſt apparitio in ſublimiſſima parte throni aſpectus hominis; ergò in ea ſimilitudine aſpectus hominis cõſiſtit gloria Domini præcipua; quã ſub eadem ſimilitudine aſpectus hominis, ſed ſenis, viderunt ſeptuaginta ſenes, vt iam dictum eſt. Itaque certiſsimum eſt illam ſimilitudinem; *ſicut aſpectus hominis*; כמראה אדם *chemarch adam*; rappreſentare Deum ipſum.

ipsum, & non creaturam; quod est maximè notandum. Et probatur ex eodem Ezechiele infra c. 10. v. 20. vbi dicit: *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxtà fluuium Chobar*, RR. confitentur, quod vidit hîc Ezechiel, esse totum opus *hamerchauah hariscionah*; quadrigæ primæ, capitis primi; sed ibi nulla fit mentio, quod Ezechiel suprà quadrigam illam viderit Deum Israel; sed solùm quod in sublimitate throni, siue currus viderit similitudinem, quasi aspectum hominis; Ergò quem hic vocat Deum Israel, capite primo repræsentatur per ly, *quasi aspectus hominis*; & sic in figura hominis apparuit Deus Ezechieli, & gloria Dei quam vidit Ezechiel in sublimitate currus, est ipsa figura, & species hominis, quæ insidebat veluti הרכב *harocheb*; eques, vector, equitans, super; *merchauah*; currum. Et hic nota, secundùm Talmudistas in tractatu Chaghigah fol. 167. col. 4. hanc visionem gloriæ Dei, quam vidit Ezechiel, esse eandem cum ea, quam Isaias c. 6. *Et vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Quidquid vidit Ezechiel, vidit quoque Isaias, dicunt ipsi*; sed Ezechiel vidit Deum in similitudine aspectus hominis; ergò vidit Isaias Deum sedentem in figura hominis; vide Moreh l. 3. c. 6. Adde, ex consensu omniũ RR., omnes Israelitas, quãdo Deus dedit legem in monte Synai, vidisse eundem currũ, & gloriam Dei, quã postea viderunt septuaginta senes, Isaias, & Ezechiel.

Sectio tertia.

Ex prædictis, & præcipuè ex Dan. c. 7. ostenditur regẽ Messiam esse Deum virum, siue hominem pugnæ.

ET vt, ad id, vnde digressi sumus, redeamus, hebræi super mare viderunt rem, quam non viderunt nec ipsi antea

in mōte Synai, neque senes, neque Isaias, neq; Ezechiel, neque vllus prophetarum; nempè, *Deum*; *Cheghibbor*; *sicut virum bellatorem*; nō in visione imaginaria, & prophetica; non ad intrà per species, & formas creatas in imaginatiua prophetarum ab ipso Deo, siue angelo; sed ad extrà viderunt Deum in forma humana corporea, materiali, & sensibili, oculis corporeis, & digito ipsum præsentem ostendendo, & visibilem, adinuicem, alter alteri, vt iam diximus, pugnātem pro eis aduersus pharaonem, vti dixerat Moyses v. 14. c. 14. יהוה ילחם לכם *Iheouah illachem lachem*; *Dominus pugnabit pro vobis*; Hinc omnes videntes oculis corporeis Deum, vt gigantem armatum pugnantem, digito præsentem ostenderunt dicentes זה אלי *zeh eli*; Iste pręsens Deus meus quem digito ostendo, quem video virum pugnantem; vocatur à nobis nobis nomine suo; *Dominus vir pugnæ, Dominus nomē eius*; Sed hoc nomine vocatur à Deo rex Messias ab ipsis RR. & vt probent Deū esse virum bellatorem vtuntur Scripturis, quæ ad litteram loquuntur de rege Messia; *vt, Accingere gladio tuo super femur. O gigas, ò vir*; Et quod caput est, & euidentissima probatio huius veritatis; ideò Deum vocari virum pugnæ; & in illis omnibus apparitionibus, in quibus, vel in formis spiritualibus, & propheticis, vel in formis corporalibus, & visibilibus humanis se exhibuit videndum; ad insinuandum, & significandum, & probandum futurum mysterium Incarnationis, idest vnionis diuinitatis cum homine in rege Messia, qui est noster Emmanuel; Cuius mysterij probatio certissima, est illa auctoritas Dan. c. 7. vbi v. 9. dicitur primò; *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*; hīc sūt saltē duo throni dicit R. S. Vn° לדין *ledin*; *ad iudicium, alter ad iustitiam*; Antiquus dierum est D. S. B.

sedens

ſedens ad iudicandum;qui Deus vocatur à R.Sengadiah איש כמראה אדם זקן *iſc chemareh adam zachen;Vir,ſicut viſio hominis ſenis;quem vocat* הבורא *habboreh,Creatorem.*

At hîc ſiſtere debemus, & inquirere ex doctrinis RR. quod propoſuimus; *Donec throni poſiti ſunt*; In duobus tractatibus thalmudicis reperio hanc Scripturam explicatam. In tract. Chaghigah c.2.fol.168.col.1.Et tract.Sanehedrin c.5.fol.105.colum.3. Vtrobique eadem verba ponuntur;*Scriptura vna dicit; Thronus eius flammæ ignis. Scriptura eadem dicit;Donec throni poſiti ſunt,& antiquus dierum ſedit*. Reſpondent לא קשיא *lo cheſcia; Non eſt difficile;* אחד לו *achad lo; Vnus thronus ei* (ideſt antiquo dierum,nempè Deo creatori,qui apparuit Danieli, ſicut aſpectus hominis ſenis;אחד לדוד *echad ledauid; Vnus Dauidi*. Hæc ſunt verba R. ngachiua. Dixit ei R. Ioſse Galilæus; *Vſqueadeò tu facis* שכינה חול *ſcechinah chol; diuinitatem prophanum*?ſed ſenſus eſt;*Vnus thronus*; לדין *ledin;iuditio;Et vnus* לצדקה *lizdachin;Iuſtitiæ*;Et hãc expoſitionẽ de duobus thronis amplectuntur;in qua traditione hæc obſcura explicantur à gloſſatoribus ibi;primò *Donec throni poſiti ſunt*;exponũt כמשמע *chemiſcmangh;Vt ſonat*;deinde שני כסאות דתקנו לישב עליהם שכינה *ſcene chiſſoth dethachenu loieſceu ngalehem ſcechinah;Duo throni præparati fuerũt,vt ſedeat ſuper eos,ſcechiua,diuinitas.* Tertiò reprehẽditur R. Achiua, quia vnũ ex his duobus thronis dedit Dauidi,q̃a hoc pacto prophanauit diuinitatẽ;ideſt, vt explicant ipſi RR. שאתה מושיב אדם או בשר ודם אצלו *ſceathah meſciu Adam,ò baſar vedam ezlo. Quia tu ſedere feciſti hominem, ſiue carnem, & ſanguinem iuxtà ipſam diuinitatem*;hoc eſt,æqualem feciſti hominem Deo;ideò hi duo throni aſſignantur ab ipſis, duobus diuinis attributis,iuditio,& iuſtitiæ;quaſi nõ verè fuerint duo throni,

duo sedilia in imaginaria visione, sed vnus tantũ thronus diuinus, qui constat ex his duobus attributis, vt ex ps. 89. צדק ומשפט מכון כסאך *zedech vmiscpath mechon chissechah*; *Iustitia, & iuditium præparatio throni tui*; sed hoc non sufficit; nam transeat quod hi duo throni significent iuditium, & iustitiam; non potest tamen negari quin verè fuerint duæ similitudines duorum thronorum, & quod in visione prophetica viderit Daniel; quod postquam positi, & præparati fuerunt illi duo throni; statim in vno *sederit antiquus dierum*; & describitur partialiter illius thronus; *Thronus eius flamma ignis*; & omnes confitētur hoc esse thronum iuditij, in quo antiquus dierum, idest Deus, & creator; quia omnia gubernat, sedet ad iudicandum; Itaque remanet alter thronus iustitiæ ibi positus vt aliquis in eo sedeat. Ergò debent hebræi assignare personam, quæ in secundo throno sedere debeat.

RR. se contorquent in varias partes; In glossa citatur R. Iochanan, dicens fuisse plures thronos, quam duos; שהכל בעצת פמליא של מעלה *scehachol benghezath phamilia scel manglah*; *Quia omnia*; idest faciat Deus; *cum consilio familiæ superioris*; Hoc axioma thalmudisticum exactè declaratur à nobis in nostro tract. de Sanctiss. Trinitate, pro nunc; si per familiam superiorem intelligit angelos, malè loquitur iste R. Primò quia Thalmudistæ nõ admittunt nisi duos thronos. Secundò quia glossa vult, esse præparatos, vt super illos duos sedeat; *scechinah*; Diuinitas, quæ solius Dei natura est. Tertiò quod sequitur in contextu ostendit, & excludit non posse esse angelos; nã dicitur quod angeli; *millia millium ministrabant ei; & decies millies centena millia assistebant*; Angelorũ non est sedere in throno; sed sicut serui, & famuli ministrare Deo, seruire Deo, assistere Deo parati ad obediendum;

Hinc nomina generalia angelorum denotant famulatum, & administrationem, vt מלאך *malach, Nuncius, Missus, Angelus*, nomen generalissimum ab operando; Hinc *Melachah; Opus*; Item שרפים *Seraphim*; accendẽtes, & inflammantes; ita Isa. 6. vocat illos angelos ignitos, quia adusserunt os eius; & Caldeus legit; *Volauit ad me vnus ex seraphim; ex ministris.* Similiter כרובים *Cherubim*; sunt angeli humanam pueri formam, & alas habentes, veluti serui præparati ad operandum, nutu Domini; sic etiam nomina singularia angelorum eandem includunt significationem ministerij, & seruitutis diuinæ; *Raphael*; medicina Dei; *Gabriel*; fortitudo Dei; *Michael*; Quis vt Deus; & ideò Michael, qui seraphinorum, & omnium angelorum Deo assistentium est princeps dicitur astare coram Deo tamquam minister non sedere in throno, tamquam Dominus, Dan. 10. 13. *Ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*; à Deo missus tamquam minister, & seruus, vt defendat Ecclesiam fidelium; & c. 12. vocatur; *princeps magnus*; quia omnium angelorum dux; attamen à Deo missus ad ministerium, & supremam præfecturam custodiendæ Ecclesiæ, vt dicitur, & explicatur c. 12. 1. *Michael princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui*. Quare iniquè R. Sengadiah, vult antiquum dierum esse Michaelem, & sedere in supremo throno sibi ipsi contradicens, supra vocans antiquũ dierũ הבורא *habboreh; Creatorem*; quod angelo repugnat; Ex qua doctrina nos cum D. Paulo ad hebr. c. 1. possumus arguere diuinitatem, & dignitatem regis Messiæ super omnes angelos; nam isti, *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis*; & probat ex psal. 104. 4. *Qui facis angelos tuos spiritus; & ministros tuos ignem vrentem.* At verò [illegible] Messiæ, vtpotè filio æquali patri secundùm diuinitatem,

tatem,

nitatem, dicit Dauid, & ei aſſignat thronum, ideſt maieſtatem, gloriam, & diuinitatem æqualem patri, pſalm. 11. *Thronus tuus Deus in ſeculũ ſeculi, virga directionis &c.* & pſ. 110. dicit illi pater; *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Conſtat ergò ſecundum thronum nullo modo poſſe conuenire angelis. Quare eadem ratione confutaretur, ſi quis diceret; ſecundum thronum poſitum, vt in eo ſedeat שכינה *ſcechinah*; exiſtimans hoc nomen; *Scechinah*; quæ apud omnes ferè hebr. diuinam Maieſtatem præſentem, & habitantem in aliquo loco ſignificat, denotare quid creatum à Deo, nempè aliquam lucem, ſiue gloriam, ſiue aliquem alium effectum prodigioſum, vt videtur docere R. Moyſes in ſuo moreh, p. 1. cap. 25. quod hæreſim ſapit, vt longè alibi oſtendo; nam quidquid ſit illud, cùm ſit creatum, & creatura, hoc erit prophanum reddere diuinitatem, non minus ac adſcribere illum thronum ſecundum, vel carni, & ſanguini, vel angelicæ ſubſtantiæ; at gloſſa modò citata RR. aſſerit illos duos thronos eſſe præparatos, vt in eis ſedeat; *Scechinah*; diuina maieſtas, diuinitas ipſa infinita, & immẽſa; non creatura, quæcumque illa ſit.

Cùm ergò thronus hoc loco metaphoricè ſignificet maieſtatem, imperium, poteſtatem iudiciariam, immobilitatẽ, & perpetuitatem; & certum ſit, quod ſicut vnus eſt Deus; יהוה אחד *Iheouah echad*; ita vna maieſtas, vnum imperium, vna poteſtas, vna immobilitas, vna æternitas conſequenter, vnus tantùm deberet eſſe thronus, & non duo. Quid ergò dicemus, ſunt duo throni, ergò duo dij, duæ diuinitates, duo imperia; & vt loquuntur thalmudiſtæ שני רשיות *Scene resciuot*; *duo principia*; Abſit; nã & ſi ſint duo throni, vnus tamen eſt qui ſedet, nempè *Antiquus dierum*; vt ipſi dicunt in gloſſa; *Throni* שנים *Scenaim*; *Duo*: ſcriptum eſt

hic;

hic; ועתיק יומין יתיב יחידאי *vengbathich iomin iethiu iechid ai; & antiquus dierum sedit solus*; nam vnus Deus, vna maiestas, vnum imperium. Ad quid ergò duo throni? vis ſcire veritatem ò Iudęe ex tuis RR. recole, quæ ante adduximus ex eorum antiquiſſimo libro Hāmechilta; & inuenies, quod explicātes hoc nomen glorioſum; *Dominus vir pugnæ*; *Dominus nomen illi*; quomodo Deo conueniat hoc nomen איש *vir, homo*; probando, quod Deus apparuit ſæpè in forma humana, adducunt iſtū tex. Dan. 7. *Aſpiciebā donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierū ſedit; veſtimentū eius &c.* dicunt, & docent; quod ex hoc loco non poſſunt gentes mundi, ideſt Idololatræ accipere occaſionem aperiendi os, ideſt blaſphemandi, & aſſerendi eſſe duo principia, duos deos; quia etiāſi ſint duo throni, qui ſedet eſt Deus, & homo, ſed vnus Deus; nam ſcriptū eſt; *Dominus vir pugnæ*; Vnus thronus Domino, alius thronus homini prout vnitus Deo; Attamen non duo principia, ſed vnum principium, vnus Deus; & ideò ſubiungit ſacer textus; *Dominus nomen eius*; Vna maieſtas, vnum imperium, vnius Dei, & hominis ſimul; & ſic R. Achiua præcipuus Thalmudiſta rectè expoſuit dicens; *Vnus thronus Deo, alius thronus Dauidi*; hoc eſt regi Meſſiæ, qui & Dauid, & filius Dauid ſecundùm carnem ſæpè vocatur; & quod ita ſit, & verus ſenſus huius glorioſi nominis; *Dominus vir pugnæ*; ſecundùm mentem RR. iſti, vt iam diximus pſ. 21. docent ꝙ D. S. B. vocat regē Meſſiā nomine ſuo; & quærētes, quodnā ſit nomen eius, ideſt D. S. & B. reſp. eſſe hoc; יהוה איש מלחמה *Iheouah iſc milchamah*; *Dominus vir pugnæ*; tria hæc nomina ſimul; Ergò Meſſias eſt Deus & homo; ſed vnus Deus; duo throni, q indicant duas naturas, diuinā, & humanam; ſed vnus ſedet, quia vnum principium, vnus Deus, & Dominus; ſed

ſimul

simul homo, & filius Dauid, qui per vnionem ad diuinitatem, habet à Deo, vt sedeat super thronum eiusdẽ maiestatis, imperij, & potestatis; sicut dixit illi Deus antiquus dierum, psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis:* Quare secundus thronus est thronus regis Messiæ filij Dauid, quatenus ex vnione cum diuinitate, quæ per RR. vnica sedet in vtroque throno, est ipsemet vnus Deus יהוה *Iheouah;* vnius, & eiusdem maiestatis, imperij, potestatis, & immutabilitatis; ad quod mysterium insinuandum duo throni positi sunt.

Hæc veritas iterum declaratur, & exponitur per aliam visionem propheticam, quæ immediatè sequitur in eodem cap. 7, Dan. & in eadem continuata visione nu. 13. *Aspiciebam ergò in visione noctis;* hoc est in eadem visione per somniũ; וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה ועד עתיק יומיא מטה וקדמוהי הקרבוהי *vaaru nghim nganane scemaia chebar enosc atheh bauad; vengad ngathich iomaia metah; vehdamohi hachreuuhi. Et ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit; Et in conspectu eius obtulerunt eum.* Omnes RR. R. Salom. R. Iesciungah; R. Abr. R. Sengadiah confitentur hunc similem filio hominis esse זה מלך המשיח צדקנו *zeh melech hamasciach zidchenu; Regem Messiam iustitiam nostram;* sed si quæras cur Messias dicatur visus à Daniele in visione imaginaria, non absolutè filius hominis, siue homo; sed cum particula similitudinis כ *caph: Sicut, vel, quasi* filius hominis; non inuenio apud RR. quid respondeant. Thalmud. in tract. Sanehedrin cap. 2. fol. 125. colum. 4. quasi per oppositionem huic Scripturæ adducunt illam Zach. 9. de rege Mesia decantatam prophetiam; *Ecce Rex tuus venit tibi, iustus, Saluatus, siue Saluator, mansuetus, pauper, equitans super asinam;* vbi describitur ve-

rus

rus homo ex prosapia regia Dauid, Rex, humilis, & pauper; si ergò Messias futurus erat verus homo, & verus filius hominis; cur Daniele dicit se illum vidisse venientē quasi, vel sicut filium hominis cum nubibus cæli? Illa .n. particula כ chaph, *sicut*, importat aliquid aliud, & connotat, præter esse similem filio hominis, aliam rem siue naturam. Respondere possunt hebræi cum aliquibus ex nostris; quia Daniel in visione non videbat verum hominem, sed tantùm speciem, & formam hominis, siue phantasma illius imaginatiuæ à Deo obiectū; ideò non dixit; *Et ecce cum nubibus cæli filius hominis veniebat*; sed, *quasi filius hominis*, & sic ly, *quasi*, siue, *sicut*, nihil aliud importat, quam negationem verificationis illum fuisse verum hominem. Verùm hæc responsio nihil valet. Nàm certum est omnium rerum, quas viderunt prophetę in visione prophetica, non vidisse illarum substantiam realem, & existentem, veluti erat, vel esse poterat extra visionē; sed tantùm illarum similitudines, & formas imaginarias; vnde etiamsi dixisset Daniel; *Et ecce cum nubibus cæli filius hominis veniebat*; pinde esset, ac si dixisset, sicut dixit, *quasi filius hominis*; Nam Daniel non vidit verum, realem, & naturalem hominem à parte rei existentem; sed illius similitudinem, & speciem in imaginatiua sua à Deo formatam; sicut dicit, quod vidit; *cum nubibus cæli*; hoc est cum similitudine nubium cæli; Cùm ergò omnia, quæ prophetæ in visione imaginaria viderunt, debeant intelligi, visa fuisse in eorum speciebus, & figuris, & similitudinibus; vndè includant dictionem similitudinis, *sicut*, *quasi*; dùm Daniel hîc non dicat; *Et ecce cum nubibus cæli filius hominis veniebat*; sed addat dictionē similitudinis; *quasi filius hominis*; videtur connotare aliquid aliud in eo, quē vidit quasi filium hominis venientem,

tem; Exēpli gratia Danielis c. 10. v. 16. והנה כדמות בני אדם *Vehinneh Chidmuth bene Adam*; *Et ecce quasi similitudo filiorum Adam tetigit labia mea*; Hoc est, quidam habens hominis ſimilitudinem; volens dicere, non erat homo, qui tetigit labia mea, ſed aliquis alius habens ſimilitudinem hominis, putà angelus Dei legatus, à me viſus in forma humana. Item Ezech. 1. v. 26. *Et ſuper ſimilitudinē throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper*; ideſt, qui ſedebat in throno habebat colorem, & apparentiam hominis; mihi videbatur videre in eo, humanā apparentiam; ſenſus eſt, non erat homo, ille Rex, qui ſedebat in throno; ſed aliquis alius qui aſpectum hominis præſeferebat; nempè altiſſimus Deus Creator omnium, & iudex, & Rex reſidens in ſolio, in ſpecie humana; quod totum includit dictio ſimilitudinis; *ſicut*; *quaſi*; iſdem ſenſus eſt in textu noſtro; *Et ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis*, ideſt, qui apparuit, & veniebat cum nubibus cæli, non erat homo, aut filius hominis, ſed ſimilis homini, humanam ſpeciem, & ſimilitudem in ſe habens; & quis erit iſte, niſi Deus, & filius Dei? Ita Lyra, *Quaſi filius hominis, Dicitur quaſi; Quia non ſolùm eſt filius hominis, ſed plus; quia eſt filius Dei.* Hæc ille, quē ſequitur Doctiſſimus Maldonatus, tangens, quod docuimus, & probauimus; *particulā ſimilitudinis, ſicut, quaſi; proptereà adhiberi, vt prater id, quod nominatur, aliquid aliud oſtendatur; & ideò cùm dicitur Rex Meſſias, quaſi filius hominis, non ſignificatur eum non eſſe hominem, ſed eſſe pluſquam hominem*; quod veriſſimum in rege Meſſia reperitur; nam quamuis in viſione prophetica viderit Daniel Regem Meſſiam, non verùm hominem, ſed in ſpecie imaginaria hominis, attamen, quia Meſſias futurus erat verus filius hominis, dictio ſimilitudinis; *quaſi*;

non tollit, quin significet ly, *filius hominis, Messiam*, esse, vel fore verũ hominẽ; sed addit esse plusquã hominem. Lyra probat suam glossam ex verbis immediatis, dicens; *Et hoc est, quod subditur. Et vsq; ad antiquum dierum peruenit; idest ad æqualitatem Dei patris in vna diuina essentia*. Hæc ille. Si ex doctrinis RR. hanc veritatem elicuisset nihil desiderari posset ad rem nostram: Duo dicit Daniele se vidisse; primum, hunc similem filio hominis ipsum ex se peruenisse vsque ad antiquum dierum, heb. textus: *Meta*; quod R.S. glossatur, הגיע *highiangh*; idest attigit, accessit proximè per contactum: appropinquauit; quasi vniuit, coniunxit se apud, & simul cum antiquo dierum, sedente super throno iudicij iudicante iniquos, ita R.S. Secundùm, quod vidit Daniel, fuit; *& in conspectu eius obtulerunt eum*; idest, & vsque ad antiquum dierum obtulerunt eum; quinam fuerint, qui appropinquare fecerunt Regem Messiam vsque ad antiquum dierum? Dicunt nostri, hos fuisse angelos ministerij supremos: confitentur RR. cum R. Sengadiah Gaon, qui in illis verbis; *cum nubibus cæli*; dicens; שיתן הבורא למשיח הם מלאכי צבא השמים זו היא רבו הגדולה *Hem Malache Zeua hasciamaim; zu hi rou haggedulah; Sceitheu Habboreh Lemasciach. Isti sunt angeli exercitus cælorum; Ista est maxima dignitas, quam dabit Creator Regi Messiæ*. Ità vocãtur omnes angeli à Deo creati: 3. reg. 22. 19. *vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitũ cæli assistentem ei*; עמד עליו *yngbomed nghalau*; *stantem iuxta eũ à dextris, & à sinistris*; pariter ps. 103. *Benedicite Dominũ oẽs virtutes eius: Chol Zeuaan: omnes exercitus eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius*; quos vocauerat; *Omnes angeli eius*; modò vocat; *omnes exercitus eius*; Et omnes ministros stantes, non sedentes, in con-

ſpectu creatoris, (qui ſolus, ſicut vnus Dominus, vnus Rex omnium, ſedet in throno ſuo) tanquam promptos, & paratos ad imperium Dei, & eius iuſſa exequendo. Modò dicunt RR. quòd hæc eſt magna dignitas Regis Meſſię, quòd veniat cum hoc Creatoris exercitu, hoc eſt cum omnibus angelis eius, qui illum veluti ſerui, & miniſtri eius comitabuntur. Hinc declaratur, quomodo iſte filius hominis dicatur, quod ipſe ex ſe peruenit vſque ad antiquum dierum; & quod obtulerunt illum vſque ad antiquum dierum; ſenſus eſt; Iſte ſimilis filio hominis, ex ſeipſo, ſua virtute, natura, & poteſtate peruenit, ſe vniuit, & coniunxit in equalitate cum antiquo dierũ, qui eſt Deus; Certè non alia ratione, niſi quatenus filius naturalis Dei, & vnius ſubſtantiæ, & deitatis ſimul cum patre, qui ratione paternitatis antiquus dierum vocatur. Vnde ex hoc probatur expoſitio Lyrani, quod ly; *quaſi filius hominis*; denotet quid amplius præter eſse hominem, nempè eſse filiũ Dei, ex hoc quod ſequitur in textu; *Et vſque ad antiquum dierum peruenit*; attigit, ſe vniuit, & coniunxit; ad æqualitatem Dei patris in vna eſsentia. Quòd verò ſubditur: *Et obtulerunt eum coram antiquo dierum*. Senſus eſt, vt docet R. Sengadiah, & Lyranus, & noſtri; quia nubes cæli, qui ſunt exercitus cælorũ, ideſt, omnes angeli, veluti miniſtri, & ſerui, comitabuntur eum, honorem illi ſupremum exhibẽdo, veluti Regi ipſorum; deducent veluti famuli hunc ſimilem filio hominis, hoc eſt Regem Meſſiam filium Dei, & filium hominis ſimul, deducẽt, inquam, honoris, ſubiectionis, & ſeruitutis, gratia, ad antiquum dierum; ideſt ad patrem æternum, vt ab ipſo accipiat quatenus filius hominis, Regnum omnium ſæculorum æternum cęli, & terrę, angelorum, & hominũ, & poteſtatem, iudicium facere; & ſic illud; *Et vſque ad antiquum dierum peruenit*; denotabit in Rege Meſſia di-

uinitatem

uinitatem, quia filius est Dei patris; & illud: *Et in conspectu eius obtulerunt eum*; humanitatem, quà filius hominis, sed prout vnitam diuinitati; Et hæc est magna dignitas Regis Messiæ, venire cum nubibus cæli, associatum, obsequutum ministerio omnis exercitus angelorũ. Et notandum, quod dicunt RR. Deum creatorem daturum forè hãc dignitatem Regi Messiæ: Si quæras ab eis, quę sit hæc dignitas, antiqui Theologi illorum, & aliqui ex iunioribus, confitentur hanc dignitatem esse, quod sit Dominus, & Rex super illos constitutus, quatenus homo, à Deo patre, à quo accepit regnum, & imperium omnium creaturarũ cælestium, & terrestrium, vt statim dicemus. Ità inuenies in libro Ialcuth super cap. 52. Isaiæ ver. 13. *Ecce intelliget seruus meus* זה מלך המשיח *Zeh Melech Hamasciach; iste est Rex Messias; exaltabitur*, plusquam Abraham, *& eleuabitur*; plusquam Moyses; *& sublimis erit valde*; plusquam angeli ministerij: & fuit semper veterum hebræorum traditio, & fides, celsitudinem Regis Messiæ his Isaiæ verbis pręferri suprà omnem dignitatem, & eminentiam Abrahami, Moysis; Patriarcharũ; & angelorum omnium, quatenus, & secũdùm formã hominis, siue serui, vt alibi, si Deo placuerit, ostendemus contrà insipidum R. Abrabaniel; Quòd verò hæc celsitudo Regis Messiæ suprà omnes angelos ea sit, quia illorum fuit ab antiquo dierum constitutus Rex Dominus, & iudex, probat euidenter R. Sengadiah citatus, exponens illud prædictum: *& vsque ad antiquum dierum obtulerunt illum*: sic declarat כרכתיב *Chedichthiu*; secundùm quod scriptum est; נאם יי לאדני שב לימיני וגו׳ *Neum, Iheouah, ladoni, sceu, limini; & cætera; Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis*. Quid clariùs, bone Deus; quid ab hoste fidei, in comprobationem eiusdem, quam oppu-

oppugnat, veritatis dici potuit, validiùs, & fortiùs, perinde ac si diceret; ꝙ vidit Daniel hunc similem filio hominis peruenisse ad antiquũ dierũ, & coram eo oblatum fuisse, est idem penitus, quòd in Spiritu sancto prædixit Dauid de Rege Messia; *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis.* Quod est dicere; Dominus Deus fecit sedere ad dextram suam Dominum meum Regem Messiam, id est constituit eum Regem, & Dominum omnium creaturarum, & angelorum, quorum est, veluti ministri, & serui, semper assistere, & stare ad obediendum, & seruiendum; cui enim angelorum aliquando dixit Deus; *sede à dextris meis*; Quod est dicere; sis mecum in eodẽ throno, vnus & solus thronus Dei, & Messiæ ęqualis in maiestate, imperio, regno, & potestate super omnes creaturas, soli regi Messiæ hoc competit: Ergo non vt simplex & tantùm homo; sed, *sicut filius hominis*; sed simul filius Dei naturalis eiusdem essentiæ, & diuinitatis cum patre: Totum enim hoc mysterium includitur in illa dictione similitudinis, quasi; *Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.*

Et vlterius significatũ fuit symbolo illorũ duorum thronorum; vt suprà docuimus; sicut enim vnus est Deus, ita vna Maiestas, vnum Regnum, Imperium, & vna potestas, quę significatur per thronum; sed duo throni ponuntur, vt significaretur, quod Rex Messias futurus erat Deus & homo, filius Dei æqualis patri in diuinitate; & vt talis sedẽs ad dexteram patris in vna maiestate, imperio, & potestate super oẽs angelos, illorũ Dominus, & Rex; quod clarissimum remanet ex sequenti versu Danielis 14. *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient; potestas eius, potestas æterna; quæ non auferetur, & regnũ eius, quod non corrũpetur.*

Om-

Omnes RR. conueniunt dicentes Regnũ Regis Mefsiæ non auferetur; neque corrumpetur עד נצח נצחים *nghade neẓach neẓachim; in perpetuas æternitates*; quod est dicere tàm in præsenti sæculo, quàm in futuro, quod erit sæculũ æternitatis: sed tale regnum solius Dei est: *Regnum tuũ, regnum omnium sæculorum*. Ergò in tota æternitate, & non solùm in hoc sæculo, sedebit Rex Mefsias in throno maiestatis Dei Rex, & dominus omnium angelorum, & hominum.

Sectio Quarta.

Ponderatur Scriptura Danielis de duobus thronis, & illorum mysteria explicantur.

VErùm, vt propius tandem ad nostrum subiectum accedamus; maximè aduertere debemus doctrinam allatam Thalmudistarum circa illos duos thronos, præparatos, vt super eos sederet diuinitas, quod vnus afsignatur iudicio, idest, Deo creatori antiquo dierũ, æterno, cui conuenit omnia iudicare, sicut omnia creauit; Alter thronus afsignatur לצדקה *lizdachah*; idest, *iustitiæ*; R.S. in sua glofsa in hoc loco Danielis huic traditioni, addit; אחד לצדקה לישראל *Achad lizdachah leisrael*; *Vnus iustitiæ Israelis*; idest, secundus thronus, est thronus iustitiæ Israelis; & dicit, quod antiquus dierum sedit super thronum primum iudicij ad iudicandum regnum istud, idest quartæ bestiæ, quia irritauit, & afflixit filios suos; Verũ nõ explicat, quomodò secũdus thronus sit thronus iustitiæ Israelis; sed si ambas Thalmudistarum expositiones consideremus, apertè cognoscemus iustitiam Israelis esse Regem Mefsiam, docet R. Achiuah, secundum thronum esse pofitum לדוד *ledauid*, *Dauidi*, ideſt Regi

Mefsiæ

& faciet iuditium, & iustitiam in terra; ועשה משפט וצדקה *Venghasah misepat lizdachah baarez*; ita Isa. 9. 7. *Vt corroboret in iuditio, & iustitia*; ergò illi duo throni positi ad iuditium, & iustitiam faciendam in terra, erunt throni in quibus sedere debebat rex Messias totius mundi rex, & Monarcha; ergò erit Deus, & homo, filius Dei, & filius Dauid, hoc est apertè illud, quod dixit Dauid psalm. 32. *Deus iuditium tuum Regi da; & iustitiam tuam filio regis*; idest thronum tuum iuditij, & thronum tuũ iustitiæ, quibus vniuersum mundum moderaris, & iudicas regi Messiæ, da, vt ipse sit in toto mundo Rex, iudex, & monarcha omnium; ergò rex Messias erit Deus, & homo, filius Dauid, & filius Dei; Nam isti throni sunt solius diuinitatis; Mysterium quod agnouerunt antiqui RR. dum docent Deũ ipsum tot vicibus se reuelasse patribus, & prophetis in similitudinem hominis; & præcipuè super mare rubrum visus est ab omnibus hebræis oculis corporis; & digitis illorum ostensus in forma hominis, siue viri, vel gigantis pugnantis aduersus pharaonem. Vnde omnes vocauerunt eum Deum virum, siue hominem pugnæ; *Dominus vir pugnæ, Dominus nomen eius*; dum docent hoc nomine, sicut in principio vidimus, nominari à Deo ipso regem Messiam; *Dominum Virum pugnæ*; & quod nomen regis Messię, quo nominãdus erat à populo Israel erat hoc prædictum in Ieremia; *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum; Dominus iustitia nostra*. Quare rex Messias vocatur à Deo suo hoc nomine; *Dominus uir bellator*; quia futurus erat Deus, & homo simul, sed bellator; & vocatur ab Israel; *Deus iustitia nostra*; quia Deus in carne humana pugnare debebat contra omnes infernales potestates, pro salute, iustificatione, & redemptione spirituali animarum à peccato, & perditione æterna; & ideò

à Deo ipso imponitur illi nomen hęc omnia portendens; *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædã;* hoc est; *Dominus vir pugnæ.*

Et quod ità verè sit accipe Iudęe à tuis Thalmudistis in citato libro Mechilta; quid tandem concludant, & exponant circa hoc nomen gloriosum; *Dominus vir pugnæ; Dominus nomen eius;* tamquam sit vera, & germana huius nominis expositio, dicẽtes; *Possibile ne est dicere hoc modo? Dominus vir pugnæ? nequaquam; cùm scriptum sit Ierem.* 24.23. *Nonne cælum, & terram ego impleo;* quasi dicant; Non videtur posse dici de Deo; *Dominus vir pugnæ;* quia eius infinitas, & immensitas, quà Deus, est vbiq; & replet sua diuinitate cœlum, & terram; hoc loquendi modo restringitur, coarctatur, & limitatur per ly; *vir;* quasi diuinitas, essentia diuina, *Iheouah*, in humanitate absorbeatur; si ita est; cur, & quid significare vult, quod dicitur; *Dominus vir pugnæ; Dominus nomen eius;* Introducunt in eorum responsione ad dubium, & difficultatem, ipsum Deũ sic loquentem; *Propter peccatum vestrum, & propter sanctificationem vestram: Quoniam præparabo nomen meum in vobis;* quod dictum est Osee 2.9: כי אל אנכי ולא איש *chi el anochi velo isc; Quoniam Deus ego, & non vir;* quã Osee auctoritatem non debebat relinquere Galatinus.

Non enim est contraria veritati, immò multum illi fauet, quem vide lib. 3. c. 22. vt infra patebit; Volunt docere RR. mysterium, & secretum huius nominis gloriosi; ideò dicit Deus, nomen meum est hoc; *Dominus vir pugnæ;* Vocor Deus, & homo bellator simul à populo meo; quia vidit me oculis corporeis in similitudinem viri & hominis bellantis pro eis aduersus pharaonem in mari rubro; hoc non sufficit, aliud sacramentum, & secretum includit hoc nomen meũ gloriosum; *Dominus vir pugnæ;*

&

& hæc mea apparitio visibilis in forma, & similitudine hominis, vel viri, quod est hoc; Ego Deus, & homo simul; Ego Deus, in carne humana homo fiam; *propter peccatũ vestrum, & propter sãctificationem vestram*; homo factus pugnabo, belligerabo contrà peccatum vestrum, & pharaonem infernalem, idest contrà satanam, & mundum, & malam concupiscentiam vestram, vt vos ab illorum tyrannide liberem, & eripiam; vt sanctificem, & iustificem animas vestras à peccato. Hîc aduertendum est, vt clariùs percipiatur hæc secreta antiquorum RR. theologia; Intentio illorum est, quòd Deus vocatur homo, siue vir belli à Moyse, & populo Israelitico; מפני *mippene propter peccatũ vestrũ*; חבתכם *chauotbechem*; ומפני קדושתכם *vmippene chedusciathchem*; *& propter sanctificationem vestrã*; & quod est consideratione dignũ, Deũ ipsum ità respondentem Israelitis, inducunt; quare erit sensus; Ideò me vobis oculis vestris verum Deum in forma hominis pugnantis contra pharaonem, ostendo visibiliter, vt notificem vobis, quòd propter peccatum vestrum auferendũ, & propter iustificationem vestrã operandam; *præparabo nomen meum in vobis*; hoc est, ego ipse Deus, qui Deus sum, & non homo, siue vir; homo fiam verus; ego ipse *Iheouah*, qui Deus sum, & nõ homo, assumam carnem, & naturam humanam, veram in sua naturalitate; itaut verè & realiter; non apparenter, & per similitudinem, sicuti nũc me videtis oculis vestris in forma hominis; sim verus Deus, & verus homo simul; & hoc promitto, & intendo significare, dùm dico; *Quoniam præparabo nomen meum in vobis*; quibus verbis reddit Deus rationem, & modnm, quo, erit in futuris temporibus; *Dominus homo pugnator*; ad delendum peccatum Israel, & illius sanctificationem operandam; *Quoniam* (inquit) *præparabo nomen meum in*

vobis; ideſt meipſum, diuinitatem meam in vobis; hoc eſt in humanitate, & carne veſtra ità præparabo, & conſecrabo mira, & ineffabili vnitate, & ſocietate, vt ſim & Deus, & homo ſimul, pugnator, pugnans pro vobis ad deſtructionē peccati veſtri, & ſimul ſanctificem vos Deus in vobis, Deus in carne veſtra, Deus, & homo; עמנואל *nghimmanuel*; *Emmanuel*; *vobiſcum Deus*; Saluator, redemptor à peccato, & reatu veſtro, pugnans aduerſus ſatanam, & ſerpentem illum antiquum; ab illo auferens ſpolia animarum veſtrarum; *voca nomen eius*; *Accelera ſpolium, feſtina prædam.*

In confirmationem huius veritatis, & expoſitionis myſterij huius glorioſi nominis; *Dominus Vir pugnator*; adducunt RR. locum Oſee 2. 9. *Quoniam Deus ego, & non homo*; quem locum prætermiſit Galatinus; quia in apparentia concludit oppoſitum traditioni ipſorum RR. prædictæ; nam quomodo concluditur, & probatum manet, ly; *Dominus Vir pugnator*; Deum eſſe hominem poſſe dici, vt ipſi loquuntur; תלמוד לומר *thalmud lomar*; *doctrina ad docendum*; ſiue; *doctrina hoc docet*; poſſe dici; *Dominus Vir pugnator*; *Dominus nomen eius*; *Propter peccatum veſtrum, & propter iuſtificationem veſtram*. *Quoniam præparabo nomen meum in vobis*; ſed ſi hæc præparatio diuinitatis in hominibus eſſe debet ratione vnionis, & ſocietatis ipſius diuinitatis cum humanitate noſtra, vt vera ſit illa propoſitio; *Dominus homo pugnæ*; nec alia imaginari poteſt; & hanc eſſe mētem RR. conſtat, certè debebant adducere Scripturam affirmatiuè concludentem, & dicentem; *Quoniam ego Deus, & vir*; non negatiuè affirmantē; *Ego Deus & non Vir*; Huic difficultati poſſet aliquis dicere, à modernis perfidis RR. ablatam fuiſſe auctoritatem affirmatiuè, & conformiter ad prędictam doctrinam concludentem,

dentem, vti alibi fecerunt; vide tract. 1. p. 1. fol. 428. & ſuppoſuiſſe hanc adductam; *Quod dictum eſt*; *Quoniam Deus ego, & non vir*; quod ſi ità eſſet, nimis apertè deſtruerent mentem ſuorum Doctorum. Ideò reſponderi poteſt illa verba Oſeæ; *Quoniam ego Deus, & non homo*; ſumenda eſſe eo ſenſu, quo dicuntur à Deo in Oſea; ibi enim promittens Deus, quod non diſperdet, ſiue annihilabit Ephraim de terra, ſicut annihilauit Adamah, & Seboim &c. vt promiſſionem ſuam firmaret irreuocabilem & immutabilem dixit; *Quoniam Deus ego, & nō vir*; ideſt, vt exponit R.S. non eſt naturæ meæ vt boni pœniteat; eo ſenſu quo Num. 23. 19. dixit Balaam ſpiritu diuino afflatus: לא איש אל ויכזב *lo iſc el vichazeb*; *Non homo Deus, ut mentiatur; & filius hominis, vt mutetur*; ſiue; *vt pœniteat*. Ita in re noſtra. Dum Deus à populo hebræo viſus in forma humana, vocatur homo; *Dominus vir pugnæ*; Et exponunt thalmudiſtæ hoc poſſe dici, Deum eſſe hominem; quia propter peccatum hominum, & propter illorũ iuſtificationem Deus ipſe præparabit nomen ſuum, ideſt diuinitatem ſuam in eis, quod eſt maximum, & ſupremũ bonum; vt autem oſtenderent, & firmarent eorum expoſitionem, & Deum ab hac ſua promiſſione nunquam defecturum, hoc adducunt ex ore Dei teſtimonium; *Quoniã Deus ego, & non homo*; ideſt, vt mētiar, vt deficiam ab hac promiſſione, quin præparem nomen meum in vobis, itaut ſim verè; *Dominus homo pugnator*; ſed quamuis homo, ſemper Deus; *Dominus nomen illi*; ſit alia expoſitio; Intentio RR. hac Oſee auctoritate, eſt explicare propoſitum myſterium Dei, & hominis; *Dominus vir pugnator*; itaut ſit ſenſus; quem in ſimilitudine hominis, & gigantis viderunt hebræi pugnantem contrà pharaonem, & vocauerunt eum; *Dominus vir pugnæ*; nō erat vir, ſed in ſpecie

viri

viri apparuit; & sic verum dicit Deus; *Ego Deus, & non homo*. At verò si mysteriũ quæritur, quod includunt illa verba; *Dominus vir pugne*; nempè quia Deus ob peccatũ hominum, & illorum iustificationem præparabit nomen suum, suam diuinitatem in hominibus; verè Deus, qui nõ est homo, fiet homo; & Deus homo, quod est, quod dicitur; *Dominus vir pugnator*; operabitur salutem humanã; erit sensus; *Quoniam ego Deus, & non homo*; idest qui modò sum tantùm Deus, tunc fiam homo; & ero Deus simul, & homo; & verificabitur illa propositio; *Dominus homo pugne*; & quia hoc mysterium vnionis diuinitatis cum humanitate fiet sine vlla læsione diuinitatis; ideò subiungitur; *Dominus nomen illi*; hoc est, illi; *Dominus vir pugnator*; illi, qui est Deus, & homo simul pugnator, saluator, salutis humanæ auctor, est hoc nomen proprium, *Iheouah*, idest est verus Deus in natura humana, verè Emmanuel, Deus nobiscũ in carne nostra iustificans nos ab omni culpa, & peccato; Et qs est iste nisi rex Messias? & ideò antiqui sapientes iudæorum per traditionem acceperũt à prophetis, & antiquissimis eorum chabalistis, siue theologis, regẽ Messiã à Deo vocari suo hoc nomine; *Dñs vir pugnator*; idest Deus, & homo simul saluator. Et tali nomine eum vocauit illa eximia, & augustissima הנלמה *hangalmah*; *virgo*; quæ virgo concepit, & virgo peperit filium, Deum & hominem simul, quem ideò ipsa, vti tanti mysterij conscia, vocauit hoc nomine עמנואל *nghimmanuel*; nobiscum Deus verus homo in carne humana fortis bellator aduersus hostes infernales; quo secundo nomine insignitur à Deo patre suo, dicente ad Isaiam; *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædam.*

Sectio

Sectio Quinta.

Multò fortiùs, & euidentiùs ostenditur ex RR. & & scripturis. Hoc gloriosum nomen; Dominus vir pugnator; *esse nomen proprium Regis Messiæ, qui est Emmanuel Deus & homo Saluator salute animarum æterna.*

IN libro *Scemoth rabbah*; parasciah 23. legitur; *Transeūtes mare; Vnusquisque videre fecit alterum digito suo, & dixit* זה אלי *zeh eli; Iste Deus meus*. Certè in similitudine hominis, vt supra docuerunt: *Dixit eis D. S. B. Israeli in isto sæculo dixistis coram me vna vice tantùm;* זה אלי *Zeh Eli; Iste Deus meus* אבל *Aual; At verò in tempore futuro* (idest in diebus Messiæ) *vos dicetis hoc verbū* ב פעמים *beth pangamim; duabus vicibus;* שנ ואמר ביום ההוא הנה אלהינו זה קוינו לו ויושיענו זה יהוה קוינו לו *scenecmar, Isa. 25. 9. Veamar haiom hauhinneh elohenu zeh chiuinu lo, veioscin ghenit zeh Ihcouah chiuinu lo; Quod dictum est; Et dicet in illa die; Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit no, iste Dominus, sustinuimus eum*. Hæc ibi. Quæ prophetiæ Isaiæ ab omnibus RR. antiquis, & modernis intelligitur adimplenda in diebus Messiæ, & loquitur de illa magna salute, quam sperant, & expectant fiendā fore à rege Messia, qui saluabit, & liberabit omnes Israelitas ab ista captiuitate; ita R. D. Sed, quid volūt docere RR. dum dicunt, quòd in prima salute, & liberatione à captiuitate pharaonis transeuntes mare, videntes Deum in similitudine hominis pugnantem contra Egyptios, ipsum digito ostendentes, dixerunt vna tantùm vice; *Iste Deus meus*; At verò in hac vltima salute, & liberatione, quam

ex-

expectant, duabus vicibus dicent; *Iste Deus noster*; *Iste Dominus saluabit nos*: Equidem hoc dicturi sunt, quia etiam eo tempore visuri sunt eundem Deum in forma humana visibili, & corporea operātem illorum salutem, & liberationem; sed cur in prima liberatione vna tātum vice dixerunt; *Iste Deus meus*. At in hac futura secunda liberatione, dicent duabus vicibus; *Iste Deus noster*, *&* *saluabit nos*; *Iste Dominus, sustinuimus eum*; *Exultabimus & lætabimur in salute eius*; quam ipsemet operabitur. Nihil respondent ad hoc, *in scemoth Rabbah* RR. At alibi ingenuè fatentur significatum, & mysterium; & in præcipuis libris irrefragabilis doctrinæ illorum; Et primò *in medrasc thillim*; *expositionis psalmorum*; psalm. 49. in illo versu; כי זה אלהים אלהינו *chi zeh elohim elohenu*; *Quoniā hic est Deus, Deus noster*; vbi citātur quatuor antiquissimi, & sapientissimi apud illos RR. R. Chalbo. R. Berachiah. R. Eleazar. R. Chanina; qui omnes itā tradiderūt hanc chabalam; & theologiam à prophetis Spiritusancto illuminatis acceptam prædicti Dauidici versus; עתיד הקבה לעשות חילה לצדיקים לעתיד לבא והקבה חל עמהן והן מראין לו באצבע שנ הנה אלהינו זה קוינו לו וגו *ngathid hathadosc baruch hu, langasoth chelah lizadichim lenghathid lauo, Vehachadosc baruch hu chel nghimaen, Vehen marein lo beezbangh, sceneemar hinneh elohenu zeh chiuinu lo*: *Futurum est, quod* D.S.B. *faciet gyrum, circulum, iustis, tempore venturo*. *Et* D.S.B. *gyrans, circumiens cum illis*; *&* *ipsi demonstrabunt illum digito*; *Quod dictum est*; *Ecce* Deus *noster iste*; *Expectauimus eum, & saluabit nos*; *Iste* Dominus, *sustinuimus eū*. hęc ibi. Eadem traditio, sed cū aliqua mystica variatione reperitur in Thal. tract. תענית *thanganith*; *ieiunium*; c. 4. in fine; *In futurum* D.S.B. לעשות מחול *langasoth*

machol; Facere chorum in horto Eden iustis, & ipse sedebit in medio eorum; וכל אחד ואחד מראה עליו באצבעו *Vechol echad veechad marehngalau beezbbango; Et vnusquisque demonstrabit eum digito suo; quod dictum est; Et dicet in illa die; Ecce* Deus *noster iste expectauimus illum, & saluabit nos.* Quæ doctrina RR. apertè ostendit mysteriũ Incarnationis Verbi Dei; Quomodo enim populi possũt dicere; *Ecce* D*eus noster iste*; oculis ipsum Deum videndo præsentem, & digito ipsum demonstrantem, nisi Deus esset verus homo in carne humana visibili, & corporea, & naturali? Et quomodo iterum eum vocat, & digito demonstrat præsentem hoc articulo demonstratiuo זה *zeh, iste*; & nomine soli Deo vnico, & proprio יהוה *Iheouah; iste* D*ominus*; nisi ille, quem oculis videt, & digito demonstrat præsentem esse verum hominem, non esset etiam verus Deus? Hoc certè est illud secretum quod quærebant RR. paulò ante; Cur Israelitæ eo tempore, quo liberati à captiuitate pharaonis, vidẽtes oculis, & digito ostendentes Deum in specie viri pugnãtis pro illis super mare aduersus pharaonem, dixerint vna tantùm vice; adde, & in numero singulari; זה אלי *zeheli; Iste Deus meus*; At verò tempore futuro, hoc est in diebus regis Messiæ; dicent duabus vicibus; *Iste, iste*; Ratio differẽtiæ est, quia, quem Deum tunc, tempore Moysis, videbant in specie humana, & virili pugnantem, & saluantem illos ab exercitu pharaonis, non erat verus homo, sed solam hominis bellantis speciem oculis illorum ita limitatè præseferebat, vt ipsam & oculis videre, & digito demonstrare potuerint præsentem; à longè tamen, & in aliqua gloria, & maiestate, & paruo temporis interuallo; ita quod nulla intercesserit familiaritas, conuersatio, & cohabitatio Dei sub hac forma viri pugnantis, cum populo Israel; itaut

possent dicere; *Iste Deus, Deus noster*; ideò solus Moyses dixit; *Iste Deus meus*; & populus expressit illam, quam oculis videbat, & digito demonstrabat, viri pugnantis similitudinem, sub qua diuinitas ipsa latebat, dicens: *Dominus vir pugnator*; verum Deum confitens esse sub illa viri specie; *Dominus nomen eius*; At verò tempore regis Messiæ, quando ipse faciet illam magnam salutem omnium Israelitarum, quæ erit, dicunt Iudęi, sine vlla comparatione, & æstimatione, multò maior, & admirabilior prædicta liberatione ab Ægypto; tunc duabus vicibus, populi saluati à rege Messia, dicent hoc verbum; non quod dixit Moyses, זה אלי *zeh eli*; *Iste Deus meus*; sed quod prædixit Isaias; *Ecce Deus noster iste*; & ante ipsum Dauid propheta ps. 49. *Quoniam hic est Deus, Deus noster*; אלהינו *elhenu*; Verùm vlterius, vt quē dicent prima vice; *Ecce Deus noster iste; expectauimus eum, & saluabit nos*; idest iste est Deus noster, quem videmus nostrum saluatorem in carne nostra humanatum, & verum hominem factum; quia erit simul verus Deus, secūda vice dicemus; זה יהוה *zeh Iheouah*; *Iste Dominus, expectauimus eum, lætabimur, & exultabimus in salute eius*; itaut sit sensus; tempore regis Messiæ, qui est ille saluator, qui saluabit nos, quia erit verus homo filius Dauid ex nostra carne, & ossibus, & videbimus eum oculis nostris, & digito ostendemus, & conuersabimur cùm eo; & ipse vti verus homo ambulabit, habitabit, loquetur, comedet, operabitur, & familiariter tractabit nobiscū; ideò prima vice dicemus; *Ecce Deus noster iste*; quem Messiam regem videmus nostrum, hoc est humanitate nostra indutum, & præsentem cernimus oculis nostris, & digito demonstramus saluatorem nostrum; *Et saluabit nos*; à nobis tot sæculis speratum; *& expectauimus eum*; vt sciatis non esse solum, &

purum

purum hominem,vti blasphemāt iuniores hebræi,& hæretici;sed simul in humanitate assumpta,vt filium Dauid, ex eius posteritate, verū Deum in sua infinita diuinitate; propter hoc confitendum, & credendum, dicemus secunda vice יהוה זה *zeh Iheouah*; *Iste Dominus*; Iste est ille verus Deus,solus,infinitus,immensus,æternus,qui vestitus,non similitudine viri,vti apparuit super mare rubrū; sed vera carne humana nostra corporali,tangibili, mortali, & passibili, factus verus homo, erit saluator noster, operabitur salutem nostram spiritualem, & æternā,& in ista eius salute erit lętitia nostra,& exultatio nostra;*letabimur,& exultabimus*;בישועתו *bisciungatho*;*in salute eius*;

Hanc veritatem apertè docent RR. in prima traditione, dum dicunt, quòd Deus S.B. ipse est חל *chel*; est vallum, murus, antemurale, & propugnaculum Ierusalem, hoc est saluator,& salus omnium fidelium. Et hac ratione, vt omnes fideles demonstrent illum talem præsentem, digito; quod non potest verificari, nisi in humanitate assumpta. Et ideò,vt illum esse verum hominem, & verū Deum simul scirent, & crederent omnes iusti, & fideles; oculis,& digito duplici vice (asserit Propheta,& docent illi RR.) vocabunt istum saluatorem hac dictione relatiua,& demonstratiua rei præsentis loco, & tempore,זה *zeh*,*iste*;duplici inquam vice; *Ecce iste Deus noster*; *Deus homo factus*;& *iste Dominus*, *Iheouah*; verus, & infinitus Deus,operans in humanitate nostra assumpta,ipse Deus sua infinita essentia, & personalitate, salutem æternam animarum. Sed operator huius salutis,nullus expectatur à Iudæis,nisi rex Messias; ergò rex Messias erit; *Iste Deus noster:expectauimus eum:* Verus homo ex semine Israel; *erit iste Dominus Iheouah*; verus,vnicus,solus,& infinitus Deus,saluator Israelis;Clariùs docent,& explicant RR.

hoc mysterium in secunda traditione, dum dicunt, quòd D. S. B. ipse faciet choręam in paradiso delitiarũ, iustis, saltabit, ludet; Et ipsemet tamquam in medio, & centro iustorum sedebit; ita ut vnusquisque illorum oculis corporis non solùm videat ipsum Deum trepudiantem; sed etiam digito suo demonstret illum esse præsentem visibilem, & palpabilem, vt dicere possit; *Ecce Deus noster iste;* operãtem salutem omnium; *Et saluabit nos;* quod nequit esse nisi confiteamur regem Messiam esse verum Deum, & hominem simul, hominum saluatorem, nobiscum Deum in carne humana, & redemptorem; quod totum cõtinet, vt sæpè dixi, hoc nomen suauissimum, *Emmanuel.*

Sectio sexta.

Prosequitur idem argumentum, & probatio, quæ desumitur ex Leuitico cap. 26. 12. ostendens duritiem cordis, & perfidiam Iudæorum, qui neque Moysi, neq; prophetis, neq; tandem illorũ sapientibus credere volunt.

INter omnia bona, & benedictiones à Deo promissas populo Israelitico Leuit. 26. illud est maximum bonum, & suprema benedictio; præsentia videlicet, & assistẽtia suę diuinitatis cum eodem populo, maxima cum familiaritate; *Et ambulabo in medio vestri;* siue vt legit vulgatus; *inter vos; Et ero Deus vester; vosque eritis populus meus;* Non potest negari quin Deus his verbis promittat Israelitis, legem suam obseruantibus, suam pręsentiam, diuinitatem, & gloriam illi perpetuò assistentem, quam exhibuit Deus, tàm in tabernaculo, quàm in templo; nam hoc disertis verbis versu antecedenti 2. promiserat Deus;

Et ponam tabernaculum meum in medio vestri; vbi RR. omnes זה בית המקדש *zeh beth bamichdasc*; *Ista est domus sancta*; hoc est templum; sed non sufficit; nam cùm verissimè dicat R. Moyses Gerundensis, has benedictiones esse נסים *nassim*; prodigia, signa, & mysteria, ex signis occultis, & mysterijs, quibus tota lex plena est; aliud, & altius significatum signant, & includunt ista Dei verba; *Et ambulabo in medio vestri*; והתהלכתי בתוככם *vehithhalacthi bethochechem*, promittit Deus his verbis altissimum secretũ inclusum in hoc sacratissimo nomine עמנואל *nghimanuel*; loquitur de aduentu, & fœlicissimo tempore regis Messię; promittit seipsum fore verum hominẽ in regę Messia, & in corpore humano ambulaturum, & loquuturum cum hominibus, illos docentem nouam legem; in medio illorum commoraturum, ad salutem omniũ patrandam. Porrò, quod Deus his verbis promittat fœlicissima tempora regis Messiæ in diebus eius; docet R. ille magnus S. qui explicans illa verba eiusdem cap. 5. 9. *& respiciam vos, & crescere faciam*: adducit traditionem suorum antiquorum sapientũ, qui in libro תורת כהנים *thorath chobanim*; *lex sacerdotum*; omnes ibi relatas benedictiones non referunt ad fœlicitatem, & multiplicationem bonorum temporalium illius sæculi legis Mosaycę, in terra promissionis, quamuis, quoad corticem litteræ, hic sensus suum habet locum; sed multò veriùs, & potissimùm exponunt, & referunt ad bona spiritualia, in tempore regis Messiæ. Qui sapientes proposita similitudine illius; qui soluit mercedem operarijs, sic docent; *Dixit D. S. B. Gentes mundi, istæ fecerunt mecum opus paruum*; & *ideò do eis*; שכר מועט *secher mungath*; *mercedem paruam* (quæ sunt fœlicitates, diuitiæ, & regna terræ) *Verùm vos* חשבון רב *chescbbon rau*; *Summam, computum* ma-

magnum ego לעתיד *lengathid; tempore futuro regis Messiæ computabo vobiscum;* ideò *dictum est;* Et *respiciam vos, & crescere faciam vos &c.* Et quod totum intelligatur de diebus Messiæ clariùs explicant RR. ex verbis subsequentibus; *Et firmabo pactum meum vobiscum;* & dicūt; *Non sicut pactum primum, quod irritum fecerunt illud; quod dictum est; Quoniam ipsi fregerunt pactum meum; & ego dominatus sum eis dicit Dominus. Sed pactum nouum* אלא ברית חדשה *ella berith chadasciah; quod non frangetur ex tunc; quod dictū est;* Ierem. 31. 32. 33. ideò, *Ecce dies veniunt dicit Dominus; et statuam cum domo Israel, & cum domo Iuda pactum nouum;* vbi omnium consensu est sermo de diebus Messiæ, & non indiget probatione; quare illa maxima benedictio, & beneficium à Deo his verbis promissum; Et *ambulabo in medio vestri;* in diebus Messiæ adimplendum erat. Confirmatur ex verbis illis Dei; *Ponam tabernaculum meum in medio vestri; & non abijciet uos anima mea* ולא תגעל *velo thigngal; nō respuet, non spuet, non abhominabitur anima mea;* Cald. *Verbum meum.* Prædicti Doctores hebræorum sic exponunt; משאני גואל אתכם שוב איני מואס בכם *misceani goel ethchem sciuu eni moes bachem; Ex quo ego redemptor vester, siue redimam ego ipse vos, amplius ego non abijciam, non abhominabor vos.* Quod eueniet in diebus Messiæ, cùm duabus vicibus redempti fuerint, & semper iterum à Deo abiecti fuerint; & præcipuè in hac præsenti desperata captiuitate. At in diebus Messiæ, quia non caro, & sanguis, sed Deus ipse; בעצמו *bengazmo;* vt ipsi loquūtur; idest in propria sua essentia, & substantia erit saluator, & redemptor eorum; ideò in æternum non amplius illos abijciet. Ergò omnia prædicta bona; *Ponam tabernaculū meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea;* Et

am-

ambulabo in medio veſtri; non promittũtur à Deo adimplenda eſſe tẽpore legis Moſaycæ in terra promiſsionis; ſed tempore regis Meſsiæ,& eius nouæ legis per vniuerſum orbem.

At verò inter omnia bona, quæ Deus hîc promiſit, ſupremum,optimum,& diuiniſsimum bonum eſt hoc; *Et ambulabo in medio veſtri*. Certè niſi vt ſaluator,& redemptor noſter tamdiù expectatus. Ecce noſter Emmanuel. Ecce Deus nobiſcum in carne humana factus homo,qui in humanitate noſtra verus Deus, viſibilis oculis noſtris, audibilis auribus noſtris, oſtenſibilis digitibus noſtris, nobiſcum habitat,cõuerſatur,ambulat, loquitur,docet, bibit,comedit,quieſcit,fatigatur,eſurit,patitur vulnera, flagella,ſpinas,clauos,crucẽ,mortẽ,& mirabilia opatur.

Audiamus ſapientes illos inter heb.primores. Quid dicãt. *Et ambulabo in medio veſtri; exemplificauerunt exemplo hanc rem. Simile eſt Regi, qui egreſſus eſt ad ambulandum cum Hortulano ſuo in horto.* Et *iſte Hortolanus abſcondebat ſe à conſpectu eius. Dixit ei Rex huic hortulano: Quare te* ממטר *mithammar abſcondis à facie mea?* הריני כיוצאבך *Hareni Chaiozebecha*. Ecce *ego ſimilis tuĩ ſum: Ita futurum eſt,quod D.S.B. ipſe ambulabit cum iuſtis in horto voluptatis tempore futuro* (hoc eſt tempore regis Meſſiæ) *& iuſti venient, & contremiſcent à præſentia eius*. Et *D.S.B. ipſe dicit illis iuſtis: Quare vos contremiſcitis à facie mea?* הריני כיוצאבכם *Hareni Chaiozebachem*: Ecce *ego ſimilis vobis; Poſsibilcuè eſt, vt non ſit timor meus ſuper vos? Vult dicere. Et ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum; Si non vos creditis mihi omnia verba iſta:* E*go Dominus Deus veſter; qui eduxi vos de terra Ægypti*. Ego *ipſe,qui feci vobis ſigna in Ægipto;* Ego *ipſe, qui in futurum* שעתיד לעשות לכם כל הנסים הללו *ſcegathid*

gathid langhasoth lachem chol hannassim hallalu. *Faciam vobis omnia signa, & miracula ista*. Hæc illi. Quæ chabalah, eadem refertur in libro Ialcuth folio 196. col. 3. eodem loco Leuitici: *& ambulabo in medio vestri*. Vbi reduplicatur illud: *Ecce ego similis vobis sum*; sequitur אז לפי שאני כיוצא בכם יכול לא יהיה מוראי עליכם *'Az lephi sceani Chaioze bachem; lachol lo ibeieh morai ngalechem; Tunc ne, eo quia; ego similis sum vobis, possibile erit, non sit reuerentia mea, timor meus super vos?* quę reduplicatio magis confirmat mysterium: Deinde magnus ille R.S. suos doctores antiquos sequutus exponit illud; *Et ambulabo in medio vestri*; sic עמכם בגן כאחד מכם *Nghimmachem; began ngheden cheachad michem; Ambulabo vobiscum in horto delitiarum, sicut vnus ex vobis*; Et illud. *Ego Dominus Deus vester*, sic exponit: כדאי אני שתאמינו בי *chedai Ani, scethaaminu bi. Sufficit; Ego; vt credatis mihi*; sequitur in sua glossa; *quia possum facere omnia ista; cùm eduxerim vos de terra Ægypti, & fecerim vobis signa magna*. Hæc ille. Ex quibus deducimus, quòd Deus promittendo ista mirabilia fienda ab eo, tempore regis Messiæ, cùm superent omnem capacitatem, & virtutem creatam; & ideò solùm possibilia, & solius diuinæ eius omnipotentię reseruata, requirit à nobis fidem, vt credantur; & hac de causa proponit nobis, vt credantur, suam infinitam potentiam, & manum fortissimam, quàm ostendit palàm in operatione signorum, & miraculorum, quæ fecit educendo Israel de Ægypto, dicens; *Ego Dominus Deus vester*; vbi R.S. ponderans tantùm ly אני *Ani; ego*; dicit כדאי *chedai; sufficit*; vt credatis prodigia, quæ promitto; vos scire, quòd ego sum, qui loquor, qui promitto, ille omnipotens, & fortissimus Deus, qui adimplebit hæc admirāda, & prodigiosa promissa.

missa. Prӕterea aduertendum est, phrasim illam Caldaicã כביצא בך *chaioze becha; similis tui; bahem illis; bo, ei;* denotare participationem qualitatis, siue naturӕ eiusdẽ in vtroque eorum, qui similes dicũtur, ita explicatur terminus similitudinis Caldęus כ, *Chaph; quasi;* כיצא *ioze, egrediens in eo, in eis &c.* eiusdem naturӕ, eiusdem qualitatis, quasi eadẽmet res vtriusque; eodem sensu Gen. 2. *Dixit Deus, faciamus ei adiutorium simile illi;* כנגדו *chenegdo*; certè secundam naturam humanam rationalem specificam, nam, visis ab Adam cunctis animalibus, cum quibus conueniebat in genere animalitatis, dicit sacer textus v. 20. *Adӕ verò non inueniebatur adiutor similis ei;* in natura specifica hominis; vnde illud; *simile illi;* intelligitur in similitudine eiusdem naturӕ humanӕ cũ Adam; quӕ similitudo in natura explicatur à Hierosolymitano paraphraste hac dicendi forma Caldaica כד נפיק ביה *cad naphecb beh; veluti egrediens in eum;* quӕ est eadem formula, ac prӕdicta *chaiozeh bo*, idest similis in natura tamquam ipsemet, cui assimilatur; ita etiam loquuntur RR. quando adducunt duo textus Scripturӕ similes in re eadem significata, eiusdem sensus, & naturӕ, & qualitatis, *chaiozeh bo.*

Modò ex apertissima doctrina, & traditionę tuorum sapientum (quam de fide tenes, & iactaris, quòd ipsi in monte Synai à Moyse acceperunt; & prӕcipuè illam chabalam legis Mosaycӕ, quӕ eiusdemmet legis secreta, signa, & miracula docet, inter quӕ prӕcipua sunt, quӕ tetigimus) quomodo Iudӕe potes negare altissimum Dei Incarnationis sacramentum, quin illud velis nolis, confitearis ab illis apertissimis verbis declaratum in illa Dei promissione; *Et ambulabo in medio vestri;* hoc est; ego Deus factus similis vobis, verus homo, eiusdem naturӕ, & speciei hu-

manæ, sicuti estis vos homines, in corpore humano, vero, naturali, mortali, & passibili, ambulabo, loquar, habitabo vobiscum; & equidem quomodo Deus ipse videri visibiliter ab oculis nostris, demonstrari visibiliter, & præsentialiter à digito nostro; ambulare nobiscum, familiariter côuersari cum iustis, in medio iustorum similis illis, tamquam vnus ex illis ducere choreas, trepudiare cum illis, sicut Rex in horto suo solet, oblitus suæ regiæ Maiestetis, deliciari, & tractare cum suo seruo infimo rustico, nisi factus similis nostri, factus verus homo, formam serui accipiens, & inueniatur vt homo, idest verus homo.
Hoc miraculorum omnium maximum promittit Deus, quod faciet tempore regis Messiæ prædictis verbis; *Et ambulabo in medio vestri*; in ipsomet rege Messia, qui est noster; *Emmanuel*; idest Deus nobiscum, Deus, & homo simul, Deus ipse, בעצמו *benghazmo*; in propria essentia, qui in humanitate nostra assumpta ambularet, qui loqueretur, qui habitaret in medio nostri, & nobiscum, ita vt verè visibiliter, ipsum oculis corporis videndo, & digitis demonstrando, & manibus tangendo, & contrectando; verè, inquam, omnes iusti, & fideles duabus vicibus possent dicere, digitis illum sibi inuicem alter alteri ostendendo; *Ecce Deus noster isti*; *Noster*; quatenus verus homo, verè similis nostri, in humanitate nostra mortali passibili, & tangibili. Et iterum verè dicere; *Iste Ihouah Dominus*; quia simul verus Deus in sua essentia, & substantia propria infinita, quæ solo hoc nomine vnico; *Ihouah*; explicatur; ita confitendo in rege Messia duas naturas, diuinam, & humanam, verè, & substãtialiter esse vnitas, & colligatas. Quid dicis? quod non capis, quod non apprehendis quomodo hoc fieri possit? uerum dicis, hoc enim mysterium, Deum fieri hominem, excedit om-
nem

nem creatam capacitatem;sed non Dei omnipotentiam infinitam,qui illud promittit se facturum; *Et ambulabo in medio vestri.* Crede Deo perfide, crede tuis sapientibus,qui fidem in hoc mysterio,& non naturalem intelligentiam à te exigũt; *Ego Dominus Deus vester;* sufficit hoc pronomen אני *ani; ego;* vt credatis mihi, quia qui in Ægypto feci vobis signa magna, tempore regis Messiæ, ero potens, & volens facere hæc omnia, quæ promitto nunc, quod, *Ego ambulabo in medio vestri;* ego verus Deus factus verus homo, uobiscum ambulabo, conuersabo,habitabo. Crede oraculo diuino Isa. c. 7. vbi domui Dauid promittitur, quod Deus ipse sua infinita fortitudine,& sapientia, non creatura, non homo, nõ angelus; sed ipsemet Deus faciet, & dabit hoc mirabilissimũ signum,& prodigium; *Propter hoc dabit Dominus ipse* יהוה הוא *Iheouah hu; vobis signum; Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen eius Emmanuel;* de quo satis supra. Verùm quia non credidistis, neque nunc creditis; ideò à Deo maledicti nullam habetis, neque habebitis permanentiam in hoc mundo,neque in futuro, in æternum damnati.

Ad hanc,& superiorem traditionem antiquorum RR. tam euidentem,& claram,reperi in commentarijs R. Bechai hoc loco Leuitici hanc responsionem;*Omnes has benedictiones, & bona, quæ Deus Israeli promittit, intelligẽda esse* רוחנית ולא גופנית *Ruchanith velo guphaniit; spiritualiter, & non corporaliter; et præcipuè quod hoc dictũ: Et ambulabo in medio vestri:* אין להבין אותו יעודי הגוף אלא יעודי הנפש לעולם הבא: *en lehauin otho iengude haghuph; ella iengude hannephesc lengolam abbah; Non est intelligendum hoc, constitutiones corporis; sed constitutiones animæ in mundo venturo;* vult dicere; promittendo Deus,quod ambulaturns sit in me-

dio nostrum; nō debet intelligi, quod corporaliter Deus sit futurus verus homo, sicuti nos sumus; & ipsum actiones humanas, & corporeas exercere, sicut nos homines mortales, & passibiles exercemus, & operamur; sed totum debet intelligi secundùm dispositiones, & constitutiones animæ, hoc est, spiritualiter, intellectualiter; & hoc in mūdo futuro, post resurrectionem mortuorum, in gloria, & beatitudine. Et ideò sequitur R. Bechai, dicens; *Et exposuerunt RR. nostri bonæ memoriæ in loco isto; Et ambulabo &c. & dixerunt; futurum est, ut D. S. B. ipse ambulet cum iustis in paradiso voluptatis, & gloria eius in medio eorum; & sensus est, quod assimiletur;* השגת התענג *hasigath bathanganugh; apprehensio delitiarum animarū;* למחול *lemachol; Cymbalo, quod est* עגול *nghaghul; rotundū; quia rotunditas non habet principium, neque finem; Ita illæ delitiæ sunt infinitæ; Et quia circulus semper gyrat circa centrum, siue punctum; ideò dicit; & gloria eius in medio eius; & ita meminit hic; In medio vestri; Quoniā assimilat Israel Cymbalo, & seipsum puncto; & postquam dixit; Et ambulabo in medio vestri, dixit; & ero vobis in Deum; Et hoc est, quod dictum est â RR.* וכל אחד ואחד מראה לו באצבעו שנאמר הנה אלהינו זה *Vechol echad veechad mareh lo beezbbāgho sceneemar hinneh elohenu zeh; Et vnusquisque demonstrabit illum digito, quod dictum est; Ecce Deus noster iste;* Quæ verba RR. & Isaiæ sic prosequitur explicare; *metaphora proximæ cognitionis, & apprehensionis;* והשגה *vehahassaghah; sicuti ille, qui habet cognitionem socij sui, & ipse probat illum, & cognoscit illum ad extra;* vult dicere iste R. quod in illis verbis; *Ecce Deus noster iste*; est simile, & idem prorsus, quod est cognitio, siue apprehensio, quam aliquis habet in mente, de socio suo, quem iam cognouerit, viderit sæpius, & expertus fuerit oculis corporeis;

poreis;& ideò subdit, se magis declarans; *Et non est intelligenda:* לשון זה *lescion zeh; ista phrasis, siue modus loquẽdi* (puta huius dictionis זה *zeh, iste;* ממש *mamasc; simpliciter, et propriè iuxtà rem existentem corã, & in oculis hominis;* אבל *aual; sed hoc est secũdũ significatũ, quod dictũ est Exo.* 32.1. Surge fac nobis deos, qui nos præcedant, Moysi.n. huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti; כי זה משה האיש *chi zeh mosceh haisc; Quoniam iste Moyses vir: siquidem iam ante habuerant cognitionem illius, putà sensibilem, corporalem, visibilem, & tangibilem illius præsentiæ, & personæ; & tamen non erat tunc præsens cum eis;* (& tamen vtuntur hac dictione demonstratiua propriè rei pręsẽtis; זה *zeh, iste;* quia erat præsens in cognitione, & apprehensione mentali eorum) sequitur R. *Et explicatur hic* שכר עולם הנשמות *secher ngolam hannesciamoth; præmiũ seculi animarum; & miscuit illud, sacra scriptura in vniuersitate constitutionum corporearum. Et innititur super intellectum eius, putà intelligentis, qui sciat intelligere illa spiritualia, videlicet de medio illarum, putà rerũ corporearũ;* Hæc ad verbum fideliter translata ex isto R. Bechai, lectori meo iudicaui proponenda, vt iudæorum iuniorum voluntariè excæcata illorum mens, & perfidia illi planè innotescat, & manu tangat, quam sint veritatis osores, vtpotè qui, nec RR. suorum antiquissimorũ traditioni acquiescũt, immò illam peruertunt, & pęnitùs negant; & totum, ne nostrum Emmanuelem regem Messiam esse verum Deum, & verum hominem; & hunc Iesum Nazarenum ex Virgine matre conceptum, & natum, fateri cogantur.

Sectio

Sectio septima.

Ostenditur, hanc R. Bechai responsionem esse falsam, & contrariam doctrinæ allatæ Thalmudist.

PRimò, quia non loquitur Scriptura, neq; RR. de sæculo futuro post finem mundi in beatitudine æterna; qui status beatitudinis, vocatur à RR., & ab ipso עולם הבא *ngolam abbah*; *sæculum, siue mundum venturum*; sed loquitur Scriptura de tempore, & diebus Mesiæ; quod tempus ordinariè & vniuersaliter significatur à RR. hac phrasi; לעתיד לבא *lengathid lauo*; idest; *tempore futuro*; (quo nomine non potest rectè vocari mundus venturus post resurrectionem mortuorum, & finem huius mundi; cùm illa mensura non sit tempus, sed æternitas; sicut eodemmet nomine rectè vocantur dies, & sæculum regis Mesiæ, quia mensurabitur tempore vsque ad finem mundi) Verùm RR. apertè vtuntur hac phrasi, dum dicunt, vt supra; *futurum est, quod D. S. B. ipse ambulabit cũ iustis in horto voluptatis*; לעתיד לבא *lengathid lauo*: *ad tempus venturum*; ergò omnia prædicta intelligunt de diebus Messiæ, & non de sæculo venturo post mortem.

Obijcies cũ R. Eliau in suo Thiscbi fol. 162. quod apud RR. non potest assignari הפרש *hephresc*; discrimen inter dicere לעולם הבא *lengholam habba*; *In sæculo venturo*; & לעתיד לבא *lengathid lauo*; *in tempore futuro*; cùm confundant hos loquendi modos; Respondeo cum ipsomet R. Eliau, apud RR. vtraque phrasis aliquãdo confunditur; itaut; *Vtramque* זה וזה *zez vozeh*; *potest dici de die indicij, siue de diebus Messiæ*; & verè ita est, vt in exemplis ab eo adductis constat; sed arguo tùm ex scripturis, tùm ex doctrina allata ab ipsis RR. quod per ly לעתיד לבא *lengathid lauo*;

lauo;tempore futuro;intelligant dies Messiæ;ex scriptura eadem; *Et firmabo pactum meum vobiscum*; illam exponunt,vtsupra vidimus,cum Ier.31.*Et statuam cum domo Israel, & cum domo Iuda pactum nouum*; omnes RR.quod erit in diebus,& sæculo Messiæ,vide paulò supra;& probatum reperies per ipsosmet RR. Omnia ista promissa, & miracula fore adimplenda à Deo in hoc mundo,& nō in futuro. In hoc tempore,& non in æternitate;in diebus Messiæ,& non post resurrectionem mortuorum, & diem iudicij;in paradiso terrestri,huius mundi,& non in cælesti supra cælum empireum; ambulabit Deus factus homo nobiscum;Præterea dicunt RR.quòd;*iusti videntes Deū ambulantem in medio eorum,pauebunt,contremiscent,fugient,abscondent se à præsentia sua*. Sed quomodo hæc exponi possunt anagogicè de statu, & sæculo beatitudinis æternę in paradiso cœlesti,cùm in illo statu fælicitatis repugnent esse timores,tremores,& fugæ; ibi .n. nullus timor,immò summa securitas,& tranquillitas;quomodò territi,& pauidi abscondent facies suas, ne videāt Deū; immò summa alacritate,& securitate,confortati lumine gloriæ; *Et in lumine tuo videbimus lumen*; totis viribus audacter figent oculum mentis eorum in illam infinitam & gloriosissimam essentiam diuinam. Vlterius inducūt RR.Deum ipsum loquentem iustis,& dicentem;*Ecce ego similis vobis*; quanam ratione exponas, quod Deus in beatitudine fiat,& sit similis iustis non video;cùm potius iusti fiant similes Deo,videndò facie ad faciem eius diuinitatem.Item subdit Deus,& repetit interrogādo iustos; *Tūc cō quia ego ero similis vobis;poterit nō esse timor meus super vos?* idest non me timebitis, ne me offendatis, non erit cultus meus, & obseruantia legis meæ à vobis mihi omni reuerentia exhibita; hoc enim significat vox מורא

morah

morai;timor,cultus,& reuerentia, quæ Deo exhibetur in obſeruantia legis diuinæ; & quem habet homo ne offendat Deum;Quæ interrogatio negatiua affirmat & auget, quòd negare videtur;& eſt ſenſus,ex eo,quòd ambulabo & habitabo in medio veſtri ſummopere me timebitis; quia tunc ego Deus homo factus; *Ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum*;ideſt perfectiſsima religione, cultu,& pietate adorabitis me, credetis, & ſperabitis in me, legem meam, & voluntatem meam perfectè adimplebitis. Quæ nullo modo conueniunt, immò ſunt omninò aliena à ſtatu beatorum in ſæculo venturo æternitatis;vbi nulla lex,nullus cultus,nullus timor; ſed amor, & fęlicitas immutabilis æterna. Confirmatur hæc ratio, quia loco citato Ier. 31. 32. 33. *Statuā cum domo Iſrael &c.pactum nouum in diebus Meſſiæ*; ſubdit Deus eadem verba,quæ hic in Leuitico; *Et ego ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*; quæ habent prædictum ſenſum; Ex quibus omnibus euidentiſſimè patet, RR. illos doctiſsimos accipere illam phraſim לעתיד לבא *lengathid lauo* non pro ſæculo beatitudinis animarum in paradiſo, ſed pro ſæculo,& diebus Meſsiæ in terra.

Secundò idem pęnitùs probatur ex ſacris Scripturis,quas & RR. illi, & R.Bechai adducunt; nam loquuntur de diebus Meſsię apertiſsimè;& de illa ſalute,& redemptione, quam ipſi adhùc expectant, vt liberentur ab iſta captiuitate. Dicunt RR. & fatetur R.Bechai,quòd,*tempore futuro ambulabit Deus in medio noſtrum,& nobiſcum factus ſimilis noſtri ſicut Rex homo ſimilis eſt in natura humanitatis Ruſtico ſuo,* vt hoc probent, adducunt ſcripturam Iſaiæ 25.9.*Et dicet in die illa;Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluabit nos. Iſte Dominus, ſuſtinuimus eum; exultabimus,& lætabimur in ſalutari,ſiue ſa-*

lute

lute eius. An ista intelligi debeant dicta de statu beatitudinis post mortuorum resurrectionem post Iuditium & finem huius mundi in paradiso cælesti. An de diebus Messię in hoc mundo, tempore, & paradiso terrestri, hoc est Ecclesia fidelium; Ostendit primo ly: *Et dicet in illa die*; Quæ sit ista dies; vel dies temporalis, vel dies æternitatis. Certè ista dies est illa, de qua suprà immediatè dixerat v.7. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos; & telam, quam orditus est super omnes nationes.* Caldæus Ionathæ: *Et absorbebũtur facies;* רבא דרב *Rabba derau; Dominatoris dominantis super omnes populos; & facies regis regnantis super omnia regna.* Ista Scriptura, cùm sequenti versu, quia optimè conducit ad cognitionem, quàm principaliter indagamus; ob quem videlicet finem venturus erat Rex Messias in mundum, ideò quàm par est indiget declaratione; quàm à R.D. accipiemus.

Et primò ly: *vinculi colligati;* הלוט *Haloth:* nomen est, operimẽtũ; *colligati*, participiũ est, *opertũ*: siue *operiēs*, siuè *ocultans*; quia inuoluti, & ocultati sunt, in eo tegumento omnes populi, vsque ad diem istum; quò erunt כולם *chullam, omnes populi* בשלוה *beschalue; in felicitate* בשררה *Vuserirah; & in imperio; Exterminabit Deus illud operimentum, & erunt discooperti; & absconditi* לרעה *lerangah, ab iniquitate, quæ venit super eos, & non erit eis operimentum;* ומחסה *Vmachsseh: & tegumentum ex ea iniquitate;* medietas versus; *& telam, quã orditus est;* est repetitio eiusdem, & diceres ex hebræo; *& operimentum coopertum, siue expansum.* Hæc ille. In hebræo non exprimitur qui hoc vinculum colligatum, siue operimentum operiens orditus sit, & expanderit super omnes populos, & super omnes gentes, quem mirè innuit

Caldæus, vt infra. RR. hic non explicant quid sit hoc vinculum colligatum; etsi est iniquitas, vt exponit R.D. quæ sit in specie ista iniquitas, & quomodò Deus exterminabit illam; eam auferendo à faciebus omnium populorum, & nationum terræ. R.D. sic prosequitur explicando illud: *præcipitauit mortem in sempiternum:* בלע *billangh*; propriè, *deglutiuit, pro deglutiet; destruet, et auferet mortem* מיתה מקרית לא מיתה טבעית *mithah michrith; lo mithah theuangbith; mortem accidentalem, sed nō mortem naturalem*; idest; *occisionem, (quia interfectores fuerunt ipsæ gentes in captiuitate) tunc auferet istam mortem; & lachrimam, quæ fuit super omnes facies, idest super omnem faciem populi Israel, qui planxerunt in captiuitate semper propter mala, quæ fecerunt eis gentes; Tunc absterget Deus istam lachrimam desuper facies eorum. Quia non erit eis amplius tribulatio.* v.8. *& dicet in die illa; populus meus dicet in die illa;* בשיראו התשועה הגדולה *Chasceiran hathescìungah haghedolah; Cùm viderint illam salutem magnā;* Ecce Deus noster iste, הנה אלהינו זה *Hinneh Elohenu zeh;* Expectauimus illum בגלות *baghaluth, in captiuitate, vt saluaret nos,* הנה הוא *hinneh hu, Ecce ipse saluabit nos,* וכל זה במלחמת גוג ומגוג *vechol zeh bemilchamath Gog vmagog Et totum hoc in bello Gog vmagog.* Hæc R.D.R.S. fideliter translata, quos sequuntur omnes iudæi iuniores. Sed verè super corda eorum positum est vinculum colligatum, tegumentum, & velamen cæcitatis, & perfidiæ illorum, nolentes intelligere verum, & apertum sensum scripturarum, quin potius falsis, & repugnantibus glossis, eum obnubilant, & corrumpunt, in quod sæpissimè peccat fidei Christianæ accerrimus hostis ille R.D. Kimchi, vt præcipuè videri potest hoc loco; Nam cùm Scriptura dicat, & ipse fateatur, quod hoc tegumentum

sit

ſit ſuper omnes populos,& gentes,ideſt,quo omnes populi velati,cooperti,& obuoluti sũt,& ipſe declaret hoc operimentum eſſe רעה *rangab*; iniquitatem,ſiue malitiã, quæ venit ſuper eos, ideſt ſuper omnes populos terræ; paulò infrà reſtringit hanc רעה *rangab*: ad ſignificandum malum pœnæ,quod eſt afflictio,& miſeria,quæ prouenit à Deo puniente; non verò malum culpę, quod eſt iniquitas,& malitia,quæ procedit ab homine peccãte,ideſt peccatum; Et vlterius reſtringit ad ſolum populũ Iſrael, dicens; quod *Deus abſterget omnem lachrimam,quæ fuit ſuper omnes facies,ideſt ſuper omnem faciẽ populi Iſrael; qui planxerunt in captiuitate ſemper,propter mala* מרעות *Mebarangboth; quæ fecerunt eis gentes*; Certè in duobus contradicit Scripturæ; quæ cùm affirmet hoc vinculum colligatum,hoc tegumentum, ſiue telam eſſe expanſam ſuper omnes populos,& nationes terræ;quęcumque illa ſit hæc tela,ſiue afflictio, & miſeria corporalis,ſiue malũ culpæ,quæ eſt malitia animæ,culpa,videlicet, & peccatum; cùm affirmet R. D. quod Deus exterminabit hoc vinculum colligatum, & telam ab omni facie, & omnes populi diſcooperientur à Deo ab hac tela, ideſt לרעה *lerangab,à malo*; Ergò non ſolùm Iſraeliticus populus, ſed omnes populi, & gentes terræ liberabuntur ab hoc tegumento, ſiue malo,quodcunq; illud ſit; Deinde pariter perfidè errat; cùm ſubdat Scriptura, *auferet Dominus Deus lachrimã ab omni facie* מעל כלפנים *mẽgal chol panim, deſuper omnium facierum*;Certè oĩum populorũ, & nationum prædictarum (lachrimæ enim, & miſeriæ humanæ ſunt partes huius mali, ſiue vinculi colligati) ipſe reſtringit ad ſolum populum Iſrael; Vlterius errat exponendo illud; *& deglutiet mortem in perpetuum*; de morte accidentali in populo Iſrael, quatenus non amplius

plius occidentur iudæi à gentibus, ſicut prius in captiuitate; cùm loquatur Scriptura de morte animæ, & corporis omnium gentium, vt ſtatim videbimus. Nunc ſufficit colligere ex dictis contra R. Bechai; cùm omnia prędicta adimplenda ſint in hoc mundo, tempore belli Gog & Magog, quo rex Meſſias veniet, vt ipſi ſupponunt pro fidei illorum articulo, & ipſe operabitur ſalutem hanc magnam temporalem, nempè liberationem à præſenti captiuitate, occidendo Gog, & Magog. Tunc in illo die dicet populus ſaluatus, & liberatus; *Ecce Deus noſter iſte*; ergò iſta verba non ſunt intelligenda de ſæculo venturo poſt mortuorum reſurrectionem; ſed de ſęculo, & diebus regis Meſſiæ, qui cùm futurus erat ſaluator ab hac illorũ captiuitate; tunc populi videntes eum ſaluatorem, iſtãq; magnã ſalutem, & ſe eſſe redemptos, & ſaluatos, dicent; *Ecce Deus noſter iſte*; ideſt iſte rex Meſſias, qui ſaluat nos, qui abſorbet mortem; qui abſtergit omnem lachrimã; qui aufert opprobrium noſtrum, quem videmus oculis noſtris, & digito præſentem verũ hominem, ſicuti & nos demonſtramus; *Deus noſter eſt*; & ne putaretur, illos vocare Meſſiam Deum hoc nomine אלהים *elohim*; quod nomen etiam creaturis tribuitur; ſed quem oculis videbant verum hominem, eſſe quoque verum Deum in natura, & eſſentia diuina; ideò non ſolùm diuinitatis nomine vocatur à populis, ſed etiam illi nomini diuinitatis additur dictio demonſtratiua præſentiæ ipſius realis diuinæ naturæ, in eodem verò nomine rege Meſſia, dicens propheta, & populi ſaluati; זה יהוה *zeh Iheouah*; *Iste Dominus, hic Deus*; ideſt verus homo, & verus Deus ſaluator; Et equidem, ſi hæc omnia prædicta; de vinculo colligato præcipitando, hoc eſt auferendo; de morte deglutienda in æternum; de lachrymis abſtergendis ab omni facie,

om-

omnium populorum, & nationum; & de opprobrio tollendo; de tempore Messię sunt intelligenda, vt ipsi, & eorum magistri docent; cui possunt conuenire omnia prædicta mirabilia, & prodigiosa nisi regi Messiæ tamquam vero saluatori, & redemptori? & sic regem Messiam in illa die vocabunt populi ipsũ; *Ecce Deus noster iste; iste est Iheouah*; Dicas mihi Iudęe, quomodo in illa die populi saluati, & redempti à rege Messia poterunt dicere; *Ecce Deus noster iste*; & iterum; *Iste est Iheouah*; si Messias nõ est Deus noster; si Deus non est? Ad quid vti his signis demonstrationis, & ostensionis; si non possunt ostendere digito, nec videre oculo quem præsentem ostendunt, & vident. Tandem opponamus chimericæ expositioni allatæ à R. Bechai, suos Thalmudistas, qui in tractat. פסחים *pissechim*; *Claudi*, c.6. fol.93. col.1. adducẽtes Zach. c.8. illa verba; *Hæc dicit Dominus*; *Adhuc sedebunt senes, & vetulæ in Ierusalem*; & exponentes de diebus regis Messiæ, vt sup. p.2. latè ostendimus; hoc sensu, quod iusti resuscitabunt mortuos sicut tempore Eliæ, & Elisæi; in probationem huius veritatis; afferunt hoc Isaiæ vaticiniũ; *Et præcitabit mortem ad victoriam &c.* neque in tota doctrina Thalmudistica, reperitur quod prędicti versus Isa. & præcipuè iste; *Ecce Deus noster iste*: exponatur anagogicè de æterna beatitudine; sed semper de diebus Messiæ saluatore, & redemptore; Ergò expositio R. Bechai, quod sit intelligendus non corporaliter, sed spiritualiter; ita vt hoc dicendi modo; *Ecce Deus noster iste*; significetur præmium sæculi animarum, est penitus falsa, vt potè, quæ destruit germanum sensum Scripturæ, Thalmudistarum, & RR. omnium expositionem.

Ad obiectionẽ, quã adducit ex lib. Exo. 32. p. כי זה משה האיש *chizeh mosce baisc*; *Quoniam iste Moysis vir*. Vulg. *Moysi*

enim

enim huic viro; vbi dictio demonstratiua; *zeh*; *iste*; non denotat rem existentem,& stantem ante faciem, & oculos hominis, sed tantùm in mente,& imaginatione;nam Moyses supra altitudinem mõtis Synai, iam multis diebus aberat occultus, & inuisus à populo. Respondeo cũ grammaticis, dictionem זה *iste*; aliquandò esse tantùm relatiuam, vt quãdo vsurpatur pro re absente,vt in exẽplo adducto; aliquandò verò relatiua, & demonstratiua simul, siue personæ,siue loci, siue temporis, & præcipuè, & semper,quandò cũ ea dictione;*zeh iste*;ex duobus vnũ simul reperitur; vel quod ly: *zeh*; postponatur in fine, vt ps.74.*mõs Syon iste* הר ציון זה *harztion zeh:in quo habitasti.* Prou.23. *Audi patrem tuum* זה *iste genuit te*; vel cùm illi præponitur aduerbium demonstrandi הנה *binneh;ecce*; 3.reg.19.6. והנה זה מלאך *Veinneh zeh malach, & ecce iste angelus tetigit eum; & dixit ei, surge &c.* Cùm ergò in textu nostro dictio ista: *zeh, iste*, sit coniuncta his duab. conditionibus, & præcedat eam illa particula demonstratiua; *Hinne,ecce*; & ipsa sit, non solùm postposita,sed in fine orationis posita; *Ecce Deus noster iste*; nullo modo potest sumi tãtùm relatiuè pro persona,& re absente; sed necessariò pro persona præsente oculis illorum,& ꝙ demonstratiuè ostentet illam digito; quæ duæ conditiones,cũ ambæ deficiant in scriptura adducta à R.Bechaij pro sua vana imaginatione, nam ly *zeh*: non est in fine, sed in principio versus; non illi præcedit particula; *ecce*: Ideò tantùm relatiuè ponitur: & erit sensus; *Quoniam ille Moyses; ille vir*; & vanè ab eo adducitur. Respondeo secundò cum Thalmudistis citatis ab illo Mag.R.S. & ipso R.Bechai; certè hoc loco sui oblitus est:qui citatum versum Exodi exponẽtes,quomodò populus appellauerit Moysem absentem, & ferè quadraginta diebus

abſconditum in nebula ſupra altiſſimum iugum montis Synai hac dictione, *zeh; iſte*; tanquam realiter, & perſonaliter præſentem; *Quoniam iſte Moyſes*; ſic exponunt; *quod Satan adduxit in aere tenebras; & mixturam, id eſt, turbinem; & fecit apparere Iſraelitis* דמות מטתו *demuth mittbado, ſimilitudinem lecti ſiue pheretri Moyſis; & in ipſo pheretro* כמין דמות משה הראה להם השטן *chemin demuh moſce, birae laem Haſatan, ſicut ſpeciem ſimilitudinis Moyſis fecit apparere eis Satanas; et deferebatur in aere firmamenti cæli, & ipſi videntes Moyſis ſimilitudinem putantes eſſe ipſummet perſonaliter præſentem dixerunt; Quoniã zeh; iſte Moyſes*; Hæc illi, non ſine ſuo ſignificato.

Concludamus ergò tandem, quod propoſuimus in principio, & deinceps huius ſectionis, ſecũdùm doctrinam omnium Thalmudiſtarum; quod ſicut populus Iſrael in liberatione à ſeruitute Egypti, ita vidit Deum ipſum in forma, & ſimilitudine viri pugnantis aduerſus pharaonem, vt vnuſquiſque alter alteri digito oſtenderit verè, & realiter præſentem; & dixerit; *Iſte Deus meus, & glorificabo eum*; & qualẽ vidit, ita vocauit, nempe Deum hominem pugnæ; *Dominus vir pugnator*, *Dominus nomen illi*, pariter, & multò excellentiùs in ea liberatione, & ſalute, quã ipſi adhuc expectant temporalem, & terrenam, nempè a ſeruitute regnorum, quibus ſeruit, & ſubiugata eſt tota gens Iſraelitica; videntes oculis proprijs Regem Meſſiã eorum ſaluatorem, & redemptorem, duabus vicibus exclamabunt; *ecce Deus noſter iſte*; ipſum verum, & realẽ hominem præſentem eſſe digito demonſtrãtes; & iterũ; *Iſte Dominus Iheouah*; ipſum regem Meſſiam eſſe ſimul Deum verum in ſuamet ſubſtantia diuinitatis digito oſtendentes; Qui Deus & homo ſaluabit, & liberabit, non ſolùm gentem hebræam, ſed omnes populos, & om

nes

nes nationes terræ, non à seruitute regnorum, & regum terræ; sed à seruitute, peccati, mortis, & gehennæ; quibus Satanas regnat, & dominatur omnibus populis: Quę salus spiritualis, æterna, & animarum describitur in prædictis nostri Isaiæ verbis, & modò breuiter explicabimus.

Sectio Octaua.

Explicatur prædicta Isaiæ Scriptura, & ostenditur finem aduentus Regis Messiæ fuisse spiritualem, nempè salutem animarum à tyrannica seruitute Satanæ, peccati, mortis, & damnationis æternæ.

ET *præcipitabit in monte isto* בהר הזה *bahar hazeh*: omnes expositores per montem istum; quem propheta demonstrabat præsentem digito tunc temporis, intelligũt, vel montem Syon; quia ibi congregabuntur omnes gẽtes ad bellandum contra Ierusalem, vt RR. vel montem Oliueti qui imminet valli Iosaphath, vt aliqui ex nostris; Veritas est, quod Propheta vtrumque montem vult intelligere, cùm bis dicat in monte isto; Si volumus illam intelligere secundùm suum sensum totalem, & completum, & consumatum; Vbi aduerte montem Moriah, super quem edificatum fuit templum esse partem, & collẽ montis Syon aquilonem versus, ideò tàm sępè templum vocatur mons Syon, mons Sãctus, mõs Dñi; *Mons Syon, in quo habitasti in eo*; pari modo mons, qui caluariæ dicitur Syriacè, est collis adherens ipsi monti Syon, occidentem versus, in quo malefactores puniebantur morte; & Christus Iesus Crucifixus fuit, sic dictus à caluaria, vel ui a ibi repertum fuerit cranium capitis primi hominis

vti eſt traditio hebræorum, quam nũdum vidi; & multi è noſtris tradunt: vel quia ibi facinoroſi homines decollati, inſepulti manebant, vt Hieronymo Sancto placet. Hinc mons Syon vocatur aliquando in plurali montes Syon pſal. 133. 3. *Sicut ros Chermon, qui deſcendit ſuper montem Syon* על הררי ציון *ngal Harrere Dion; ſuper mõtes Syon; Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem; & vitam vſque in ſæculum*; Quod aduertas. Nàm Deus in rege Meſſia Ieſu Nazareno ſuper iſtos tres montes dedit vitam, & benedictionem omnibus gentibus: In monte moria, vbi erat templum nouam legem prædicando. & mirabilia operando; In monte caluariæ moriendo, & reſuſcitando vtramque mortem, & animæ, & corporis deglutiuit, Satanam deuicit, & eiecit foras. In monte Syon inſtituendo illud ſacrum conuiuium ſui corporis, & ſanguinis in Euchariſtia, & Spiritum ſanctum ſuper Eccleſiam ſuam in linguis ignæis mittendo; quæ omnia mirabilia beneficia ſignificat Iſaias propoſitis tropis, & figuratis loquutionibus, conuiuij pinguium, exterminij vinculi colligati, & telæ expanſæ ſuper omnes populos; Explicans prædictas metaphoras; per verba ſubſequentia; *Et præcipitabit mortem in ſempiternum &c.*

Et primò quid intelligat Scriptura per *vinculum colligatũ*, ſiue vt in heb. *operimentum coopertum*, & quid per telam expanſam ſuper omne genus humanum, nõ omnes conueniunt. Caldæus, vt vidimus, intelligit quemdam principem, & regem, qui dominetur ſuper omnes populos, & ſuper omnia regna terrę; quẽ ſequutus Simmachus legit; *præcipitabit faciem dominatoris*; ex noſtris, Haymo exponit, *oppreſſionem diaboli*. S. Hieronymus. *Abſorberi faciet faciem mortis, & vincula, quibus vniuerſi populi ligabantur*. S. Thomas. *mortẽ ipſam prout eſt pœna peccati.*

Carthusianus. *effectum peccati originalis*; omnia rectè; sed omnia simul vnita, sunt hoc vinculum colligatum, & tela expansa, & inuoluta super omnes populos, si addatur, quod est principaliter, ipsum peccatum originale, à quo omnia mala culpæ, & pœnæ, quod tangit R.D. si seipsum intellexisset: dum exposuit per vinculũ, & telã cooperientem omnes populos, & quàm Deus exterminabit רעה *rangbah*; *malum*; nomen genericum deriuans à רוע *rongbah*; malum esse, denotans omne malum; & primò malitiam, culpam, peccatum, quod ab homine prouenit tantùm, Gen. 6. *Et vidit Deus quod multa esse* רעת האדם *rangath Adam*; *malitia, iniquitas, malignitas hominis in terra*; hinc אדם רע *Adam rangh*, ps. 104.2. *homo malus, iniquus, iniustus, peccator*; hanc significationem nõ cognoscit, hoc loco Isaiæ, cæcus R.D. Secundo significat malum pœnæ, quod est afflictio, miseria, & mors ipsa, prout est à Deo, & etiam ab ipso homine: Ierem. 11.11. *Ecce ego adduco super illos* רעה *rangah*: *malum*; & v. 12. *& non saluabunt eos in tempore afflictionis eorũ* רעתם *rangbatam*: *mali eorum*: quod malum explicatur cap. 24. 10. *Et immittam in eos gladium famem, et pestem, siue mortẽs* Hunc sensum agnoscit tantùm carnalis R. D. & ad solũ suum populum applicat, vt supra; At nos, qui veritatem sequimur simul cum antiquis RR. dicimus, ly: *Vinculum colligatum, & telam expansam*; in qua omne genus Adã inuoluitur, esse malum in genere, idest omne malum. Duplex malum, vinculum colligatum ex duobus malis. Malum culpæ, nempè peccatum, trangressio diuini præcepti, à sola voluntate, & libero hominis arbitrio deficiẽte à recta ratione, proueniens; hoc malum, hæc prima pars vinculi colligati fuit peccatum originale primi hominis, & simul peccata omnia, quæ ab illo originem tra-

hunt

hunt; vndè originale dicitur, quia origo, & fomes omniũ peccatorum, hoc vinculo alligantur, hac tela inuoluũtur omnes nationes, & populi, ab instanti conceptus illorũ, in vtero matris, vt ore omnium confitetur Rex sanctus, & propheta; *Ecce in iniquitate cõceptus sum, & in peccato concepit me mater mea*; ps. 50. hinc fomes prauus, concupiscentia mala regnans in membris nostris; cæcitas, & ignorantia veri Dei, & creatoris; & tãdem reatus, & obligatio, qua addicti sumus iræ diuinæ, & gehennæ æternę. Hoc vinculum vocatur, & est, mors animæ, primogenita mors. Secundum malum, secunda pars huius vinculi est malum pœnæ proueniens à Deo puniente hominem propter peccatum; & principale malum est mors temporalis corporis; *Quacumque hora comederis ex eo morte morieris*. Dixit Deus primo homini antequam peccasset, ne peccaret, mortis timore perterritus; & ad hãc hominis mortem corporalem subsequutæ sunt cæteræ miserię, et calamitates, et afflictiones corporis, infirmitates, sudores, labores, persecutiones, infamiæ, paupertates, rapinę, bella, & cętera infinita mala pœnę. Hunc esse verum, & genuinum sensum, ostendit facer textus, dum dicit hoc vinculum colligatum, & telam expansam, esse super omnes populos, & super omnes nationes; At hoc non potest aliud esse nisi primò peccatum originale, & omnia alia peccata, quæ ab ipso originantur, cùm hoc vinculo peccatorum sint omnes homines colligati, & inuoluti in ventre matris ab instante conceptionis. Deinde mors corporis, à qua nemo filiorum Adam excluditur; *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Sicuti neque ab alijs miserijs; sed vniuersi homines sine vlla exceptione his duobus vinculis, & malis implicantur.

Videamus apertissimè hanc veritatem, quam explicat,& interpretatur ipsemet Isaias; dum subdit ꝟ *præcipitabit mortem in sempiternum; deglutiet mortem* לנצח *lanezach*; significat æternitatem,& victoriam; æternitas amplectitur præsens tempus huius sęculi vsque ad diem iudicij, & totum sæculum beatitudinis, quod est ipsa æternitas; vult dicere, deglutiet morrem in hoc sęculo,&in futuro, in hoc sęculo incipiet exterminare mortem,& sæpissimè victoriam, illam deglutiendo, reportabit: At in futuro sæculo pœnitus,& totaliter cum Summa victoria morté exterminabit,& annihilabit, cum omnes in die iudicij in corpore,& anima resurgemus, non amplius morituri.

Hanc expositionem litteralem nō possunt mihi itr. negare RR. cùm sic doceat Caldęus Ionathan; תמית מותא לעלמין *lethine sciun Mota lengalmin, Nasah*; sensus est; *Tollet, auferet, exterminabit mortem sæculorum*: Certè cùm tantùm sint duo sæcula, præsens huius mundi,& futurum æternitatis; Deus in præsenti sæculo incipiet exterminare mortem; at in futuro pœnitus, & cum victoriā completā eam annihilabit: hoc non negabunt hebræi, qui hæc omnia adimplenda esse docent; siue nūc incipient adimpleri in sæculo Messiæ eorum; quādo veniet ad debellandum Gog, & Magog: & post sæculum Messiæ, in resurrectione mortuorum, pœnitus auferetur, & absorbebitur mors simul cum oībus miserijs humanis. Modò quæro, quæ sunt istæ mortes, quas Deus destruet in præsenti,& pęnitus in futuro sęculo? Certè illæ duę iam prædictæ, mors animæ,& mors corporis; peccatum quod est mors animæ: ps. 34 22. *Mors peccatorū pessima*; תמותת רשע רעה *themotheth rasciangh rangah. Occidet impium malum*; idest malitia sua impius seipsum interimet: & mors corporis à peccato genita; *Anima,*

quæ

quæ peccauerit; ideſt homo; *ipſa morietur*; morte corporali, Ezech. 18.4. Hoc eſt illud vinculum colligatum, illud operimentum tectum, illa tela ordita, quæ cooperit, & inuoluit totum genus humanum; nam, nemine excepto, ſumus omnes peccatores: *Non eſt enim homo, qui non peccet*. 3. reg. 8.46. Omnes mortales. 2. reg. 14. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram*. Hanc duplicem mortem animæ, & corporis exterminabit Deus in diebus Meſsiæ, per ipſummet Regem Meſſiam, qui eſt Deus, & homo; qui ad delendum peccatum, & mortem, venturus erat in mundum. Audiant hanc veritatem cæci iudęi ex ſuis Thalmudiſtis tractatu ſup. citato *piſſechim*. Vbi apertè docent, quod tēpore regis Meſsię in hoc mundo iuſti reſuſcitabunt ad vitam mortuos, ſicut fecerunt Elias, & Eliſæus: Hæc ſunt eorum verba pag. 95. col. 1. Dixit R. Samuel, & R. Ionathan עתידין צדיקים שיחיו מתים דכתיב כא ה צ עוד ישבו זקנים וז *ngathidin zaddichim, ſceichain methim &c.*

futuri ſunt iuſti tempore regis Meſsiæ, qui reſurgere facient, & viuificabunt mortuos: Quod ſcriptum eſt Zach. 8. Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc habitabunt ſenes, & vetulæ in Ieruſalem. Hoc ſignificat ſcriptum Iſa. 25. Et præcipitabit mortem in ſempiternum.

Hæc illi, qui loquuntur de diebus Meſſiæ in hoc mundo; nam relatæ Scripturæ de illo ſæculo, & ſtatu loquuntur: Quæ, vt melius intelligantur, & de qua morte loquantur; Notanda eſt duplex gloſſa R.S. in hoc paragrapho thalmudiſtico; prima eſt in illis verbis; *futuri ſunt iuſti, qui ſuſcitare facient mortuos*; כאלישע ואליה שהחיו את המתים כך יחיו כל הצדיקים את המתים *chaeliſciangh veelihau ſcehechaiu eth hammethim; chach iechaiu chol hazadithim eth hammethim; ſicut Eliſæus, & Elias, qui viuificauerunt mortuos*;

tuos; Ita viuificabunt omnes iusti, mortuos. Secūda glossa R. S. est super illum textum; *Præcipitabit mortem in sempiternum;* In hoc paragrapho Thalmud declarat singulariter quæ sit ista mors, quam Deus degluttiet exterminabit; יבולע מלאך המות שלא ישלוט בישראל *Ieuull angh malach hammauet sceló iasclub beisrael; Exterminabitur Angelus mortis, ne dominetur in Israel;* sed quis sit iste angelus mortis, audiat perfidus iudæus, credat suis magistris, & veritatem, quam inquirimus, cognoscat, & amplectatur. Sapientissimus ille R. Moyses Ægyptius, quem honoris, sapientiæ, & doctrinæ causa cōmunissimè appellant; מורה צדק *moreh zedech; Doctorem iustitiæ; &* אור הגולה *Or hagolah; lucem captiuitatis;* libro illo verè aureo *Moreh Neuochim* par. 3. c. 22. sic scribit; שמע זה המאמר *sce mangh zeh hammamar; Audi;* idest; *crede hoc admirabile axioma vtilissimum; quod tradiderunt sapientes (qui digni sunt, vt vocentur sapientes* באמת *beemeth veritatis) Quod omne dubium explanat, & reuelat omne occultum;* והראה רוב סתרי תורה *vehereh rou sithre thorah; et videre facit multitudinem secretorum legis. Et hoc est dictum eorum in Thalmud. Dixit R. Symeon filius lachisc;* הוא שטן הוא יצר הרע הוא מלך המות *Hu Sathan, hu iezer harangh; hu malach hammaueth; Ipse est satan; ipsum est figmentum malum; ipse est angelus mortis; Et tibi notum sit* ענין אחד בעצמו *scenghion Achad bengazmo; Quod res vna in suo esse denotatur tribus nominibus istis; & quod omnes actiones appropriatæ vnicuique ex his tribus, sunt omnes actiones rei vnius;* vult dicere, ista tria nomina denotant vnam tantùm rem, & illorum operationes, sunt operationes vnius eiusdemmetq; rei; & subdit תנא *thena;* traditio est יורד ומתעה עולה ומשטין נוטל רשות ונוטל נשמה *Iored vmathngah; ngolah vmasthin, nothel resciuth, venotel nesciama. Descendit,*

dit, & in errorem inducit; Ascendit, & aduersatur; accipit potestatem, & tollit animam. Hæc ille ad verbũ: & certè quid est hoc nisi peccatum originale? Ipsum enim est propriè satan, qui aduersatur homini; est figmentum malum, quia format in homine omnia peccata; ipsum est angelus mortis, quia tollit, occidit animã morte æterna. Quamuis etiam dicere possumus, quòd satan seducendo primos parẽtes contexuit hoc vinculum colligatum, & telam peccati, & mortis animæ, ipsa operiens, & inuoluẽs oẽs filios, & filias Adã; & sic orditor huius telæ non fuit nisi diabolus solus peccati inobediẽtiæ suasor, quod mirè ostendit translatio Ionathæ; *Et præcipitabit facies Dominatoris dominantis super omnes populos*; qui fuit satan, & diabolus. Pariter verum est, secũdum vinculum colligatum, nẽpè mortem temporalem corporis, & mortem æternam inferni pertinere ad Deum, qui, vt ait D. Thom. iusto iuditio illam ordinauit; *Quacunque hora comederis ex eo morte morieris*; cùm verò sequens versus; *Et præcipitabit mortem in sempiternum*; sit repetitio anterioris versus; *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati*; per varia verba; iste erit declaratio prioris, itaut Propheta clarè doceat hoc vinculum colligatũ, & telam orditam super omnes populos, & nationes, esse mortem; Porrò cùm R.S., cum suis, explicet hanc mortem esse angelum mortis, & thalmudistę tradant ex eorũ antiquissima theologia, siue chabalah, satanam, figmentum malum, & angelum mortis esse vnam, & eãdem met rem his tribus nominibus significatam; litteralis, totalis, & plenus sensus huius prophetiæ erit iste; In diebus, & aduentu regis Messiæ, Deus deglutiet, exterminabit, absumet peccatum originale, figmentum malum, diabolũ, angelum mortis, & mortem temporalem, & omnes hu-

manas miserias;Hoc totum docuerunt SS. Patres,et Expositores nostri; sed ante eos tradiderant Doctores Synagogæ, quo tempore erat vera Ecclesia à Spiritu sancto illuminata, et gubernata.
Ergò ex dictis illorum,finis aduentus regis Messiæ erat spiritualis,& non temporalis, vt liberarentur omnes homines à potestate Satanæ, ab omni peccato, a figmento prauo,à morte infernali,& tandem finaliter, & pœnitus à morte corporali in resurrectione mortuorum. Et hoc est efficacissimum argumentum contra obcæcatam, & perfidam mentem iudæorum iuniorum, qui nolunt credere, neque Prophetis, neque Magistris suis; sed solùm ob finem temporalem expectant suum Messiam, qui tépore Gog,& Magog,eo occiso, liberet eos à s. ruitute regnorum. O miseri.
Quid volunt significare illorum Doctores,dum docét,quod *futuri iusti resuscitabunt mortuos*,& R.S.quod *omnes iusti* (nota ly, *omnes iusti*) *resuscibunt mortuos secundum modum,quo suscitauerunt illos Elysæus,& Elias*; Certè loquuntur de sæculo regis Messiæ,nō de die iudicij;& si iusti suscitabunt mortuos, quantò magis rex Messias? Vos dicitis, quod Messias filius Dauid suscitabit Messiā filium Ephraim occisū,&interfectum,& mortuū in bello Gog & Magog, quantò magis alios? & si ipse, & iusti omnes suscitabunt mortuos; tunc temporis incipiet adimplere hoc vaticinium: *Et præcipitabit Dominus*; per manum regis Messiæ,qui est iustus,& iustitia nostra,mortem corporis. Verùm intentio RR. aliud genus mortis, & resurrectionis ēt attendit, dū docent, quod sicut Elisæus, & Elias eo modo, quo ipsi suscitauerunt mortuos, etiam iusti omnes tempore regis Messię suscitabūt mortuos; Vnum puerum mortuum suscitasse tantum Eliam legi-

legimus 3.reg.17., & vnum tantùm Elisæum, 4. reg. 4. legimus. Modus resuscitandi illos est ferè isdem ab vtroquè Propheta seruatus. Quæ duæ veræ, & reales resurrectiones puerorum fuerunt figuræ, & signa spiritualium viuificationum, resuscitando omnes, iusti, peccatores, & iniquos (qui peccato sunt mortui Deo, & mortui vocantur Idololatræ à iudæis, ps. *Non mortui laudabunt te Domine*) ad vitam gratiæ, & amicitiæ Dei per veram pœnitentiam; ad hunc finem venturus erat rex Messias in mundum, vt ipse, & iusti, sui sequaces, ab ipso iustificati, deglutirent, exterminarent mortem satanam, angelum mortis, fomitem prauum; & vno verbo dicam omne peccatum; Ad quid enim resuscitatio corporis ad vitam istã corporalem, & temporalem, si anima remanet mortua Deo propter peccatum, & æternaliter damnata prout inimica Deo? Ista resurrectio spiritualis erat principaliter operanda à rege Messia, & iustis; quæ numquã fit nisi per veram pœnitentiam; & præcipuè in gentibus, quæ ignorãtes verum Deum, erant idololatræ, & mortui Deo. Hic finis præcipuus aduentus Messiæ, vt dixit Deus Isaiæ 49.6. loquens regi Messiæ; *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob*; rex Messias à Deo mittendus erat, vt suscitaret: להקים *lehachim; vt suscitare faceret*; tribus Israel; sed quomodò futura erat hæc resurrectio, corporis, & animæ? certè animæ, à peccato ad gratiam, ad Dei amicitiam; & hoc per pœnitentiam, quod declarat, & repetit Propheta alijs verbis; *Et fæces Israel conuertendas*; להשיב *lehasciu*; & reliquias Israel, vt eas ad me conuertere facias; בתשובה *bithesciuuahi per pœnitentiam*, R.S. Verùm subdit Deus Messiæ; נקל *nachel*; parum est, vile est, nihil est hoc; Nam ego addo amplius, maius, & dignius; Et eligo te, vt sis ישועתי *lesci-*

Oliuetani. ... *ungathi*;

ungathi; salus mea vsque ad fines terræ; ideſt, vt ſuſcitet mihi à morte animæ, à peccato Idololatriæ omnes gentes, ad gratiam meam, ad veram fidem, & cognitionem meam illas euocando, & reſuſcitando per veram pœnitentiã. Quod fecit verus rex Meſſias Ieſus Nazarenus, & fecerunt, & faciunt iuſti, & ſancti illius diſcipuli, & ſequaces, vt experientia quotidiana docet.

Sectio nona.

Declaratur, quod ſit peccatum originale, quæ eius nomina, & effectus, ſecundum doctrinam antiquorum hebræorum.

PEccatum, quod perpetrarũt primi patres noſtri Adam, & Eua, quod fuit inobedientiæ, & rebellionis à diuino præcepto, de quo peccato dixit Iſaias 43. אביך הראשון חטא. *Auichab riſcion Chatah; Pater tuus primus peccauit*, in illis fuit actuale, & proprium; at in omnibus ſuis poſteris, & deſcendentibus fuit originale, & cõmune, & habituale; quatenus ſcilicet ex actuali tranſgreſſione, & culpa illorum, propter quam ſpoliati fuerunt iuſtitia initiali, ſiue originali, illis debita ineſſe; illorũ deſcendentes naturali propagatione generantur cũ carentia eiuſdẽ iuſtitię originalis debitæ ineſſe, & conſequenter mortui morte ſpirituali, Dei inimici filij gehennæ, & ad mortem corporalem obnoxij. Vt verò doctrinam hebræorum circa peccatum originale intelligere poſſimus præmittenda ſunt quædam notatu digna ex D. Thoma 1. 2. q. 82. ar. 2. quæſt. de malo 14. ar. 2. & ex alijs theologis.

Not. primò; Deus in paradiſo fecit pactum cum primo homine, quòd ſi non comederet de ligno ſcientiæ boni, & mali, futurus eſſet cũ ſua poſteritate ſemper immortalis, cùm naturaliter eſſet mortalis; & hoc beneficio iuſtitiæ originalis, cum qua ipſum creauerat, præter Scripturã,

quæ

quæ hoc apertè dicit; *Quacumque hora comederis ex eo morte morieris*; omnes heb. confitentur ex illo Osee c. 6. v. 7. והמה כאדם *vehemma cheadam*; *Et ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum meum*, ly, *meum*, non est in fonte; sed in Caldæo; R. S. nomine omnium; *sicut homo* כאדם אראשון *cheadam arifcion*; *sicut homo primus*; *sicut homo, quem introduxi in paradisum, & transgressus est præceptum meum*. Pariter fatentur hebræi hoc pactum sancitum fuisse à Deo cum Adam, & in ipso tamquam in capite, & prima origine totius generis humani, cum omnibus suis posteris, & descendentibus per generationem naturalem, & humanã ex coniunctione maris, & fœminæ. Quare voluntas totius posteritatis Adæ erat interpretatiuè, & subintellecta ipsa propria, & expressa voluntas primi hominis omnium parentis; & sic si Adam primus obseruasset illud pactum, & nos diceremus pariter illud obseruasse; & si ipse meruisset sibi, & nobis immortalitatem, ita & nos meruisse; sicut ex opposito euenit; nã ipse transgrediendo pactum diuinum incurrit pęnam mortis, & priuationem iustitiæ originalis; ita & nos in illo, & eius voluntate, dicimur transgressores voluntarij diuini præcepti, & incurrisse easdem pęnas, mortem, & amissionem gratiæ diuinæ. Et hoc est, quod dixit S. Paulus Rom. 5. *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*; *in quo omnes peccauerunt*; hoc est, quod ille actus Adami, quo peccauit ipse, omnibus imputetur, & omnium fuisse proprius censeatur; adeò vt quilibet filius Adæ simul cũ natura necessariò trahat & contrahat peccatum originale; quod est nasci cum iniustitia originali debita inesse; sic enim *in Adam omnes peccauerunt*; quia, vt docet August. lib. 1. de peccatorum meritis c. 10. *Omnes homines fuerunt ille vnus homo*, scilicet *Adam*; Quod intelligen-

 dum

dum est originaliter, radicaliter, & seminaliter. Hanc veritatem fatentur hebræi, & quo ad pœnam mortis omnibus hominibus statutam, & quo ad culpam,& reatum, vt videbimus paulò post.

Not. secundò; Peccatum originale nō est illa concupiscentia mala, siue inclinatio ad peccatum, quæ nos incitat, & propendit ad illud, semper Deo auersa, & rebellis; sed est effectus proueniens ab ipso originali peccato, prout est auersio a Deo habitualis in voluntate nostra; est vitium natum, & propagatum ab eo, quod impellit hominem peccare contra legem Dei; ideò toties vocatur in Scripturis peccatum, Rom. 7. 14. *Ego autem carnalis homo sū venundatus sub peccato*; non formaliter, vt volunt Caluinistę, sed materialiter, & pro obiecto peccati, quatenus semper inclinat hominem ad peccandum; itaut ad rationem formalem peccati nihil aliud ei desit, nisi consensus voluntatis. Audiamus S. August. l. 3. contra Iul. cap. 3. *Concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est; quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est; quia reddita est meritis inobedientiæ; & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Vnde per baptismum, sicuti olim per circumcisionem, tollitur illa macula, illa auersio, quæ est peccatum originale, sed remanet ista cōcupiscentia, hic fomes, qui semper vexat iustos, vt cum illo pugnantes, & illum subiugantes cum Christo coronemur. Et ideò sacra Concilia, & Sancti Patres vocant hunc fomitem perpetuam materiam luctæ, virtutis, & victoriæ, & consequenter non esse peccatum formaliter & propriè, nisi ei succumbat, & consentiat libera voluntas; & hoc docuit S. T. 1. 2. q. 74. ar. 3. ad 2. His positis debemus inqnirere quid senserint, & quid tradiderint antiqui

tiqui Doctores hebr. de peccato originali; sunt .n. scitu digna,& ad rem nostram necessaria.

Et primò sciendum, omne peccatum in genere tribus nominibus à sacris Scripturis vocari, quæ nomina eandem ferè rationem formalem peccati continent; primum nomen est פשע *hapesciangh*; & est illa trāsgressio pacti, siue diuini mandati, quæ originatur ex superbia, & dicitur rebellio, & defectio à Deo per superbiam. Secundum nomen est העון *banghauon*; curuitas, tortuositas, & obliquitas;& quia omne peccatum,& culpa est quædam curuitas, & auersio à Deo ad creaturam; ideò tale sortitur nomen. Tertiū nomen est חטאת *hacheth*; errare à scopo, declinare à via recta, hinc error, peccatum. Hæc tria nomina,quę omnia peccata humana continent,reperies Dan. 9. 24. *Septuaginta hebdomades &c. Vt consumetur præuaricatio*; הפשע *happesciangh*; R. S. Quia accipient Israel את גמר *eth ghemar*; *totalitatem punitionum suarum in captiuitate Romana*; מכלל *sceichlu*: *Vt consumantur pescinghehem*; *rebelliones illorum, quas fecerunt*; addit R. Sanghadiah; quæ rebelliones Israelis fuerūt omnes Idololatriæ, & præcipuè illa vituli aurei in deserto Synai; *Et finem accipiat peccatum*; vulgatus legit ולחתם *vlhathem*; à radice תמם *thamam*; absoluere, finire, cōsumare, ita exponunt omnes RR. והתמו *veithommu*; *& finiantur*; *siue absoluantur*; *Absolutionem accipiant peccata*; in plur. חטאות *thathaoth*: & exponit R. Sanghadiah; *finem faciat D. S. B. peccatis eorum*; *Et deleatur iniquitas*; עון *ngauon*; tertium nomen; addunt RR. *Iniquitas Israel*; Quibus tribus nominibus omne genus peccatorum comprehenditur in sacra Scriptura, & omne peccatum vocatur.

Distinguunt verò hebræi peccatum, in originale, quod vocant הקדמוני *hachadmoni*; primum siue antiquum significans;& in actuale; העולי *happongalij*; peccatum originale

nale vniuersaliter vocatur à RR. *cheth hachadmoni*.

Quod verò RR. doceant, quid sit peccatum originale in sua formalitate, quam theologi nostri tradiderũt supra, esse nempè carentiam iustitiæ originalis debitæ inesse, qua homo constituitur peccator, Deo rebellis, & auersus habitualiter; id apertè tradũt super Ecclesiasten. 7. v. 30. *Solummodo hoc inueni; quod fecerit Deus hominem rectũ; & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*; heb. והמה בקשו חשבונות רבים *vehemmah biccheschu cheschbonoth Rabbim; Et ipsi quæsierunt cogitationes multas*. R.S. *adam* ראשון *harischon*; homo primus; *Et ipsi*; postquam copulata fuit illi coniugio Eua vxor eius, & facti sunt duo; & ideò dicuntur in plurali; *vehemmah*; *& ipsi*; *magno studio, & desiderio quæsierunt*; מזמות ומחשבות של חטא *mezimoth vmachescbauoth cheth*; *machinationes prauas, et cogitationes peccati*. Hæc ille. R. Abrah. *fecit Deus hominem rectum*; להיות ישר הולך בדרך ישרה *lihejoth iasciar holech baderech iascerah*; *vt esset rectus, ambulans in via recta*; *Et ipsi quæsierunt*; ארחות עקלקלות *orchoth ngacalcalloth*; *semitas tortuosas*. Hæc ille. Non explicant isti RR., in quo sita fuerit hęc rectitudo, in qua Deus creauit primos parẽtes. Et equidem si Deus fecit hominem rectum, idest, vt exponit R. Abrah. *vt posset esse rectus, ambulando in via recta*; debet constitui homo primò in seipso rectus per aliquam internam qualitatem, beneficio cuius prius in seipso rectus in actu primo, & formaliter vt loquuntur theologi; posteà possit in actu secundo rectè incedere, rectè operari, & esse actualiter rectum; Nam vox hebræa ישר *Iasciar*, vult dicere, rectificare, dirigere aliquid ad rectitudinem, disponere, præparare ad æquitatem faciendam; quod nequit esse, neque intelligi, nisi prius homo per aliquod additum constituatur in seipso intrinsecè

[illegible] rectus,

rectus, & æquus, vt postea rectè operetur. Quod autem fuerit in homine primo hoc principium suæ intrinsecæ rectitudinis, mirè explicant antiqui RR.

Et primò Cald. paraphrastes in Ecclesiasten; quem multi volunt esse R. Ionathan ben nguziel, cuius auctoritas est penè diuina apud eos; Hic explicat prædictum textũ hoc theologali modo; *fecit Deus Adã* קדמאה *chodamaah primum;* תקיף *thachiph; fortitudine præstantem;* potentẽ ad præualendum; sequitur Ionathan קדמוי זכאי *chodamoi zaccha; Coram ipso iustum;* Nescio qua incuria aliquis Caldæi translator omiserit traducere aduerbium Caldaicum; *chodamoi*; significans; *coram eo*; siue; *in conspectu eius;* vt constat ex Dan. cap. 7. v. 13. *Et in conspectu eius obtulerunt eum; vchdamohi;* nam multũ iuuat, & declarat talis dictio sensum huius scripturæ; potest. n. referri tàm ad Deum, qui in creatione hominis, ipsum hominem, coram ipso Deo, quantum ad se pertinebat, formauit rectum, fortem, iustum, tùm ad ipsum hominẽ, qui in primo instanti suæ creationis habuit omnia requisita dona supernaturalia ad rectè, & iustè operandum, si voluisset illis vti. Declarat deinde, & explicat Caldęus quisnam sit sensus illius adiectiui; *fecit Deus hominẽ, rectũ;* dixerat, fortem, robustum, obfirmatum; modò subdit qua ratione, qua forma, & qualitate erat primus homo robustus, & obfirmatus ad præualendum; nempè זכאי *zaccha; iustum;* idest ornatum iustitia, & gratia originali supernaturali; beneficio cuius, rectus, charus, & amicus Dei in actu primo constitutus; (prout pertinebat ad Deum, ipsum creare; nam Dei perfecta sunt opera) posset, si voluisset, rectè operari, obediẽdo diuino præcepto, & fortis præualendo suggestioni serpentis, & Euæ; ipse euadere Dei amicus sua propria voluntate, & libero arbitrio, & A

me-

merito;sibi,& posteris suis eandem iustitiam originalem & immortalitatem merendo. Hoc vult docere Caldæus dicens; *fecit Deus hominem primum fortem, coram eo iustum,mundum,innocentem.* Notat enim R.D.de pomis in suo dictionario fol.52.colum.4.apud Caldæum;*iustũ*; צדיק *zadich*;explicari per prędictum nomen;*zacca*; Cald. Gen.18.*Occidere iustum,zadich*; Cald. *zacca,iustum,rectum,innocentem cum impio*; vide ibi; Adde,quod ista sunt duo Dei epitheta,& attributa;Deut.32. *Deus fidelis,& absque vlla iniquitate,iustus, & rectus.* Quæ duæ qualitates dicũtur de Deo,& homine, quatenus positiuè opponũtur peccato,& iniquitate; cùm peccatum negatiuè includat priuationẽ formalis rectitudinis,& iustitiæ; Et ideò dicendo Scriptura, quòd Deus fecit hominem primum rectum,sensus erit;fecit Deus hominem non solùm sine vlla iniquitate,& peccato,putà mundum, purũ, & innocentem ab omni iniquitate negatiuè,sed positiuè, per veram iustitiam originalem illi infusam ab initio suæ creationis,constituit hominem verè, & formaliter iustũ, & rectum in actu primo in seipso;quod explicat Caldæus per illum aduerbium; *coram ipso iustum*; Creauit enim Deus hominem ad imaginem suam,ergò sicut Deus,non solùm non est in eo vlla iniquitas negatiuè, sed etiã positiuè est iustus,& rectus,immò ipsamet formalis iustitia, & rectitudo;ita pariter homo Dei imago fuit à Deo creatus formaliter,per inhærentem ei iustitiam, & gratiam originalem,rectum, & iustum.

Atque ita esse ostendit paraphrastes explicans clarius prædictum textum; וחויא וחוה אטעיו אטעיו למיכל כן פירא אילנא *vechiuiia vechauah enabi atenghau lemechal min perata ilana;Verũ serpens,& Eua ipsũmet deceperũt, siue errare fecerunt,vt comederet de fructu arboris;quem edentes,sa-*

pientes fierent, & haberent scientiam boni, & mali; sequitur; *Vgharemu* וגרמו לאסתקפא עלוהי יום מותה ולכל דיירי ארעא *leisthacchapha ngalohi iom mothah* *vlchol deijare arngha: Et causauerunt, vt machinarentur diem mortis sibi ipsis, et omnibus incolis, siue generationibus terræ. Et hunc solum, in perquirendis quæstionibus illis, fructum sunt consequuti;* בגין לאיתאה מחתה על דיירי ארעא *beghin leethaah mechathah ngal daijare arngha; Vt inducerent corruptionem, deletionem, perditionem super habitatores terræ.*

Vult dicere; primi parentes creati à Deo in iustitia, & rectitudine originali innocentes, immortales, & Dei amici, & familiares, credendo suasionibus, & quæsitis serpẽtis, quibus eos decepit, & induxit, vt comederent de fructu ligni vetiti, sibimetipsis, & suis posteris ipsi intulerunt duo mala; primum fuit ammissio immortalitatis, incurrendo omnes mortem corporis; & exprimitur nomine מותה *mothah; mortis;* secundum malum fuit deperditio iustitiæ originalis, & gratiæ gratum facientis, manẽdo peccatores, Dei rebelles, & inimici, veluti transgressores diuini mandati, & pacti, quod malum significat Cald, illo nomine מחתה *mechatha;* à radice מחה *machah,* quę multas significationes habet; prima est, delere, abolere; & erit sensus; primus homo peccando induxit deletionem, & abolitionem illius rectitudinis, & iustitiæ originalis, in qua fecerat eum creator illius; cõtra se, & suos posteros; secunda significatio est percutere; Dan. 2. 34. ומחת *vmachach; & percussit statuam;* hinc מחא *mecha, percussio, plaga, vulnus;* & erit sensus; Adam peccato suo seipsum, & omnes suos descendentes inflixit, & percussit, plaga, & vulnere peccati originalis; itaut in illis nulla sit sanitas spiritualis, & moralis, iuxtà illud, quòd dixit Isaias cap. 1. de populo Iudaico, gente peccatrice; *Omne caput langui-*

dum, & omne cor mærens, à planta pedis, & vsque ad caput, non est in eo sanitas; Vulnus, & liuor, & plaga tumens &c.

Quæ doctrina inuenitur in libro *Thanchumah, consolationis*; tradita ab antiquis RR. Berescith, paragrapho, *vaiomer elohim; Et dixit Deus; Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis*; sic legitur; *hoc est, quod scriptum est Ecclesi. 7. 30. Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum;* לא ברא *lo berao; Nō creauit eum D. S. B. qui vocatur zaddich veiasciar; iustus, & rectus, ipsum Adam;* בצלמו *bezalmo; in imaginem suam;* nisi כדי להיות *chede liheioth; ut esset iustus, & rectus;* כמוהו *chamohu; sicut est ipsemet Deus.*

Hæc ibi; idest creauit Deus hominem cum omnibus potentijs animæ eius præditis iustitia, & gratia, beneficio cuius homo erat iustus, & rectus in actu primo erga Deū suum creatorem, itaut poterat, si voluisset assimilari Deo & esse in actu secundo iustum, & rectum in se, sua libera voluntate, exprimendo diuinam imaginem, quod perfectè adimpleuisset, si præceptum diuinum, de non comedendo ligno vetito, custodisset; nam in obedientia huius præcepti negatiui acquirebat, & merebatur homo primus, sibi, & posteris suis verā iustitiam, & rectitudinem, & de eo, non ironicè, sed verè dicere poterat Sanctissima Trinitas; *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis*; nam ideò Deus creauit hominem ad imaginem suam, idest, vt euaderet, sua voluntate, iustus, & rectus, sicuti est suus creator, per essentiam; & hoc, vt rectè exponit R. Abrah. *bolech baderech iesciarah; ambulando per viam rectam diuini pacti*; quod totum positum erat in potestate liberi arbitrij sui.

Secundò multò apertiùs declarant Thalmud. qualitatem, & conditionem peccati originalis. Magnus ille R. Moy-

ses

ses Ægyptius libro suo Moreh p. 2.c. 30. hæc docet ex suis antiquissimis sapientibus; *serpens ille materialis animaliũ, & omniũ bestiarum campi callidior equitatus fuit* נרכב *nirchau; & qui eum serpentem equitabat, siue ei insidebat;* הוא אשר השיא את חוה *hu ascer hisce eth chauah; fuit ille qui decepit Euam; Et quod sessor eius fuerit Sammael*. Et hoc nomine ipsi sapientes absolutè vocant השטן Satanam; siquidem reperies in multis locis; quod dicant Satanam voluisse impedire Abraham, ne ligaret Isaac filium suum; pariter voluisse impedire Isaac, ne obsequeretur voluntati patris sui; & alibi dixerunt; *Venit Sammael ad Abraham patrem nostrum, & dixit ei: Certè senex perdidisti mentem tuã; an non insanus es?* Quare apparet, quòd Sammael sit ipse Satan. Dixerunt etiam in veniendo serpens ad decipiendam Euam, qui erat grandis ad instar cameli; והיה סמאל רוכב עליו *haiah Sammael rochau ngolau; Sammael equitabat super illum; Et Deus irridebat Camelum* גמל *Ghamal & sessorem eius*. Et subdunt ad rem nostram; *Posteaquam venit* נחש *nachasc, serpens ad Euam:* הטיל בה זוהמא *hittil bah zohama; proiecit in eam sordem, inquinamentum, maculam;* Israelitis, quia steterunt iuxta montem Synai; פסקה זוהמתן *passechah zohamathan; abstersa fuit sordes, & macula eorum; Gentibus, quia non steterunt iuxta montem Synai;* לא פסקה זוהמתן *lo passechah zuhamathan; Non abstersa fuit, siue cessauit sordes, & inquinamentum illorum. Et aduerte hoc pariter.* Hæc ille. Si quæras à sapientibus RR. quænam fuerit illa sordes, illud inquinamentum, quod serpens detulit, & intulit in Euam, an qualitas corporea, sicuti venenum, an incorporea, & spiritualis, an recepta in corpore Euæ, an in anima; Respondēt esse qualitatem spiritualem in anima receptam; Nam si quæras quomodo Israelitis, qui stete-

runt iuxtà montem Synai illa sordes abstersa fuit; & remanserunt puri, & mundi ab omni inquinamento; Respondent in Rabboth scemoth, cap. 29. fol. 88. colum. 4. *Quando data fuit lex, & apparuit illis Deus in monte Synai; quando audierũt verbum;* דבור אנכי יהוה אלהיך *Dibbur anochi Iheouah; Ego Dominus Deus tuus;* פרחה נשמתן ומתו שנ׳ נפשי יצאה בדברו *parechah nisemathan vamethu: Erupit anima eorum, et mortui sunt, quod dictum est Cant. Anima mea liquefacta est, siue exiuit à me ad verbum eius.* Et propter meritum legis, quæ precata est misericordias super eos à D.S.B. מיד חזרה נשמתן *miiad chazerah nis mathan; statim reuersa est anima illorum;* quod dictum est; תורת יהוה תמימה משיבת נפש *Thorath adonai themimah mescibbath naphesc; lex Domini immaculata conuertens animas;* hoc est, sordidam, & maculatam animam culpa, & peccato, reddens, & conuertens ad puritatẽ, & innocentiam gratiæ. Et hac ratione dicunt Rabbini, quod בזכות התורה החיו ואז פסקה זוהמתן של נחש *bizchuth hathorah hecheiiu veaz passechah zohamathan scel nachasc; Propter meritũ legis ad vitam redierunt; Et tunc cessauit sordes eorum serpentis.* Quæ, siue intelligas materialiter, quod ad sonum illorum verborũ ipsiusmet Dei omnipotentis, & nõ angeli; *Ego Dñus Deus tuus* (vt oẽs RR. ꝑ certo tenẽt) Tunc verè mortui fuerint omnes Israelitæ; sed statim merito legis, omnes animæ redierint ad sua corpora; & reuiuixerint; siue intelligas spiritualiter, quatenus ad prolationem illorum verborũ ex ore diuinitatis; *miphi haggeuurah;* vt ipsi loquuntur; passi fuerint deliquium, siue defectionem animi; veluti multi RR. dictum suorũ sapientum exponunt; euidenter patet, illud inquinamẽtum, & sordem, quam serpens, idest satanas, proiecit in Euam fuisse spiritualem, nempè peccatum ipsum, macu-

lam,

lam,& reatum, qui post actum peccati in anima habitualiter remanet; Et vlterius confitentur, hanc maculã, sordem, & inquinamentum serpẽtis infundi, & communicari per generationẽ naturalem omnib. filijs Adam, dũ prædicti sapiẽtes hebr. asserunt in sua traditione allata à R. Moyse Egyptio; גוים שלא עמדו על הר סיני לא פסקה זוהמתן *Ghoijm scelo ngamedu ngal har Sinai, lo paßechah Zohamathan; Gentibus, qui non steterunt in monte Synai, non cessauit, siue absterſa fuit sordes eorum*. En quomodo apertè antiqui Sapientes RR. explicauerint peccatum originale nomine sordis à serpente proiectæ in parentes nostros, & suos posteros propagatione, & generatione. Equidem si spectemus quid satanas inceri ex parte sua in Euam, inueniemus non esse aliud, quam efficere suis fallacijs, & falsis promissis; vt adhererent post desideria concupiscentiæ; non obediendo diuino præcepto, sed edendo de ligno vetito; in qua transgressione, vt à libero hominis arbitrio liberè proueniente; fuit propriè peccatum originale, in qua sorde, & inquinamento peccati omnes filij Adam oriuntur, & ideò originale dicitur.

De qua originali labe loquutus est, Iob 14.4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* hebræa sic habent; מי יתן טהור מטמא לא אחד *Miitthen Thaôr mittame; loechad. Quid dabit mundũ de immundo? Non vnus*. Vulgatus explicans, ly, *immundum*; refert ad conceptum hominem semine, idest generatione humana; in qua contrahit homo sordem, immunditiam, & peccatum originale; Quod sequitur in hebræo; *Non vnus*, idest; *nullus*; supple id potest facere; Refert vulgatus ad Deum sequutus Caldæum, qui verè vnus est, & interrogatiuè exponit: *Nonne tu qui solus es*; Certè enim solus Deus potest auferre omne peccatum, &

&immundiciam. RR. vt legitur apud R. Abrah. hoc loco Iob docent hoc dictum S. Iob esse eiusdem significati, sicut est significatum ps. 50. *Ecce in iniquitate conceptus sum. Quia homo genitus est rationalis immundus,* כי האדם נברא מדבר טמא *Chi Haadam Niura medabber Tame*; supple in vtero matris; quod clarius explicant R. Abr. & RR. *Et in peccato concepit me mater mea;* כי בשעה הלידה היצר הרע נטוע בלב *Chi besciangabhelidah haiezer harangh naouangh leleu; Quoniam in momento conceptionis eius fomes prauus, figmentum malum plãtatum est in corde.* Quod dixit apertè Deus loco citato Gen. 8.14. Quoniam יצר *Iezer; figmentũ cordis hominis malũ* מנעריו *Minnengburau; ab adolescentijs suis*; in plurali; Vbi nota; *nengburim, pueritiæ*; amplecti totam ætatem teneram, incipiendo à conceptu in vtero matris, infantiam, pueritiam, & adolescentiam vsque ad annum vigesimum quartum ætatis. Quare vult docere Deus figmẽtum prauum, & peccatum originale esse insitum cordi humano à conceptu eius in vtero matris suæ.

Hinc Thalmudistæ tract. Sanehedrin c. 11. fol. 118. col. 3. docent Antoninũ Imperatorem inquisisse R. Theudah hachadosc יצר הרע *Iezer harangh; figmentum malum,* quando שלט *sciolet*, dominatur in homine, vel ab hora יצירה *iezirah*: formationis: aut ab hora משעת יציאה *misciãgath ieziah*; egressionis: quando scilicet egreditur ex visceribus matris eius. Dixit ei Rabbi, ex hora formationis eius, vtraque est vera, & admittenda; vide ibi multa alia.

In Medrasc Thillim psal. 15. *Sanctis, qui in terra sunt &c.* Deus S.B. non vocat iustos Sanctos, donec terræ tradantur, vsque ad diem mortis eorum. Quare? Quia, Iezer harangh formatur in homine in mundo isto, & non est securus

curus de illo vsque ad diem mortis eius. Et ita dixit Salomon Ecclesiaste 8. *Non est iustus in terra, qui faciat bonum* ולא יחטא *Velo iecheta: & non peccet*; ideò non vocatur קדוש *chadosc: sanctus*; donec terræ tradatur. Et certè patres non fuerunt vocati Sancti, donec non fuerunt terrę traditi; Ideò dictum est Iob. 25. *Ecce in Sanctis suis non confidit*. Quando igitur confidit in eis? In ea hora quãdo dixit Moyses Deo Exod. 32. *Memento Abraham Isaac, & Iacob seruorum tuorum*. Non fuerunt vocati Sancti, donec sudario velatæ fuerunt facies eorum. Quid est quod scriptum est Iob 24. *Et traxit robustos in fortitudine sua?* Hoc est *iezer harangh*, figmentum malum; Traxit enim robustos in fortitudine sua; hoc est generationẽ Enosc; generationem diluuij; generationẽ diuisionis linguarum turris Babel, & sodomorum; sicut scriptum est Gen. 3. *Multiplicans multiplicabo* עצבונך *nghizuonech; labores tuos*. Multiplicasti tu ò Eua labores tuos patribus mundi. In Medrasc, expositione Ecclesiastis super illa verba c. 4. *Melior est puer pauper, & sapiens, quam rex senex, & insipiens, qui nescit cauere in posterum*. Puer pauper, & sapiens est יצר טוב *iezer tou*; figmentum bonum, bonus affectus, bona ratio. Et cur vocatur puer, quia non adiungitur homini, nisi post tertium decimum annum, & supra, ità R.S. & omnes. *Non venit in homine vsque ad annum tertium decimum* עד יג שנה *ngad iod Ghimel scianah*. Et quare vocat eum pauperem? quia non omnes obediunt ei. Quare verò sapientem, quia docet creaturas, et instruit eas ad viam rectam. *Quã rex senex, & insipiens*; hic est *iezer harãgh*; figmentum malum; Et cur vocat eum regem? Quia omnes ferè obediunt ei. Et cur appellat eum senem? Quia copulatur homini ab infantia vsque ad senectutẽ.

Quare

Quare autem vocat eum insipientem? Quia ostendit homini viam quam nescit.

Ex quibus obiter optimum desume argumentum contra iudæos iuniores. Nam si figmentum bonum, non aduenit homini, nisi anno tertiodecimo suæ ætatis; cum dicatur de puero Emmanuele, quod in ortu suo comedet butyrum et mel sciens ipse sententia sua tunc simul, et semel in sua infantia reprobare malum, et eligere bonum; quid hoc erit, nisi denotare Emmanuelem infantem carere penitus figmento prauo, concupiscentia mala, et peccato originali, et esse sua sapientia sanctissimum, iustissimum, et impeccabilem, esse ipsummet Deum, et sapientiam æternam; vt satis docuimus tract. 1. Ex prædictis satis constat, dari apud hebræos peccatum originale, siue fomitem prauum, vniuersalem cunctis filijs Adam, et esse causam mortis corporis, et omnium peccatorum.

Sectio decima.

Ostenditur quod Rex Messias, Dominus homo pugna venturus erat, ad conterendum caput serpentis antiqui, qui est satanas; Quod Deus ab initio mundi vaticinatus est, comminans serpenti, Gen. 3. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & semen tuũ, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum; et tu insidiaberis calcaneo eius.

FRater Adamus Franciscanus theologus egregius, literalis et moralis nostri Isaiæ doctus expositor, declarans Prophetæ verba. *Velociter spolia detrahe, citò prædare*; sic discurrit; *Licet Euangelij nomen tempore Christi*

corum

ortū videatur, res tamen Euangelij semper fuit. In ipso enim statim libro Geneseos agnoscitur, vbi ait. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius. Ipsa enim, vel secundùm alios ipsum scilicet semen, quod est Christus, conteret caput tuum. Hanc rem significare voluit Propheta his verbis. *Velociter spolia detrahe, citò prædare;* quasi dicat; *Hactenus diabolus exultauit in hoc mundo, efficax fuit in mentibus hominum; iam eijcietur foras; puer qui nascetur, velociter spolia detrahet, quæ sumus nos, citò prædabitur, non vltrà patietur regnare ipsum. Est ergo sermo ad puerum, cuius nomen in præcedenti capite vocatum est Emmanuel.* Hæc ille. Quod verò hoc oraculo, & vaticinio Isaiæ præcipuè, & clarissimè renouetur, & repromittatur semen, siue filius mulieris, nēpè rex Messias filius Virginis, Emmanuel filius, *hangalmah; Ecce virgo concipiet, & pariet filium;* & filius Dei; *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium;* qui cōterat caput antiqui serpentis, ipsum spoliet, & diripiat; *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædam;* nostrum erit in præsenti, pro nostra virili, ostendere, tàm de matre, quàm de filio; Cùm maximè ex hoc satisfiet cuidam obiectioni iudaicæ; cùm enim cap. 7. ostenderimus voci, העלמה *hangalmah*, præpositā illi fuisse litterā ה *he*, punctatam vocali, *a camets*, quæ format dictionem, *ha*, denotantem rem notam, insignem, & sæpè præsentem; & cùm ante hanc Isaiæ prophetiam, neque fuisset, neque esset mater regis Messiæ, neque de ea facta adhuc aliqua mentio in sacra Scriptura; & ob id nullo modo loqui Isaiam de illa, dum dicit; *Ecce hangalmah virgo &c.* sed loqui de alia quæ tunc temporis Isaiæ existeret; & alijs notior, nobilior, & excellentior esset; Huic inquam obiectioni satisfiet, si ostenderimus iudæo, non

Oliuetani. A a a solùm

solùm ante tempus Isaiæ, sed ab initio mundi, Deum, quę est sua infinita misericordia, statim post peccatum, promisisse, & reuelasse primis parentibus, & generi humano, hanc excellentissimam virginem, & eius semen, siue filiũ regem Messiam; qui, & quæ conterere debebant caput antiqui serpentis, nempè diaboli, & iniusta eius spolia, qui sumus nos, ab illius tyrannide eripere, & liberare; Hanc enim fortissimam, & victricem virginem, & filium eius, miratur, collimat Isaias, dum voci, *ngalmah*, virgo, præmittit illam dictionem, *ha*; demonstratiuam, & indicatiuam magnæ, & eximiæ illius Virginis à Deo promissæ; vt per eam, & filium eius conteratur caput diaboli; In quo labore nobis erit certamen cum hebræis, & hæreticis nostri temporis, qui nimis sacrilegè, & ignoranter oblatrant aduersus sanctissimam Virginem Mariam Iesu Christi filij Dei matrem. In qua veritate litterali indaganda hunc obseruabo ordinem. Primò litteram grammaticaliter ponderabimus. Deinde RR. expositiones perpendemus. Tertiò ostendemus veritatem in titulo sectionis propositam.

Obseruationes litterales.

I *Nimicitias* ואיבה *veeuah*; radix איב *aiab*; inimicatus est, aduersatus est; Exo. 23. 22. *Et inimicus ero inimicis tuis*; siue, *& odio habebo inimicos tuos*. Hîc est in singulari; *Et inimicitiam*; siue, *odium*; cuius anthitheton est אהבה *ahauah*; *Amor*; Et nota, nunquam vsurpari nisi de ratione vtentibus, sicuti & amor; odium enim, & amor nonnisi in voluntate sedem suam habent, qua cùm careant omnia animalia, sicut & ratione, impropria loquutione ista dicerentur inimicari, & diligere.

Po-

Ponam אשית *ascith*; futurum; radix est שות *scioth*; siue שתת *sciathath*; ponere, fundare, suscitare; est coniugationis hiphnghil, propriè, *ponere, suscitare faciam*, Gen. 4. *posuit mihi Deus semen aliud*; Septuag. *suscitauit*; Et satis ostendit Deus loquens in futuro; & in tali coniugatione, quod per ly mulierem, & semen eius non intelligit Euam, quæ aderat præsens, & filium eius Chain, quem primũ, postea genuit ex Adam; siquidem quænam fuerint odia, & inimicitiæ, quas Deus tunc posuerit inter serpentem, & Euam, nullæ apparent. Nam si illæ dicantur, quæ sunt naturales anthipathiæ inter serpentem, & hominem; iã ante erant; Nam serpens, qui dicitur callidior cunctis animantibus terræ, hoc est in malum, ad offendendum hominem, iam odio, inimicitia, & liuore naturali adorsus erat Euam, vt illam deciperet, & offenderet. Et Eua statim videns se esse seductam à serpente, dixit .n. Deo; *serpens decepit me*; & se esse deiectam à sua prima dignitate, & coniectã in multas miserias, statim Eua inimicata est serpẽti, odio habẽs illum; Quare istæ inimicitiæ inter serpentem, & Euam erant iam ortæ, & ante peccatum, & post peccatum immediatè; de quibus non potest loqui Deus, cùm afferat, quod ipsemet ponet, suscitabit, siue significantiùs suscitare faciet, has inimicitias inter mulierem, & serpentem; Deus constituit se fore causam, & auctorem harum inimicitiarum; at verò prædicta inimicitia orta est ex malitia, & malignitate serpentis, quicũquè ille fuerit, siue materialis, siue spiritualis, & in Adam ex malo illáto illis ab eodem serpente; quas autem inimicitias posuerit Deus inter Euam, & serpentem non reperient. Quare dũ Deus loquitur in futuro tempore, *ponam*, ad aliam mulierem, quam Euam respicit Deus. Ita notauit S. Cyprianus lib. 2. testimoniorum adu. iudæos c. 9.

Ponam inimicitias inter te, & mulierem, non dicit pono, ne ad Euam pertinere videretur; sed ponam &c. idest suscitabo mulierem &c. Hæc enim est maledictio, & punitio noua, quam Deus infligit serpenti, quod nempè mulier, & eius filius cōterant caput ipsius serpentis, & occidant illum; nam serpens in solo capite interficitur, quod Euæ conuenire nequit, nec reperitur, vt infra patebit.

Inter te בינך *benecha*; radix בן *bon*; *intellexit*; *bina*, *intelligentia*, formatur בין *ben*; dictio aduerbialis, significans, *inter*, *intra*, quater repetitur in hac prophetia. *Inter te, & inter mulierem. Et inter semen tuum, & inter semen illius.*

Et mulierem ובין האשה *vuen haisciah*; *& inter mulierem*; quatuor nominibus vocata fuit Eua in opere creationis; primo nomine *Adam*; hic, & hæc homo, Gen. p. 27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam*; secundo nomine vocauit Deus illam fęminam. נקבה *Necbeuah*; à sexu à foramine, quasi perforata, quo à masculo discernitur: *Masculum, & fæminam creauit eos.* Tertio nomine vocauit eam Adam, postquam Deus illam formauerat ex illius costa. אשה *isciah*. *Hæc vocabitur virago, vira, quia de viro sumpta est*, Gen. 2. 23. Quarto nomine vocauit eam Adam. חוה *chauah*, *Heua*; post peccatum, Gen. 3. 2. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Heua*; de quo nomine aliàs; porrò hoc nomen, *haisciah*, virago, desumit suam significationem ab illo nomine איש *isc*; cuius radix est אשש *asciasc*; significans firmum, robustum, fortem, strenuum; hinc אשש *ascisc*, dicitur fundamētum, eo quia est robur ædificij, illudq; substentat, Isa. 46. 8. vulgatus; *Mementote illud, & confundamini*; hebr. והתאששו *vehithsciasciu*; *Et fortes estote*; ita Cald. RR. Pagn. *& roborate vos.* Quare איש *isc*; vir dictus est à robore, fortitudine, virtute, & strenuitate; ita etiam mulier, *isciah*; significat

mu-

mulierem virilem, fortem, virtute prædirtam; Et certè hoc loco nõ aliã possumus intelligere, quod innuat Deus nomine isto; *inter mulierem*; quam viraginem fortem, & serpentis victricem, apertè excludens Euam, & ostendẽs aliã mulierem venturam, quæ caput serpentis conterere deberet, & superare; Eua enim victa, contrita, & subacta fuit à capite; hoc est suggestione, & potestate serpentis, qui illam indixit, vt magis ipsi crederet, quam Deo, & illius mandatum violaret, & virum suum in peccatum alliceret. Hic nota, sicut Eua, quæ dicitur, *isciah, mulier*, erat virgo, & in statu perfectæ virginitatis, quando fuit victa, & deiecta à serpente, vt ex Scriptura patet; ita requiritur, quod ista, quam Deus vocat mulierem, & promittit debellatricem serpentis, & victricem, sit virgo, & virgo serpentis caput conterat; neque obstat quod subditur; *& inter semen illius*; quin potius hoc apertè probat fore illam mulierem, & virginem, & matrem simul, vt infrà ostendetur.

Et inter semen tuum ובין זרעך *vuen zarangbachah*; R. Zarangh, seminare, semen spargere ad speciẽ conseruandã; Est singul. num. ita Cald. legit; *Et inter* בנך *benach*; *filium tuum*; Hinc per synecdochen, *zerangh*, posteritas, nepotes, filij. Quodnam sit hoc semen, siue filius serpentis; si nomine serpentis intelligatur illud animal terrestre, & notum, erit illius soboles; si intelligatur spiritualiter lucifer, & dæmon; semen, & filij eius erunt omnes dæmones, quorum est caput, & rex; *ipse est caput super omnes filios superbiæ*; Iob. 41.25. & omnes impij iudæi, hæretici, infideles, & peccatores; *Vos ex patre diabolo estis*; qui sæpissimè vocantur semen impiorum, nõ natura, sed imitatione, ps. 37. *Et semen impiorũ peribit*; Isa. 1. *semen impiorum*; vocat hebræos idololatras, & Deo rebelles, declarat, *filij sceleratii*; heb. *Macchithim, perditi, corrupti*

mo-

moribus; ובין זרעה *buen zarnghabh*; Cald. *Et inter semen illius*; ובין בנאה *buen benaba; Et inter filium eius*; ita sæpè nomine seminis intelligit sacra Scriptura vnum filium; Gen. 4. 25. *Quia posuit mihi Deus semen aliud pro Abel*; Cald. בר אחרן *bar ocharan; filius alter*; qui fuit Seth; Gen. 15. *Mihi non dedisti semen Targum*; ולד *Velad, filiũ*; Gen. 21. 13. *sed & filium ancillæ Ismaelem faciam in gẽtem magnam, quia semen tuũ est*; Cald. ארי ברך הוא *are berach hu; quia filius tuus est*. Et hoc est primum nomen, quo Deus vocauit regem Messiam, illum promittendo patribus, quatenus ex illorum prosapia, & semine oriundum; Genes. 22. 17. *Et possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum*; *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*; vbi ter dicitur, *semen tuum*; Certè tribus his locis, ly, *semen*, accipitur eodem sensu; sensus huius nominis זרע *zerangh*; cùm sit nomen collectiuum, posteritatem, & prosapiam significans, potest esse duplex, vel singularis pro vna persona, vt textus citati indicant, vel pluralis pro omnibus, Gen. 24. 60. parentes Rebechæ dixerunt; *Et possideat semen tuum portas inimicorum tuorum*; זרעך *zerengbech*; Cald. בניכי *benaichi; filij tui*; Genes. 19. *Suscitabimus ex patre nostro* (erant duæ sorores) זרע *zerangh; semen*; Cald. בנין *benin; filios*. Vterque sensus continetur in promissione diuina facta Abrahamo; & in prophetia prædicta de semine mulieris, quod contereret caput serpentis; hoc enim est dicere; *possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum*; hoc est dicere; *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Dicant hebræi quando hæc vmquam adimpleta fuerunt; quando multiplicati sunt sicut stellæ cœli, & sicut arena maris, quod est dicere, quòd totius mundi, & orbis sint dominati; cùm omnes gentes

tot

tot sæculis illis dominentur, & imperent. Quando possederunt portas inimicorum suorum, cum ipsi ab omnibus possessi, & conculcati sint. Quando per ipsos benedictæ fuerunt omnes familiæ,& gẽtes terræ, cum potius ab ipsis blasphementur,& maledicantur vbique ? Confiteantur inuiti veritatem, hæc omnia à Deo promissa adimplenda fore in diebus Messiæ regis, per manum ipsiusmet; ergò rex Messias erit illud semen, ille filius mulieris, qui conteret caput serpentis infernalis, qui multiplicabit semen suum filios suos spirituales; *& videbit semen longæuum*, in sanctitate, sicut stellas, & angelos Dei, in numero,& multitudine inenarrabili, sicut arenam maris. Rex Messias erit illud sanctissimum semen sanctissimæ, & virginissimæ matris, qui possidebit portas inimicorum suorum, debellabit,& sub pedibus eius couteret omnes diabolicas, & infernales potestates; auferens ab hoc mundo omnem idololatriam, peccatum, figmentum malum, mortẽ,& damnationem infernalem. Rex Messias erit illiud semen filius Virginis, cuius merito infinito, passione,& morte omnes gentes benedicentur, iustificabuntur à peccatis eorum saluabuntur à perditione æterna, & beatificabuntur æternaliter in cælis. Istud semen omnium credẽtium in regem Messiam, merito,& gratia illius adiuti cõterent caput serpentis antiqui, figmenti praui,& angeli mortis, superando, & fortiter resistendo illius suggestionibus; De hoc sancto,& victorioso semine dixit Deus Abrahamo Gen. 21. 31. *Quia in Isaac vocabitur tibi semen*, Cald. *Vocabuntur tibi filij*, non secundum carnem, sed qui sunt filij secundum spiritum per veram fidem in regem Messiam, & vitæ integritatem,& innocentiam. Principalis tamen sensus. In hac prophetia est de rege Messia Iesu Christo, & eius

matre sanctissima Virgine; cuius virginitas apertè testatur Deus, & demonstrat, dicendo; *Et semen illius, id est mulieris*. In tota scriptura nõ reperies, quod semen dicatur de muliere, sed de viro; semen viri Gen.4.25. *Posuit mihi Dominus semen aliud*, certè Adami erat; Gen.19.32. *vt possimus seruare ex patre nostro semen*. 38.8. *Vt suscites semen fratris tui*, Leuit.12.2. *Mulier si suscepto semine*, certè ab homine, Cald. *Conceperit*. Mysterium ergò est, cur Deus in tota scriptura nõ dicat semen mulieris, nisi hoc loco, & quid erit nisi adumbrare; quòd iste filius mulieris nõ erit ab ipsa cõcipiẽdus, & generãdus ex semine viri, sed ex ipsa sola, ex suis purissimis sanguinibus, virginissimè, & sanctissimè? Certè patriarcha Iacob in vltimo vitæ existens, & plenus fide, & spe venturi regis Mesiæ promissi à Deo hoc loco, nomine seminis mulieris; loquens de ipso rege Mesia, vocauit eum filiũ mulieris, huius sãctissimæ, & victoriosissimæ: *Donec veniat* שילה *Sciloh*, filius illius, generis fœminini, illius Virginis fortissimæ, quæ contritura est caput inimici totius generis humani.

Ipsa הוא *hi & hu*, *ipsa*, *vel ipse*, potest legi, & vtraque lectio est litteralis, & tenenda, ita vt ly, *hu*, sit relatiuum ad mulierẽ generis fœminini; & ad filiũ eius, generis masculini, siue ad semẽ latinè generis neutri, hebraicè generis masculini, & cũ hebræi careãt neutro, vtuntur masculino; quòd verò debeat legi *ipsa*; vti est in vulgato, & apud multos patres antiquos vt infra diffusiùs (nam lectio *ipse*, est Caldæi, qui ly, *semen illius*, traducit *filiũ eius*) ratio fundamentalis est, nam istam inimicitiam, quam Deus minatur serpenti, & dæmoni in punitionem illius, asserit Deus, quod ponet, & fundabit intrinsecè, non solùm inter filiũ, & semen serpentis, & inter filium, & semen mulieris;

sed

sed etiam inter ipsam mulierem, & inter ipsum serpentẽ; sed hęc inimicita, siue odium, siue effectus odij in hoc solùm ponitur, & explicatur à Deo, quod filius mulieris percutiet caput serpẽtis, & serpens insidias ponet calcaneo eius, ergò sub ijsdẽ verbis necessariò includit Spiritus sãctus etiam ipsam mulierem conterentem caput serpentis, & cuius calcaneo insidietur serpens; Ergò non solũ legendum est; ly, relatiuum הוא *hu ipse*, masculinè, denotans filium mulieris, sed legendum est fęmininè היא *hi*, denotans ipsam mulierem; Alias si tantùm relatiuum *hu*, referatur ad filium, & non ad mulierem, nulla erit inimicitia inter mulierẽ, & serpẽtẽ, & sic nec mulier cõteret caput serpentis, nec serpens conteret calcaneum mulieris, quod repugnat apertè verbis diuinis. Ergò necesse est dicere in nomine, & relatiuo masculino *hu, ipse*, includi etiam relatiuum fœmininum היא *ipsa*; adeò vt, & mulier, & filius eius, vt inimici serpentis conterant ambo simul caput illius; nõ .n. serpens insidiatur solũ calcaneo filij mulieris, sed ẽt calcaneo ipsius mulieris, q̃ primò, & p̃cipuè sua sugestione decepit, & deiecit; & sic acrior, crudelior debet esse inimicitia, & odiũ, & bellũ inter mulierẽ & serpentem, quã inter semen mulieris, & semen serpentis; & ad honorem, & dignitatem primæ mulieris recuperandam, quàm serpens dehonestarat, & deiecerat, ponit Deus hanc inimicitiam præcipuè inter aliam mulierem, & serpentem, quæ conterens caput serpentis, dignitatem, quam prima mulier amiserat, sibi vindicet, & acquirat; quamuis verum sit, quod mulier per suum semen, siue filium contritura sit caput serpentis, quod infrà explicabitur. Hic verus, & litteralis sensus huius misericordiosissimæ prophetiæ inuenitur apertissimè notatus, & confessus à R. inter omnes post Moysem omniũ RR.

max imo; qui est R. Moyses Maimon, vulgariter dictus R. Moyses Egyptius, de quo illud admirabile Maamar, encomium tritum, & notum apud Iudæos; ממשה עד משה לא קם כמשה *Mimosceh ngad Mosceh lo cham chemosceh*; quæ desumuntur ex cap. 34. 10. Deuter. dicta de Moyse legislatore; *Et non surrexit vltrà propheta in Israel sicut Moyses*; & sensus est; à *Moyse*; idest propheta; *ad Moysem istũ Egyptium*; *Non surrexit sicut Moyses*; iste Egyptius; qui doctrina, & sapientia Moysi legislatori coadæquandus sit. Iste secundus Moyses explicans prædicta verba primi Moysis in suo aureo libro Moreh Neuuchim; Doctor dubiorum, siue perplexorum; & incidens in hanc perplexitatem propositam par. 2. cap. 30. prope finem paragrapho ומימה *Vmimah*; sic scribit; *Et ex hoc, quòd opus est, scias illud, & teipsum excites super illud. Quod serpens non approximauit Adamo, neque loquutus est cum eo; Verùm* השתדלותו *hisethadeluthe; studium eius, conatus eius, & approximatio eius fuit ad Euam, & mediante Eua offendit Adam, & occidit eum serpens*; והשנאה השלמה *Vehasinah hascelemah; Et odium absolutum, perfectum certè* קיימת *chaiiemeth; firmatum est, stabilitum est inter serpentem, & Euam; & inter semen serpentis, & semen Euæ. Sed maior* נפלא *niphla; admiratio; siue magis admirandum; magis arduum; ex hoc; quod serpens colligatus sit cũ Eua; idest, semen serpentis, cum semine mulieris, caput, et calcaneus*; והיתה מנצחת לו בראש והוא מנצח לה בעקב *Vehaiothah menazecheth lo berose; vehu menazach leh banghecheu; Itaut ipsa*; Eua; *vincat, triumphet ipsum*; serpentem; *in capite; Et ille*; serpens; *vincat, & triumphet illam*; Euam; *in calcaneo*. Hæc ille secundus Moyses; & subdit; *hoc esse vnum ex admirandis, & arduis axiomatibus, et paradoxis litteralibus*. Qui maximus RR. Doctor litteraliter docet

re-

relatiuum הוא *hi*; *ipsa conteret caput tuum*; ad mulierem referre, & simul ad filium eius; *hu, ipse conteret caput tuū*. Neque obstat, quod opponūt hæretici relatiuum הוא, *hu*; indicare genus masculinum, vel neutrum, non fœmininū; nā notum est initiatis linguæ sanctæ, quod sæpè in libris Moysis articulus fœmininus scribitur הוא *hu*; & legitur היא *hi*, Gen. 2. *Et aurum terræ*; ההוא *habi, illius*; cap. 3. *Mulier quam dedisti mihi*; הוא *hi, ipsa dedit &c.* c. 3. *Et vocauit Adam nomen vxoris eius Eua*; quia הוא *hi, ipsa fuit mater &c.* Neque valet dicere, quod in nostro textu ly relatiuum הוא est punctatum masculinè *hu, ipse*; non fœmininè, *hi, ipsa*; & sic Cald. Septuag. Complut. Regij, & alij, legunt, *ipse*; siquidem hebraici codices vsque ad tempora Sanctissimi Doctoris Hieronymi caruerunt punctis; At verò הוא sine punctis poterat legi; & *ipse*, & *ipsa*; Quæ lectio fuit editionis vulgatæ, ab initio Ecclesiæ, & sequutà ab Aug. lib. 2. de Gen. cōtrà Manich. c. 18. lib. 11. ad litteram cap. 36. Amb. de fuga sæculi c. 7. Greg. 1. mor. 38. Bernar. tom. 2. super Missus est, Euch. Rup. Beda, Rabb. Strab. & Lyrano; Neque placet dicere, cum doctissimis Bellarminio, & Cornelio à Lapide hoc loco, ly, הוא, *hu*, esse vnam ex illis dictionibus, quæ aliter scribitur, & aliter legitur, quæ dicitur ab hebr. מלה דכתיב ולא קרי *millah dicthiu, velo cheri*; Dictio, quæ scribitur, sed non ita legitur; scribitur per ו, הוא, sed legitur per *i* היא, scribitur *ipse*, sed legitur, *ipsa*. Nam non reperitur apud hebræos hic locus inter similes dictiones, neque à Massoretis obseruatus; deinde esset tantùm vna lectio huius loci, putà, *ipsa conteret*; & non, *ipse*; quod repugnat textui; Quare vera responsio est, quod ex sensu litterali, & proprio huius prophetiæ ly, הוא *hu, ipse conteret*; includat simul intrinsecè, significatum, & relatiuum fœmininum ad mulierem,

ipsa conteret; הוא *hu*; enim fine punctis, his duobus modis; immo tribus, potest legi; *ipse, ipsa, ipsum*; & omnes istæ tres lectiones sunt litterales, catholicæ, & de fide tenédæ, & magis probabitur ex sequentibus modò.

Conteret caput tuum; ישופך ראש *lesciuphecha rosc*; *percutiet te capite* שוף *sciuph*; communiter interpretes reddunt percutere, frangere, conterere, duobus tantùm alijs locis reperitur Iob. 9. 17. *Quia in turbine conteret me*, ps. 139. 19. *Et dixi forsitan tenebræ*; hebr. *obscuritas*; *lesciuphenni*; *percutiet me, obliget me*; R. Abr. vult hanc esse Ellypsin, & deficiat vtrobique littera בית *be*, quæ significat *in*; vt sit sensus, ipse, vel ipsa conteret te in capite, & tu conteres ipsum, vel ipsam in calcaneo, quæ est pars extrema corporis, sicut est prima, & principium, caput; vnde possunt accipi pro principio, & pro fine; itaut dicat Deus serpēti; Ipse, vel ipsa conteret te in principio; & tu conteres ipsam in fine. Cald. ita vertit; *Ipse recordabitur tibi illud, quod fecisti ei*; מלקדמין *millechodamin*; *à primordijs*; *& tu eris* נטר, *obseruans illum in fine*, idest, insidiando ei.

Et tu insidiaberis calcaneo eius; est idem verbum quod sup. שוף *thesciuphennu*; *& tu conteres eum calcaneo*; isdē sensus; at vulgatus vertit; *tu insidiaberis*; vel quia propriè insidiæ ponuntur pedibus; vel quia cùm possit esse radix נשף, quę abscondere, & occultare significat, ps. 139. *forsitan tenebræ occultabunt me*; videtur simul denotare; quasi occultè ex insidijs aliquem percutere, & contèrere; quod proprium est, & naturale serpentis, & diaboli. Hic rabidi, latrantes, & mordentes aduersus doctores catholicos insurgunt hæretici omnes, Caluinus, Khemnitius, & alij exercentes in illos calumniam, quod legant *ipsa*; & non *ipse*; Caluinus in Atidoto Concil. Trident. ita blaterat; *Locus hic nimis luculento documento est, quanta fuerit in*

papatu

papatu doctorum omnium inscitia, & socordia, & incuria. Obrepsit fœmineum genus loco masculini, vel neutri; Qui hebræos codices consuleret nemo inter eos fuit, vel qui solùm latina exemplaria conferrent; Communi igitur errore vitiosissima lectio recepta fuit. Sed ex prædictis constat papatus doctores Aug. Ambr. Greg. & alios non fuisse inscios, & socordes retinédo antiquam Ecclesiæ catholicæ lectionem; *Ipsa conteret*; eo enim tempore horum Sanctorum doctorem erat tunc vera Ecclesia catholica, testimonio etiam ipsius Caluini, & omnium hæreticorum; ergò illa lectio, *Ipsa*, vtpotè quæ semper in Ecclesia Dei fuit approbata; ergò, inquã, fuit tunc, & est modò, & erit semper recta, vera, canonica, & retinenda de fide. Mentitur etiam Caluinus, neminem ex Doctoribus papatus codices hebræos consuluisse; Nam D. Hieron. iuditio omnium hæreticorum doctissimus, & linguarum peritissimus, in translatione pentatheuchi, hoc loco, retinens lectionem antiquissimam totius Ecclesię; *Ipsa cõteret &c.* In quæstionibus hebraicis hoc loco, adducens lectionem Septuag. senum, qui legunt in genere masculino idem penitus relatiuum הוא *Ipse obseruabit caput tuum*; subdit, *melius haberi in hebræo*; *Ipse conteret*, quàm lectionem habuerunt ante Hieronymum Irenæus lib. 4. cont. hæres. cap. 78. Cypr. lib. 2. ad. Iudæos cap. 9. & post Hier. Petr. Chrysol. serm. 173. & alij, quos non viderunt hæretici socordes; Quare vtraque lectio, vtpotè optimè ex codice hebraico deprompta, & germana, & canonica fuit semper antiquissima auctoritate Ecclesię, & grauissimorum, & sanctissimorum Patrum sapientia, & doctrina cõprobata, & firmata. Imperiti sunt ergò hæretici, & impudentes, oblatrantes Scripturam sacram à catholicis doctoribus adulterari, & omnes esse inscios, & socordes;

Sed

Sed videamus,quæso,quam rudis sit istorum imperitia in confutando hanc lectionem germanam, & canonicam; *Ipsa conteret*. Dicunt enim; hæc est regula, & syntaxis grammaticæ hebraicę perpetuò obseruata;quod pronomina relatiuè posita genere, & numero, cum proximo antecedente substantiuo conueniunt, & verbo respondent,cùm in textu nostro substantiuum immediatè antecedens sit זרע *zerangh;et semen eius*,siue,*filium eius*;quod est generis masculini,vel neutri; & pronomen relatiuum immediatè subsequens sit הוא, certè legēdum est in bona syntaxi,*hu;ipse*;vel,*ipsum*;& non,*hi,ipsa*. Præterea cùm verbum, quod sequitur immediatè ad relatiuum הוא sit generis masculini tertiæ personæ, cuius nota charateristica in futuro est *iod* ישופך *lesciuphecha;cōteret*; & relatiuū correspondeat verbo,quod est ly הוא,ergò legendum est *ipse*,& non *ipsa*;sic enim,ne fieret discordātia in genere, oporteret scriptum esset היא תשופך *hi thesciuphecha; ipsa conteret te*, cum littera ת *thau* sit formatiua futuri tertiæ personæ fœmininæ. Vlteriùs,cùm dicit Deus serpenti; *Et tu insidiaberis calcaneo eius*, ly, eius est generis, vel neutri,vel masculini תשופנו *thesciuphennu*;si esset fœminini diceret;*thesciuphennah*; *insidiaberis eam calcaneo*; Quare tota cōstructio grammaticalis huius textus apertè ostendit litteralem versionem illius relatiui הוא debere esse *hu*, & non *hi*;*Ipse*,vel,*ipsum conteret te*,& non *ipsa*;esse relatiuum seminis,siue filij, non autem mulieris. Hæc illi.

Quæ omnia procedunt ex perfidia,& ignorantia idiotismorum,& hebraismorum,& sensuum, & arcanorum linguæ sanctæ. Quis nesciat illud tritum. Omnis regula patitur aliquam exceptionem. Quis ignorat esse varios tropos & figuras in lingua Sancta,quæ primo aspectu secundùm grammaticam videntur sollecismi, vt quando sumitur mas-

masculinum pro fœminino, quando vocibus fœmininis coniungũtur relatiua,& verba generis masculini;quãdo accipitur singulare pro plurali, & è contra, & similes loquendi modi, qui videri possunt apud peritissimum ling. Sanct. Pagninum Instruct. Grammat. lib. 2. & lib. 4. Et primò dico, concedo illam regulam, *Relatiua genere, & numero conuenire cum proximo nomine substantiuo antecedenti*; sed cum hoc grano salis, quòd si nomina substantiua antecedentia sunt duo, vel tria, siue omnia masculina, siue omnia fęminina, siue vnum masculinum, & alterum fœmininum, tunc relatiuum cõuenit quidem in syntaxi cum nomine proximiori illi; vt si nomen est masculinum, & relatiuum erit masculinum; non tamen excludit, immò necessariò includit, quod simul sit relatiuum fęmininum, si aliud nomen substantiuum, ad quod relationẽ dicit, est fęmininum, id exigente sensu, & natura sacri textus, & idiomate linguæ sanctæ; quæ loquutio vocatur zeugma; vt deducitur ex regula 21. lib. 4. Inst. Gram. Pagnini, de verbo, quod redditur secundùm exigẽtiam nominis proximi, siue masculinum fuerit, siue fœmininum, veluti Esth. 9. 29. *Quemadmodum* קים *chaiiam constituerat* gen. masc. *illis Mardocheus & Ester Regina*. Vbi quamuis ly verbum, *chaiiam, constituerat*; construatur cum nomine illi proximiori, nempè *Mardocheus*; tamen secũdũ sensum Scripturæ refertur etiam ad Reginam Esther; qua ratione doctissimus, & sanctissimus Hieron. traduxit verbum; *chaiiam*, plural. *sicut constituerant Mardocheus & Esther*. Aliud exemplum Hoseæ 9. 2. גרןויקבלאירעם *Ghoren uaiecheu lo irnghem*; *Area & torcular nõ pascet eos*; Vbi videas duo substantiua, *Ghoren*, generis fœminini; & *Iecheu*; *torcular*; gener. masculini; verbũ additũ, *irenghem*; conuenire genere cum nomine proximiori masculino;

pascet;

pascei; attamen sensus litteræ tàm intendit de Area, quã de torculari, quod non pascet eos; & sic dicit etiam, secundùm sensum relationem ad nomen fœmininum *Area*. Addo prouer. 27. 9. שמן וקטרת ישמח לב *scemen vet horeth, iesamach leu*; ad verbum; *Vnguentum, & suffitus lætificat cor, scemen*, masculinum; *chetoreth*, fœmininum; *isemach*, futurum generis masculini, nõ conueniens cum nomine fęminino illi proximiori; sed cum, *scemen*, nomen masculinum, vt potè quod digniùs, & præstantiùs cęnsetur nomine fœminino; nihilominus sensus litteræ includit conuenientiam eiusdem verbi cum nomine fœminino; tam enim suffitus, quàm vnguentum lætificant cor. Sed ad pleniorem huius veritatis notitiam, adducamus exemplũ conforme ad nostrum textũ de relatiuo הוא *hu*, in ordine ad proximũ substantiuum, cum quo concordat in genere & casu; & videamus quod simul idẽ relatiuum הוא *hu, ipse*, concordat cum nomine substantiuo fœminino antecedente, & remoto; itaut legi debeat הוא *hi, ipsa*. Exemplum hoc ex Scriptura affert Ioannes Buxtorfius linguarum peritissimus; sed in fide catholica perditissimus, in suo thesauro grammatico fol. 390. reg. 2. Eccles. 19. 9. ראה חיים עם אשה *Reeh chaiim nghim isciah*; *perfruere vita cum vxore, quam diligis, cunctis diebus instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi omni tempore vanitatis tuæ*; כי הוא חלקך בחיים *chi hu chelchechah bachaiim*; *Quoniam ipsa est pars tua in vita &c.* vbi ly, הוא genere masculino conuenit cũ sequenti; & vicino nomine חלק *chelech*, non autem cum antecedente אשה *isciah*; quod est fœmininum.. Hæc ille; Et sic vult esse eandem formam in textu nostro; *Inimicitiam ponam inter te, & inter* האשה *haisciah*; *mulierem*; *Et inter semen tuum, & semen illius* זרעה *zarenghah*; הוא hoc relatiuum genere, & numero conuenit cum antecedente

sub-

substantiuo masculino, & singulari זרע *zerangh*, semen, siue filius; & sic legendum, *ipsum*, vel, *ipse conteret*; concedo totum; ergò non est legendum, non erit lectio grammaticalis, si legatur relatiuum הוא *hu*, masculinum in genere fœminino, *ipsa*, prout dicit relationem ad nomen substantiuum fœmininum remotum אשה *isciah*, omninò negatur; & hæretici in hoc ostendunt vel ignorantiam, vel plusquam diabolicam perfidiam; nam etiamsi grammaticaliter verum sit, quod ly הוא debeat conuenire substantiuo proximiori, & legi, *ipse conteret*; grammaticaliter etiam debet hoc relatiuũ conuenire substantiuo remoto fœminino, quæ est האשה *haisciah, mulier*; & legi; *ipsa conteret*; probatur primò ex adducto exemplo Ecclesiastis; *perfruere vita cum* אשה *isciah, vxore*; En nomen substantiuum fœmininum remotum, & antecedens; deinde post nonnulla sequitur; *Quoniam* הוא חלקך *hu chelchechah*; in heb. *chelech*, est masculinum; vnde relatiuum הוא cum eo conuenit in genere; & sic si latinè nomen, *pars*, esset generis masculini, vel neutri, veluti si diceremus, *prædium, fundus, ager*, quæ hebræo hoc nomine חלק *chelech*, significantur; esset traducendum, *ipsum est prædium tuũ, ipse est fundus tuus*. Attamen grammaticaliter, & litteraliter ly הוא masculinum, *ipse*, debet traduci, & legi etiam fœmininè, *ipsa*; alludens ad nomen substantiuum fœmininum, remotum, & positum in principio versus עם אשה *nghim isciah*; *cum vxore*; hoc mihi probant, & ita legunt doctissimi hebræorum, vt Cald. paraphrastes, qui legit, *Iucundare cum* אתא *itha, vxore*; ארי הא חולקך *Are hi chulachach*; *Quoniam ipsa hi*, genere fœminino, *pars tua*; referendo relatiuum הוא *hu*, masculinum, ad mulierem, in genere fœminino, *ipsa*, duplicem lectionem in relatiuo הוא agnoscendo litteralem, *ipse*, & *ipsa*, masculinam, & fœmininam:

mininam; Hanc veritatem sequutus est R.S. hoc eodem loco, qui allegoricè exponens per vxorem generis fœminini, siue legem, siue studium legis; *Thalmuth thorah*, generis fęminini, vbi in textu legitur ly הוא *hu*, masculini, ipse legit in genere fœminino כי היא חלקך *Quoniam ipsa* siue mulier, siue lex, siue doctrina legis, *pars tua*; eadem pęnitùs ratione est asserendum, & confitendum in textu nostro; relatiuum ly הוא debet conuenire cum proximo nomine substantiuo זרע *semen*, vel *filius*, & legi, *ipsum*, & *ipse*; verùm etiam debet conuenire cum nomine substantiuo fœminino remoto האשה *haisciah*, *mulier*. Ratio vtriusque textus est, quam supra adduximus; Cur enim in textus Ecclesiastis, præter constructionem masculinam relatiui הוא *hu*, cum nomine masculino, *chelech*; *ipse est fundus tuus*; vt ita dicamus, peritis loquor; Doctores primati hebræorum legunt; *ipsa est fundus tuus*; referendo ad nomen fœmininum; *cum vxore*; nisi quia intrinsecè sensus litteræ est, quod ipsa mulier, ipsa vxor, est prædiũ pars, & possessio mariti; & sic necessariò, & secundum sensum debet fieri etiam constructio fœminina; *ipsa est pars tua*; Eadem ratione, inquam, in textu nostro; litteraliter, & grammaticaliter ly הוא; legendum est *ipsum*, vel *ipse*, quia nomen substantiuum illi proximum זרע *zerangh*, *semen*; siue *filius*; est talis generis; sed etiam debet necessariò legi fœmininè; *ipsa*; quia sensus intrinsecus, & litteralis textus includit ipsam mulierem; Inimicitia, n. ponitur à Deo tam inter mulierem, & serpentem, quam inter semen mulieris, & serpentis; & sic pari ratione; sed cum differentia tamen, tàm semen mulieris, quàm ipsa mulier conterent caput serpentis; & serpens conteret calcaneum eorum; Et sic euidentissimè patet litteraliter et secundum sensum Scripturæ relatiuũ הוא debere legi

ma-

masculinè, et fœmininè, *Ipse, ipsa.*
Obijciebant secundò hæretici הוא respondet verbo ישופך *lesciuphechach*; sed verbum est generis masculini; ergò, et relatiuum; et debet legi, *ipse conteret*, et non *ipsa*, cùm sit solęcismus, et discordantia in generę; Miror hæreticos, qui hebraicæ linguæ profitentur apicem peritiæ, hæc obijcere. Nōne docet ex doctrinis RR. Sanctio, Pagn. (sacræ, et doctissimæ religionis Dominicanæ, et totius Ecclesiæ Dei his nostris sæculis in peritia linguarū summum decus) lib. 2. Inst. Gram. c. 3. in scripturis frequentem esse figuram, quæ vocatur enallage generis; quando nomen, et verbum genere discrepāt; quod loquendi genus non est abusus, aut confusio linguæ; sed illius singularis idiotismus, continens aliquid occultum, et significatum mysticum, vt optimè notat R. D. in Michlol fol. 2. et 67. Nō enim authores sacri, diuino afflati spiritu, sine certa causa, hoc, vel illo modo loquuti sunt; Et hanc debemus inuestigare ex ipsomet contextu; Et in re nostra, persæpè inueniuntur, et relatiua, et nomina fœminea constructa cum verbis participijs, et dictionibus masculinis. Exempla multa Ierem. 49. 2. *Et viduæ tuæ in me* תבטחו *thiutachu*, masculini gen. pro תבטחנה *thiuthachnah*: fœmin. vbi est enallage in verbo generis, et personæ, sicut notat R. D. ob mysterium; Nam confidentes in Deo viduæ desolatæ, non fœminæ, sed viri, et viriles sunt. 2. reg. 14. 10. Dicebat rex Dauid mulieri Thechuitæ; *Qui contradixerit tibi adduc eū ad me*; והבאתו *vahaueti*; masc. R. D. dicere debebat suam regulam grāmaticam והבאתיו *uahauethiu*, cum puncto chirech sub ת; nam fœminæ Dauid loquebatur; Resp. vt actionem virilem demōstraret, quam mulier si per se nō potuisset adimplere, saltem per alium seruum fecisset. 4. reg. 3. 26. *Quoniam inualuit* חזק
 cha-

chazach (mascul.) siue fortius fuit, pro חזקה *chazachah* (fœmin.) ipso מלחמה *milchamah* (fœmin.) *bellum*. Ad ostendendam fortem ingruentiā, & vim belli, quæ nimis validè præualuerat contra Moab, vt ex contextu colligitur, & Cald. declarat, quem sequutus vulgatus sic vertit; *Quod cùm vidisset Rex Moab præualuisse, scilicet hostes*; Esth.1.20. *Et omnes vxores* נשים (fœmin.) יתנו *ithenu* deferant (mascul.) pro תתננה *thithennenah* (fœmin.) honorem maritis suis; vbi verbum masculinum fœminis tribuitur honoris gratia ad celebrandam obedientiam, ac reuerentiam ipsarum erga maritos suos. Ruth 1.28. *faciat Dominus* עמכם *nghimmachem* (mascul.) *misericordiā, sicut fecistis* עשיתם *ngasithem* (mascul.) *cum mortuis, & mecum. Det Dominus nobis* לכם *lachem* (mascul.) dicitur de duabus nuribus Hoemi; qua enallage vtitur Spiritus sanctus ad denotandum animum virilem, & virtuosum nurum istarum docēt omnes Doctores hebræi, & nostri. Cant.2.7. *Adiuro vos* אתכם *ethchem* (mascul.) בנות *benoth filiæ Ierusalem*; אם תעירו *im thanghiru* (mascul.) *si excitetis &c.* Vbi pronomen masculinum, & bis verbum masculinum dicitur de filiabus Ierusalem, certè ob secretū sensum, nempè virilem fidem, constantiam, & amorem animarum credentium in regem Messiam, qui dilectus, & amor est, & dicitur. Tandem afferamus aptissimum textum, in quo verbo masculino passiuo vocatur mulier prima ab Adamo, Genes.2.23. *Ista* אשה יקרא *Ichare iscia* (mascul.) pro תקרא *thichare* (fęmin.) *Vocabitur virago*. Videas ergò quomodò vsitatissimi sint isti idiotismi in lingua sancta nominibus, & pronominibus fęmineis tribuere, & adiungere verba masculini generis, & hoc ad significandos actus fœminę masculos, viriles, heroicos, & virtuosos; cuiusmodi enallage, & hebraismus est iste

noster;

nosteri; *Ipsa* ישופך *Iesciuphecha, cōteret*; gener. masculini, pro תשופכה *thesciuphechah*, generis fęmin. eodem pęnitùs mysterio ad insinuandam admirabilem fortitudinem, & strenuitatem huius Viraginis, & Virginis in conterendo caput serpentis antiqui. Et ità cùm omnes hæretici cōcedant, & confiteantur hoc textu Deū promittere Christum futurum redemptorem omnium; nomine feminis siue filij mulieris; & per matrem eius sanctiss. Virginem Mariam; coguntur deponere odium, & perfidiam, qua continuò ipsam persequuntur, & blasphemant, confitendo, illam simul cum filio, & per filium esse debellatricem diaboli, & victricem gloriosissimam, de quo statim. His sic explicatis, & positis, inuestigandi sunt sensus, & expositiones, quæ à RR. afferuntur circa hanc Scripturam, multùm enim lucis afferent ad veritatem cognoscendā.

Quæritur primò, quisnam fuerit ille serpens, qui tentauit, & seduxit Euam, cui maledixit Deus, & inter quem, & mulierem inimicitiam Deus posuerit.

DVas expositiones, & ambas veras, historicas, & litterales de isto serpente inuenio apud antiquos, & modernos hebræos. Prima est, quod iste serpens fuerit verus, materialis, & naturalis serpens, cuius verò speciei ignoratur; ita omnes nostri expositores pro certò tenent; Addunt verò hebræi de isto serpēte, tractatu סוטה suthah c. 1. fol. 35. col. 1. quod Deus dixerit de eo postquam deceperat Euam, & illi maledixit; *Dixit D. S. B. Ego dixi, Erit rex super omnia animalia, & bestias campi; Nunc maledictus erit inter omnia animantia, & bestias terræ; Dixi, ambulabit in statura recta, & eleuata; Nunc super*

pectus,

pectus eius gradietur. Dixi, erit cibus eius de cibo hominis: Nunc & terram comedet. Dixit ipse serpens, occidam Adam, et decipiam Euam; Ideò; *Inimicitiam ponam inter te &c. ipsa conteret &c.* Ita ex hac doctrina Thalmudica R.S. R.Abr. R.Bechai, R.ngaramah deducunt, quod serpēs prius loqueretur, haberet manus, & pedes, rectus incederet, & comederet de fructibus arborum. Sed post maledictionem angeli ministerij abscinderint ab eo manus, & pedes, & linguam, & vocem ademerint. Quę certè sunt solitæ iudæorum fabulæ, nisi aliud innuere velint; nam, vt nostri rectiùs docent; serpens ante tentationem Euæ non erectus, sed super pectus suum sine manibus, & pedibus reptabat, & terram comedebat, tamquā ei naturale; & non erat tunc tam abhominabilis; At post seductionem Euæ, quæ prius erāt illi naturalia confirmata sunt ei in pœnam, & abhominationem; sic mors erat naturalis homini, vtpotè composito ex contrarijs qualitatibus; sed post peccatum fuit illi pœna peccati; sic iris ante diluuium erat naturalis, post diluuium cœpit esse signum pacti; quæ enim ratio cur serpente in quo non erat culpa, naturalia dona auferentur, quæ nec dęmonibus, nec ipso homini propter peccatum ablata fuerunt. Sed nimium turpe, & infame est illud, dicunt Thalmudistæ, & refert R.S. in sua glossa codicis thalmudici citati; *Quod serpens antiquus posuit oculos in Euam, &* ובא עליה *vua ngaleah; Et ingressus est ad eam;* Et hoc est illud *serpens* השיאני *bisciani, decepit me;* לשון תשמיש ונישואין *lescion thascmisc venisciuen; quod significat concubitum, coitus, & vxoratione cum viro;* q̄ est dicere, serpens coiuit mecū, vxoratus est. Idq; vt Thalmud. à Thalmude accepit nouus, & spurius R.Ionat. ben nghuziel, & inseruit in suo mendaci, & fabuloso Targū in pentatheuco, Gen. 4. 1. *Et Adam cognouit Euam vxorem suam. Cognouitq; Adam vxorem suam*

præ-

prægnantem esse à Samaele (qui & serpens antiquus, & Satan) *à quo concepit, & peperit Cain*; Nollem hæc dixisse; sed sunt thalmudica. Secunda expositio de isto serpēte est omnium sapientum hebrçorũ, & Cabalistarum, quorũ verba citātur à R. Moyse Ægyptio lib. Moreh p. 2. c. 30. Dicunt sapientes nostri; *Serpentem* (verum & naturalem) *equitatum fuisse, quantitatem eius instar cameli; Et sessorem illius fuisse illum, qui decepit eam, huncque sessorem fuisse Samaelem* (Satan diabolum). Deinde addit; *Cum veniret* (serpens naturalis) *ad decipiendam Euam, fuit Samael equitans super eum, & Deus irridebat camelũ, & sessorem eius*. Et in libro Hazohar, vbi est tota theologia hebræorum berescit fol. 28. colum. 110, hæc doctrina traditur; והנחש *vehanachasc*; *Et serpens*; R. Isaach dixit; דא יצר הרע *da iezor harangh*; hoc est; *figmētũ malum*; R. Iudas dixit; נחש ממש *nachasc mamasc*; *est serpēs propriè sensibilis*. Stabilitur expositio, quæ dicit; ודאי כלא חד *Vedai cholla chad*; *& sunt ambo vnum*. Et subditur; וסמאל הוה ואתחזי על נחש *Vesamail hauah veethchazi ngal nachasc*; *Et Sammuel fuit, & visus est super serpentem*; Deinde ונחש דא איהו שטן וכלא חד *Venachasc da satan vecolla chad*; *Et serpens ipse est satan vnum, & idem*; Deinde *Et serpens erat callidior*; דא יצר הרע דא מלאך המות *da iezor harangh da malach hammaueth*; *istud est figmentũ malũ*; *iste est angelus mortis*; Deinde נחש מלאך המות גרם מותא לכל עלמא *nachasc malach hammaueth gurum motha lechol ngalma*; *Serpens, angelus mortis causauit mortem toti mundo*; Ergò verè serpens qui loquutus est cum Eua, & illam decepit, & in peccatũ induxit, fuit diabolus, lucifer, satanas, de quo Apoc. 12. 9. *Electus fuit draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seduxit totum orbem*; hic ingressus serpentem mate-

rialem

rialem velù ti motor,& anima illius, per ipsum loquebatur Euæ, subscribunt omnes Christiani Doctores.

Quæritur secundò quænam fuerit illa inimicitia, quam posuit Deus inter vtrumque illum serpentem, & mulierem, & semen vtriusque.

SI loquamur de serpente vero,& animali,& eius semine, nempè filijs,quo vsus est,tamquam instrumento,diabolus ad decipiendam Euam; dico inimicitiam , quā Deus posuit inter serpentem, & Euam, esse illam anthipathiā, odium , & horrorem , quæ post peccatum cœperunt esse inter serpentem,& serpētes;& inter mulierem,& omnes viros,& fœminas,ex eo enim, quod homo, vir, & mulier propter peccatum priuati fuerunt dominio super omnia animalia, & bestias terrę , cœpit actuale esse odiū,& maximum ad inuicem nocendi studium inter hominem, & serpentem longè maius, quàm inter omnes alias bestias, & ideò homo magis detestatur,& fugit serpentem quam cætera animalia . Et non fuisset innatum istud odium,si non corruisset fœmina per serpentem . Ex quo sensu litterali colliges euidenter,ly, הוא *ipse conteret*, debere legi etiam היא *hi; Ipsa conteret*; Cùm in hoc,exercitium inimicitiæ denotetur , quod est tàm inter serpentem , & filium mulieris , quàm inter serpentem , & omnes mulieres, vt experientia patet; Si loquamur de serpente spirituali, & angelico, & seraphico;putà Samaele,lucifero,& Satana spiritus angelicus,& diabolicus, qui in serpente naturali insinuatus,occultus decepit Euam, & occidit humanum genus,vt omnes hebræi Doctores confitentur;Inimicitia quam posuit Deus inter diabolum,& mulierem , & inter semen diaboli , & semen mulieris , est ista explicanda;

Diabolus,qui ſua malitia perdidit gloriam æternam, videns genus humanum à Deo creatum, vt perueniret ad vitam æternam maximè illi inuidit; & ſic tentatióne adorſus primos parentes, iſti ſua ſpontè peccãdo, & à Deo deficiendo ſeipſos diabolicæ ſeruituti ſubmiſerunt, in æternum diuina gloria priuati, & cum eodem diabolo damnati. Modò ſi poſt ſtatum hunc,& caſum in peccato nullæ nobis cum diabolo inimicitiæ, permanſiſſemus vtique in æterna damnatione cum eo. At quia ſtatim poſt peccatum prædicuntur, & promittuntur à Deo iſtæ inimicitię inter hominem,& diabolum,prædicitur quoq; nos reddituros ad eam animi reparationem, vt graue illud diabolicæ tyrannidis iugum diſpliceat,& quæramus illud excutere, eoq; ſemel excuſſo, deinceps continuata aduerſus eum pugna aduigilemus,ne illud denuò miſerè ſubeamus; Et ſic verba illa; *Inimicitiam ponam*;nõ ſignificant Deum daturum ſe aliquid diabolo,quo nos oppugnet,& odio proſequatur; varijs enim ex ſua malitia,& inuidia erga nos eſt inſtructus armis,& aſtutijs,continuò tentans noſtram perditionem; *Et tu inſidiaberis calcaneo eius*; ſed ex oppoſito ſignificant illa verba, quod Deus ipſe ſit daturus nobis aliquid,quod nos ipſi ſemel miſerè victi,victorem oppugnemus, caput eius, ideſt poteſtatẽ, & tyrannidem eius in nos conteramus; ac deinceps ei fortiter reſiſtamus ne illi iterum ſubdamur. At ne quis putet ſe id ſuis viribus,aut incipere poſſe,aut cõtinuare; ſed ſolo ipſius Dei dono, & auxilio; ideò prædicit Deus ſe,& non hominem, forè poſiturum has inimicitias,dãdo per fidem, & gratiam ſuam in corde hominis odium, & auerſionem à peccato,dando deteſtationem, & contritionem peccati,quod eſt caput,per quod diabolus nobis dominatur;dando virtutem, & fortitudinem,& perſeue-

rantię donum, quo caput serpentis; id est principium suggestionum suarum ad peccandum, conteramus, & diluamus; & hoc per Christum Dominum semen mulieris filium Virginis Mariæ; *qui conterit satan sub pedibus nostris velociter.* Rom. 16.

Quæritur tertiò, quæ sit ista mulier, & quod semen illius. Et ostenditur ex doctrinis, & concessis à RR. hoc semen esse Regem Messiam, et hanc mulierem esse eius Virginissimam, & Victoriosissimam matrem.

QVam iniuriosè, impiè, & sacrilegè obloquantur omnes hæretici aduersus Sacratiss. Virginem Mariam, & Ecclesiam catholicam, & eius doctores, quia vulgata, & catholica translatio legit; *Ipsa conteret*; & orthodoxi expositores, hanc esse Matrem Virginem Iesu Xp̃i declarant, & confitentur; subdit .n. Caluinus sup. statim; *Deinde inuenta est sacrilega expositio; dum Sanctæ Matri Christi adoptarunt quod de semine dictum erit.* Et Fursterus in suo Lexico scribat; *Nihil potuisse verti gloriæ Christi, et merito passionis eius magis contumeliosum, nihil Idololatricum magis, & blasphemum.* Quam .n. iniquo, diabolico, & damnato animo blasphemias euomant hæretici contra B.V.M. & Ecclesiam, & contra Deũ ipsum, qui hoc illi concessit priuilegium, vt merito filij sui contereret caput antiqui serpentis, nempè originale peccatum, & omnia peccata mortalia, præter ex prænotatis, quæ probant lectionem vulgatam; *ipsa conteret*; esse intrinsecè litteralem ex natura sacri textus; in pręsenti magis patebit, dum ex doctrinis hebraicis intuebimur hanc

pro-

prophetiã loqui primò,& principaliter de rege Messia, deinde de eius Matre sanctissima.

Notum est omnibus, hebraicam legem,& Scripturam à nõnullis peritissimis hebręorum caldaicè traductã esse; Qui labor fuit certè admodùm proficuus; nam multi loci, qui in Biblia hebraica obscuritatem habent,&difficultatem, in paraphrasi Caldaica ferè omnes explicantur, & dilucidantur, & maximè vbi sunt vaticinia de rege Messia, vti videre est in paraphrasi R. Ionath. ben nguziel super omnes prophetas, in quibus, vbi nominę occulto agitur de Christo; ibi semper hoc expressum nomen Messias ponitur;& volunt hebræi has declarationes, & interpretationes fuisse traditas à prophetis viris Synagogæ magnę, & ab ipsis illorum discipulis. Hinc est, quod Iudæi non minorem fidem adhibent Caldæo, quàm hebræo textui. Inter hos interpretes Caldæos in maxima veneratione, fide, & religione habetur illud super legem Moysis, qui dicitur; תרגום ירושלם *Targum Ierusalmi*; quæ interpretatio fuit collecta,& compilata à congregatione sapientum hebræorum Ierosolymitanorum; breuis quidem, sed mysterijs theologicis referta; audiamus quonam pacto, & sensu hanc prophetiam explicauerint illi sapiẽtes Synagogæ magnæ; ישופך *Iesciuphecach*; *Conteret te*. *Et erit quando filij mulieris* לעין באוריתא *lengaiien beoraithah*; *Erunt speculantes in lege, & obseruantes præcepta*; יהוין מתכונין ומחין *Ieheuian mithchaunin* *machaiien*: *Erunt cauterizantes, adurentes, & percutientes te in capite tuo*: וקטלין יתך *vechatlin iathach*; *Et occidentes te*. *Et quando* ישבקון *ischbbechun*; *derelinquent filij mulieris præcepta legis, & non fecerint mandata*; *Eris tu* מתכוין ונכית יתהון *mithchauuen vnchith iathon*; *adurens, cauterizans, & percutiens eos in calcaneo, siue fine eorum*; ומסרע יתהון ברם יהוי אסו לבנהא

 דאתתא *ma-*

רתתא *vmamrangh iathon beram ibeue asu, linnaah deitbetha. Et de infirmitate eorum profectò erit medicina salus, & sanitas filijs mulieris;* ולך חויא לא יהוי אסו *velach chiueia la iehene asu; Et tibi serpens nō erit medicina. Certè præparata, siue futuræ erunt arbores;* אילין לאילין *Illen le-illen;* למעבר ספותא *lemengbbad scippuuiatha; Ad efficiendum emplastrum in calcaneo;* בסוף עקב יומיא ביומוי דמלכא משיחא *In fine extremi dierum; In diebus Regis Messiæ;* Hæc illi sapientes theologi hebræorum ad verbum. Ex qua chabalah primò habemus hāc mulierem esse Euam, & semen eius omnes filios eius. Secundò serpentem esse diabolum, satanam, angelum mortis, figmentum malum; nam percutitur, aduritur, & occiditur à filijs Euæ studio, & obseruatione legis diuinæ; Sicut ex opposito ipse sathan, filios Euę transgredientes legem Dei adurit, & percutit eos in calcaneo; & morbo afficit suo veneno. Deinde, quod morbo, & infirmitate filiorum mulieris erit secura medicina, & sanitas; ipsi verò serpenti, nempè diabolo, nulla penitùs medicina ei præparata est, & salus; sed illi manet æterna damnatio, & mors. Tandem, filijs mulieris infecti veneno antiqui serpentis, idest peccato, in extremo dierum mundi, qui sunt dies regis Messiæ, erunt plantæ, & arbores aromaticæ, & medicinales, quibus efficietur emplastrum ad sanandam infirmitatem in calcaneo illorum. Bone Deus, quid clariùs? quid pulchrius? quid verius in re nostra? vt infra; & hīc nota has inimicitias esse spirituales, sicuti est percussio capitis serpentis, quæ est victoria contra satanam; & figmentum malum; percussio calcanei seminis mulieris, quę est casus hominis in peccatum, perpetua damnatio serpentis; & certa salus hominis, & medicina in diebus regis Messiæ. Declarat hanc veritatem, & se ei subscribit cum omnibus

RR.

RR. R. Bechai hoc loco Gen. fol. 14. col. 3. intelligens per serpentem diabolum tentantem, & fomitem prauũ, subdens; ומוה *umizeh; Et ideò dicit; Ipsa, vel ipse conteret caput suum;* כי האדם רשאי שהתגבר על יצור ויכתת אותו בתחלה ואם לא ואתה תשופנו עקב רמז לך שאם לא יסוף האדם את היצר הזה הוא ישופנו בסוף וימיתנו ומלת עקב רמז ליום המיתה וכבר ידעת מאמר רז הוא שטן הוא יצר הרע הוא מלאך המות *Chi haadam; Quoniam Adam* (hic, & hæc homo) *potestatem habens. Qui praualet figmento suo prauo, & cõtũdit, et conterit illud* (ergo debet legi ly הוא *hu; Ipse, ipsa) Et si nõ; Tu conteres eum calcaneo; significans tibi, quòd nisi haadam (vir & mulier) conterat istud figmentum malum; hoc conteret eum, in fine, & occidet eum; & dictio, calcaneo, significat diem mortis. Et iam notum est dictum sapientum bonæ memoriæ. Ipse est satan; Ipsum est figmentum malũ, ipse est angelus mortis.* Hæc ille. Ergò tota inimicitia hæc est inter virum, mulierem; & inter serpentem primum, siue satanam, siue fomitem prauum, siue angelum mortis, tota spiritualis est, & in anima posita. Quod verò serpenti nulla sit salus, sed æterna damnatio declarat, dicens; *Punitio ista de cibo pulueris, puluerem comedes omnibus diebus vitæ suæ;* לא יזח ממנו עולמית *lo izach mimmennu ngolamith; non auferetur ab eo in æternum;* hoc est, quod scriptũ est Isa. 65. 26. *Lupus & agnus pascentur simul &c. Et serpentis puluis panis eius; vbi agitur de diebus Messiæ, in quibus auferetur inimicitia inter serpentem, & mulierem; sed serpens semper erit maledictus in æternum;* Hæc ille. In quo loco Isaiæ glossa R. D. & omnium iudæorũ est ista: *& serpẽti puluis panis eius;* idest לא ישך אדם מישראל *loiasciach adam meisiael; Non mordebit hominem de Israel;* sicut dictũ est in textu eodem; *Non nocebunt, neque occident in omni sancto meo;* ארץ והוא *vehi erez Israel; et hæc est terra Israel;*

quia de Adam dictum est; *puluis es*; quare homo est cibus serpentis; sed de Israel dictum est, in tempore illo, idest Messiæ; *Quoniam repleta est terra .i. Israel, sciẽtia Domini* (idest timore Dei) *& ideò Israel non erit ipse cibus, & puluis serpenti, & concludit* ולא ישוך נחש עקבם *velo iaschuch nachasc ngbicheuo: Et non mordebit serpens calcaneum eius.* Hæc ille, & omnes RR. Quæ omnia certè non possunt intelligi nisi spiritualiter; Iste serpens est diabolus, & satan, cibus eius est puluis, idest quilibet peccator, qui cùm sit totus terrenus, qui nonnisi terrena sapit comeditur à diabolo, & ei incorporatur: & sicut iustus, timens Deum, repletus scientia Dei practica, vnum corpus mysticum Christi efficitur vinculo gratiæ, & charitatis; ita diabolus corpus vnum facit cum omnibus malis, qui solis delectationibus carnalibus, & honoribus, & diuitijs transitorijs studentes, & inhiantes, sunt puluis, & cibus eiusdem diaboli. Quia diabolus cunctis diebus vitæ suæ, quæ est æternitas, in isto sæculo non cessabit comedere iniquos, & infideles, illos sibi incorporando; & in futuro post diem iuditj caput damnatorum, ipsos perpetuò comedet diris & exquisitissimis pęnis illos torquendo. At verò iusti, obseruatores legis diuinæ, omni tempore; sed præcipuè tempore regis Messiæ, qui auferet istam inimicitiam, nõ erunt puluis, & cibus serpentis, serpens non mordebit calcaneum illorũ; sed ipsi in terra Israel in Ecclesia Dei conterent caput illius, illius tentationibus non assentiendo, illius prauam suggestionem in capite eius frangendo; hoc est in principio resistendo; & hoc non virtute, & potestate ipsorum; sed virtute, & meritis, & graria feminis mulieris, regis Messiæ filij Virginis Matris. Miseri, & obcæcati illi Iudæi, qui hæc omnia materialiter intelligunt, cùm pugnent, & contradicant ipsi Scripturæ, & sensibus suorum RR.

Ad-

Addit tãdem R. Bechai, quòd est maximum, & principale in hac sectione, & fundamentum omnium prædictorum; videlicet. Hanc inimicitiam inter hominem, & diabolum auferendam esse à rege Messia filio mulieris; *Comedes terram omnibus diebus vitæ tuæ*; ostendit, quod ista punitio non auferetur ab eo לעולם *lengolam, in æternum*; ואפילו בזמן המשיח אשר הסתלק האיבה שבין האשה ובין הנחש כענין שכתוב ושעשע יונק על חור פתן *veapbillu bizman hamasciach, ascer histhalech haeuah, sceben haisciah, vben hanachasc, chenghiniian scechatuu vescinghasciangh ionech ngal churpathem; Et etiã in tempore Messiæ, qui auferet, remouebit*; (est coniugationis hithpenghel actiuæ, & passiuæ acceptionis simul) *Inimicitiam, quæ est inter mulierem, & inter serpentem; secundùm significatum, quod scriptum est Isaiæ* 2.8. *Et delectabitur infans ab vbere sup foramine aspidis*; subscribit nomine omnium R.D. hîc loco Isaiæ; *Ista est inimicitia serpentis decretata in diebus berescit creationis, cum haadam* (viro, & muliere) תסתלק בימות המשיח בכל ארץ ישראל *Auferetur in dieb. regis Meßiæ in omni terra Israel, itaut in omni loco, vbi ambulabunt non nocebit eis serpens*; sed in duobus valde hallucinatur iste cęcus; primò, quod materialiter loquatur prophetia de serpente animali, nõ enim venturus erat Messias nisi ad auferendam, & destruendam inimicitiam spiritualem inter genus humanũ, & satanam, siue diabolum, liberando homines à peccato & morte æterna. Deinde, quod tantùm in terra Israel; sed totus orbis, tota Dei Ecclesia, quæ est mons sanctus Dei, et terra Istael, replebitur scientia Domini.

Et ad rem nostram reuertendo, quòd rex Messias filius mulieris, caput serpentis, nempè peccatum originale conterere deberet, et auferre. Hoc semper docuerunt antiqui RR. et de fide necessaria ad salutem crediderunt.

In

In berescit Rabba glossa magna Genes. cap. 12. fol. 18. *Dixit R. Berechias nomine R. Samuel, etiamsi creatæ fuerint res cum omni plenitudine, & perfectione earum; Attamen quādo peccauit Adam primus* נתקלקלו *nithchalchelu; diminutæ sunt. Et amplius non reuertentur ad eorum;* תקונן *thichunan; rectitudinem, & bonitatem;* עד שיבא בן פרץ *ngad sceiauo ben parez; Donec veniat filius parez; quod dictum est; Istæ sunt generationes phares;* Ruth 4. 18. declarant RR. in glossa magna, Exod. c. 30. pag. 89. colum. 4. *Quando creauit D. S. B. mundum suum;* ולא היה מלאך המות בעולם ובשביל כך הוא מלא *velo haiah malach hammaueth bangolam, vbiscuil chach, hu malle; Et non erat angelus mortis in mundo, & propterea fuit plenus, perfectus;* וכיון שחטא אדם וחוה *vechéuen scechata Adam vechauah; Et quando peccauit Adam, & Eua Deus imminuit omnes generationes; Quando autem* שעמד *scengamad; steterit parez, fient generationes eius plenæ, perfectæ, & rectæ;* שמשיחנו עומד ממנו *scemescichenu nghomed mimēnu; Quia Messias noster stabit, siue surget ex eo; Et in dieb. eius D. S. B.* מבליע *mauliangh; deglutire faciet;* המות *hammaueth, mortem.* Vide Galat. lib. 1. 2. sed melius glossas allegatas. Ex quibus constat, quòd peccatum Adæ, serpens antiquus, angelus mortis, fomes prauus, quæ tunc pænitùs idē corruperunt mundum, & omnes hominum generationes, quæ nō possunt reduci ad priorem plenitudinem, idest innocētiam, rectitudinem, & sanctitatem, nisi per filium parez, qui est rex Messias, per quem Deus deglutire faciet, conterere, & occidere serpentem antiquum, angelum mortis, & omne peccatum delere, & auferre. Et hoc præstabit rex Messias. Nonne fatentur omnes RR. Aramuan, Abrabaniel in parasciah. Nizauim fol. 151. col. 2. in illis verbis; *Et circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum;* quod in

diebus regis Messiæ Deus auferet יצר הרע iezer harangh, fomitem prauum; serpentem antiquum; quod scriptum est Ezech. 36.27. ואת רוחי אתן בקרבכם Veth ruchi ethen bechirbechem; *Et spiritum meum ponam in medio vestri.* Et illud Zach. 13.2. רוח הטומאה Ruach hatumah; *Spiritū immundum auferam de terra*; hoc est peccatū originale; Et hoc faciet Deus per manum regis Mesiæ? Nā si hoc totum significatur à Deo illis verbis Hierem. 31. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*; idest, vt dicunt ipsi, וזה בטול vezebubithul iezer arangh; *Et hæc est ablatio, abolitio fomitis praui*, lex spiritualis, quæ à corde, ab anima auferat cōcupiscentiam malam est danda à rege Mesia, vt apud Isa. 2. *Quoniam de Syon exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*; RR. לכל עמים lechol ngamim; *Omnibus gentibus*; והמורה הוא מלך המשיח *Vehamoreh hu melech hamasciach*; *Et legislator iste est Rex Messias*; R.D. & omnes; sed per istam legem tollitur, abolebitur à corde omnium, figmentum prauum; quod non fuit ablatum à corde hebræorum toto tempore legis Mosaycæ; ergo rex Mesias conteret caput serpentis, quod est peccatum originale, & omne aliud ab eo emanans, occidet angelum mortis, & omne malum culpæ, & pœnæ. Ita apertè nomine omniū RR. fatetur R. Ioseph Iabetz ps. 52. dicens, והנה יהיה כל זה על ידי בן בנו של דוד משיח יהוה *Et certè efficietur, fiet ibi ū hoc per manus filij filij Dauid Mesiæ Domini.*

Concludamus; Si ergò rex Mesias est illud admirabile semen mulieris, non viri (vide tract. 1. fol. 421.) qui primò, præcipuè, & principaliter contriuit, & comminuit serpentis antiqui caput, idest originale peccatū, & fomitem prauum; ideò legitur; *Ipse conteret caput tuum*; sequitur, quod ista mulier erit Mater Regis Mesiæ, quæ, mediāte,

& merito filij sui, etiam ipsa, vt potè, inter quam, & serpentem infernalem posita erat inimicitia, contriuit ipsũ satanam, & eius caput, ideſt peccatum originale; ideò ẽt legitur; *Ipsa conteret caput tuum*; Quod multiplici modò efficit B.V.M. primò pariendo virginaliter filium eius Christum, qui omnem dæmonum potestatem confregit; quam tam magnam ante eius natiuitatem exercebat super omnes gentes, expolians illum omni prçda animarum, prout de illo prophetauerat noster Isaias; *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædam*; Secundò B.V.M. contriuit serpentis caput, quia singulari priuilegio, merito filij, vt mater Dei, peccatum originale non contraxerit, quod caput serpentis dicitur; nam ex eo diabolus omnes vires suas, tamquam ex radice, & capite cçterorum, desumit; sed ab ipso, diuina gratia prçuenta, & plena, præseruata fuit in primo instanti suæ cõceptionis. Deinde B. V. M. serpentis caput contriuit, quia in toto vitç suç tempore prorsus immunis fuit ab omni labe peccati venialis; quia fomes peccati, qui etiam reperitur in iustis, & est omnium peccatorum incentiuum, in ea, non solùm in sua immaculata cõceptione ligatus, sed etiam in conceptione verbi Dei pœnitùs extinctus fuit, vt ostendunt Theologi. Quartò B. V. M. caput serpentis contriuit suis diuinis virtutibus, & meritis eximijs, vt virginitate, humilitate, obedientia, fide, charitate, liberalitate, oratione, & ieiunio; his enim virtutibus omnibus inimicitiam cum antiquo serpente perfectissimè semper exercuit, in omni genere virtutum ei omni ex parte bellum mouit, eum deuicit, ac de illo omnibus modis triumphauit. Tandem B.V.M. conterit caput serpentis infernalis, quando fideles tentati a dæmone, ad ipsius opẽ, & præsidiũ confugiunt, ipsa planta pedis sui, ideſt gratia,

cal-

calcans serpentis caput, idest illam validam primã suggestionem ad peccãdum, aufert ab eo omnem vim, omnem potentiam inducendi in peccatum, illum calcans & opprimens tamquam abiectum vermiculum; ideò litteraliter, veraciter, & catholicè legunt vulgata, tota Ecclesia catholica, & Sancti Patres; *Ipsa conteret caput tuũ*; Hanc victoriosissimam Viraginem, immò Virginem, & filium eius in spiritu prophetico vidit, præsentem, & digito ostendit noster Isaias, dicens: *Ecce illa virgo* העלמה quæ ex suis solis purissimis sanguinibus concipiet, & pariet filium, Deum, & hominem simul; *Et vocabit nomen eius Emmanuel*; cui Deus pater imponet nomen; *Celer prædator, festinus spoliator*; Quia iste filius mulieris, auferet spolia Samariæ, & Damasci; idest dæmonis serpentis antiqui conterens simul cum matre caput eius; *Ipse ipsa conteret caput tuum*; fuit enim hoc singulare Dei sapiẽtiæ inuentum, & post filium priuilegium Matri virgini à Deo concessum; *Vt quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem* (idest Euam) *ita soluitur per Virginem æqua lance disposita, Virginalis inobedientia per Virginalem obedientiam; vt virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.* Ita Apostolorum discipulus B. Iræneus lib. 5. cap. 19. & ex eo S. August. lib. 1. cont. Iulia. cap. 3. Obmutescant inscij, & sacrilegi hæretici, qui nesciunt doctrinam istam fuisse primitiuæ Ecclesię, & antiquorum patrum; & hoc priuilegium ad honorem Dei B. V. M. à Deo concesum, conãtur eripere. Tandem discant hæretici ex Scriptura hanc, quam adeò turpiter blasphemant veritatem de B. V. M. si Abrahamo, ratione dignitatis patris regis Messiæ; nam ab eo descendere debebat Messias; *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*; Genes. 22. hoc est, saluabuntur à peccatis, & morte

 æterna;

æterna; Si,inquam,talis sanctificatio fienda à filio Abrahę, propter honorem paternitatis, sacra Scriptura tribuit Abrahamo, dicens Gen. 12.3. *Atque in te benedicentur vniuersæ cognationis terræ*. Ergò à simili, & multò magis, quia à semine, à filio B.V.M. conterēdum erat caput serpentis, poterat propter rationem, & dignitatem matris, ei dici; In te, à te, propter te conteretur caput serpentis; sed hoc apertè, litteraliter, & orthodoxè de ea pronunciat Spiritus sanctus, tota Ecclesia, & Patres; *Ipsa conteret caput tuum*; sed omnes hæreses, & hæreticos in vniuerso mundo contriuit, & conterit Maria Virgo; à cuius semine, & filio Iesu Christo (qui propria virtute, diuinitate, & merito perfectissimè caput serpentis contriuit, quando in cruce ipsi diabolo omne regnū, & spolia abstulit) omnes nos fideles potestatem, & virtutem cōterendi diabolum, & semen eius, hoc est, suggestiones, & impios homines; horum enim pater, & princeps est diabolus; accepimus. Hoc enim est, quod dicitur ps. 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis*, כפר *ramas, conteres, comminues leonem, & draconem*; & Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & super scorpiones, & super omnem virtutē inimici*.

Sectio vndecima.

Armis spiritualibus, & diuinis, non temporalibus, & humanis bellum gerit noster Emmanuel cum antiquo serpente, & de manu illius pretiosa animarum spolia extorquet velox prædator.

EX prædictis adeò luculenter probatum manet, quod proponimus, vt vix aliud addi posit; Si omnes inimici

sunt spirituales nequitiæ; satanas, concupiscentia praua, peccatum, & mors; si spolia acquirēda ex hoc bello sunt animæ saluandæ, & liberandæ à prædictis inimicis; nōne & arma erunt spiritualia, & iustitiæ virtutis Dei? Describit Spiritus sanctus, siue per os Dauid, siue per Moysem, vt placet Caldæo, & aliquibus in psal. 45. Admirabiles qualitates regis Messię, & omnes Thalmudistę. In codice שבת *sciabbath* 16. fol. 65. colum. 1. R. Abrah. Auen. R. S. R. D. & alij exponunt, & ipsum prædicit fore virum fortissimum, & potentissimum inimicorum suorum debellatorem, & victorem; Videamus, quæso, quibus armis indutus, & præcinctus bellum gerat, inimicos feriat, vulneretur occidat, & vincat. Primo nomine vocat Moyses Messiam, Regem, illiq; hoc canticum dedicat; *Dico ego opera mea Regi*; & ad eum suum sermonem dirigens incipit; *Speciosus forma præ filijs hominum*; יפיפית *iophiaphitha*; Radix est *iaphaph*; esse pulchrum, & elegantem; verùm reduplicatur, vt patet. Et aduertit R. Abr. Aben; quod quando in verbis duplicatur prima, & secunda radicalis; הם באים ליתרון *hem baim lithron*; veniūt ad augendam significationem. Ita in textu nostro non solùm significat Messiam esse spetiosiorem præ filijs hominum; hoc enim superlatiuum exprimit in textu litterā מ *mem*; *præ filijs hominum*; & cum verbo simplici יפית *iaphitha*; sed præter hoc superlatiuū cùm augeatur, & geminetur verbum; *Iophiaphitha*; crescit etiam, & superexcedit significatum pulchritudinis, & formositatis regis Messiæ suprà omnes filios hominum; quæ certè non est, nisi diuinitas in eo; ratione cuius est Rex super omnes homines, & angelos; nam in elegantia, & pulchritudine animę & corporis sufficeret prædictum superlatiuum ostendens Regē Messiam pulchriorem; esse מבני אדם *mibbene adam*; *filijs*

filijs hominũ; q́ aduertens R. Abrah. docet verbum reduplicatũ תארו והדרו *thobaro vezuratho*; & pulchritudinẽ, siue qualitates internas animæ, & formam corporis indicare; *Diffusa est gratia in labijs tuis*; R. Ab. hîc apertè describit formam corporis eius, & loquelæ eius, quæ est נאוה *naab, elegans, decora*; Deinde methaphoricè indicat animam eius; שהיא נכונה *scehi necbunah, quæ est recta, iusta, sancta*. Deinde; *sapientiam eius*; שהיא רחבה *scehi rachauah*; *quæ est amplissima*; *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*; R. Abrah. *Etiã describit* גבורותיו *gheuurothau*; fortitudines eius, sicut conuenit vt sit; הגבור התמים *haghibbor hathamim*; *princeps, gigas, vir perfectus, virtute bellica perfectissimè instructus*; quæ virtus heroica est hæc; הודך *hodechah*; *species tua, et pulchritudo tua*; idest; *maiestas tua, splendor tuus, dignitas tua*; *Vlterius describit cum illius fortitudine, eius fidem, mansuetudinem, & iustitiam*. Hæc ille R. S. *Accingere gladio tuo*, להלחם מלחמות של תורה *lehilachem milchamoth sceel thorah*; *Ad bellandum bella legis*. *Et deducet te*; ותורך *uethorechah*; rad. *Iarah*; *sagittare docere*; R. Abrah. *docebit te dextera tua*; *facere fortia, & mirabilia*, מלחמות *bella*. R. S. *Et docebit te mirabilia &c.* sic exponit; *lex, & verbũ veritatis*; שתעסוק בו היא תורה אותך *sceth engasoch bo hi thoreh othach*; *in quo occupabis te*; *ipsum docebit te*; תכסיסי המלחמה *thechasise hamilchamah*; *Ordinationes, dispositiones belli, vt faciat mirabilia dextera tua*; *Ideò meminit* תת *studium legis nomine belli*; cadens in significato ימין *Iamin, dextera*; *Sagitta tuæ acutæ*. R. S. *Et discipuli sapientum*; המזוינים בהלכה *hammezuiinim behalachah*; *Armati in lectione cõtinua vocantur inimici ad inuicem ad tempus*; *quod dictum est ps. 127. Non confundentur cum loquentur inimicis suis in porta, ita heb.* Hæc ille. Quæ expositio est thalmud. Cod. chiduscin cap. 1.

fol.

fol. 5 a. col. 3. *Certè sũt magister, & discipuli studẽtes in lege in vna porta* (hoc est Academia) *qui fiunt inimici ad inuicem, & ipsi inde non,* זזים *zazim, discedunt; donec fiant amici ad inuicem.* Hæc ibi. Vbi glossa RR. sic habet; *Sicut sagittæ in manu potentis, qui bellum gerit cum eis, cũ inimicis suis, ita filij excussorũ;* תלמידיו של אדם *thalmidau scel adam; Discipuli hominis vocantur;* בניו *benau; filij eius;* sicut dictum est Isa. 8. *Ecce ego, &* והילדים *vehailadim; Et pueri mei, filij mei, discipuli mei.* Hæc ibi. *Populi sub te cadent.* R.S. בשכר התורה יפלו האומות תחתיהם של ישראל *basechor hathorah ippelu haummoth thacth:hem scel Israel; propter premiũ legis cadent gentes sub illis, idest, Israelitis. In corda inimicorum Regis.* R.D. sensus est; *Sagittæ tuæ cadent in corde inimicorum tuorum,* per enallage. Hæc ex thalmude, & ex RR. omnibus breuiter adduxi; vt ex eorum confessione cognoscatur regem Messiam, quem Gigantem, & virum bellatorem vocat Moyses, & describit, non alijs armis esse ornatum, quàm spiritualibus, nempè animi rectitudine, & sanctitate, splendore, & gloria; eximia sapientia, gratia, veritate, & mansuetudine plenum, itaut in hac spirituali pulchritudine nullus hominum, immò angelorum possit illi comparare, cùm sit omnibus illis longè maior, & excellentior; quod modò ex hebræis arcanis probabo. Illius gladius non ferreus est, sed studium legis diuinæ; bella, quę gesturus erat, cum suis inimicis, sunt bella legis, nempè doctrina legis suæ debellare diabolum fomitem prauum, & idololatriam auferre; sagittæ acutissimæ, quibus cor inimicorum suorũ transfigere debebat, erant sui filij, discipuli ab eo electi, & docti, qui prædicatione legis eius conuertent impios homines ad eum, illius fidei, & religione illis subijciendo, & in illis impietatem, & vitia necando. Qui populi, qui

 ho-

homines,& gentes mundi, vt ipsi dicunt, cadent sub illo, sub illius imperio,& lege, non timore, sed amore, nō armis temporalibus victi,& coacti, sed armis spiritualibus, nempè promissionibus,& præmijs cœlestibus, & diuinis spontè allecti, quæ præmia in illa lege promittebat Rex Mesias. Hic hic est noster Emmanuel filius, *bangalmah*, virginis, Deus, & homo, filius Dei, qui vocauit eum, Celerem spoliatorem, & festinum prædatorem, qui abstulit fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ, hoc est spoliauit, diabolum, mortem, & infernum, magnamque prædam animarum ex illis abstulit, armis spiritualibus, nempe meritis, passione, sanguine, & morte ipsius.

Habemus clarissimum testimonium ex nostro Isai. c. 52. 13. *Ecce intelliget seruus eius, exultabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.* Hunc seruum Dei esse regem Messiam est doctrina certissima omnium RR. antiquorum in multis illorum sententijs, vt testatur R. Abarbaniel hoc loco; ita Cald. Ionathæ, Aramuan, R. Moysi Alscechchi hic ita scribit; כי הנה רז״ל פה אחד קימו וקבלו כי על מלך המשיח ידבר ואחריהם ז״ל נמשך *chi hinneh razal peh echad chaiiemu, vechibelu chi ngal melech hamasciach idabber, ueacharidem zal nimsciech.* *Nam ecce doctores nostri bonæ memoriæ uno ore statuerunt, & acceperunt per traditionem de rege Messia loqui, & post eos b. m. adherebimus.* In libro Ialcuth hoc cap. Isa. nu. 2. *Ecce intelliget seruus meus; iste est Rex Messias, exaltabitur plusquam Abraham, eleuabitur plusquam Moyses, & sublimis erit valde;* אמלכי השרת *mimalacde hassareth; plusquam angeli ministerij.* Hæc ibi. Quò testimonio antiqui DD. hebræorū nō solùm præferunt regem Messiam Patriarchis, Prophetis, & omnib. Angelis; nam Abraham fuit primus, & supremus Patriarcharum, Moyses Prophetarum, Angeli ministerij omnium

nium angelorum; sed multò eminentiùs omnes illos excedere, & superare in natura, & dignitate, dum addunt comparatiuo, illud superlatiuum, מאד *meod*, *valde*; hoc est; Rex Messias erit sublimior, & eminẽtior omnibus creaturis sanctissimis,& dignissimis, suprà omnem æstimationem,& gradum illarum. Verè in hebręis omnibus,& præcipuè RR. iunioribus, hic experitur adimpleri illam execrandam maledictionem, quã minatus est Moyses huic populo durę ceruicis, Deut. 28. *Percutiet te Deus amentia, & cæcitate.* Amentes, & cęci R.S. R.D. R.Moyses alscech, R.ngaramah, R. Abrab. & omnes viuentes;qui theologiam suorum magistrorum conculcantes,ostentant illorum perfidiam plusquã diabolicam,varijs,& falsis,& ignorantiæ multiplicis,plenis glossis; vti latè ostendo in tractatu de passione, & morte regis Messiæ filij Dauid,quæ omnia prætereo,& versum 12.cap. 53. ad rem nostram assumo; *Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, eo quod tradidit in mortem animam suam.* Expositores hebræorum docent ista verba esse Dei, qui regi Messiæ, iusto isti promittit fructum, & præmium passionum, & mortis eius, & patientiæ eximiæ in ferendis afflictionibus,ferendo peccata totius mundi; *Et Dominus voluit conterere eum infirmitate; Si posuerit pro peccato, idest sacrifitium, animam suã; pro eo, quod laborauit anima eius &c.* & sequitur; *pro eo, quod tradidit in mortem animam suam.* Pro his omnibus passionibus, afflictionibus, & tandem morte; quid promittit Deus huic iusto, innocenti, & sancto? *Dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia*; hoc est præmium. Circa lectionem huius versus erit sermo suo loco, Forerius discedens à punctatione Massoritarum legit; *Idcirco dispertiam ei; cum magnis, et robustis diuidet*

Oliuetani. Fff *spo-*

ſpolium. Alij melius; *Ideò diuidam ei in multis; & cum fortibus diuidit ſpolia*; heb. ואת עצומים יחלק שלל *veeth ngazumim iecallech ſcialal*; cum particula את *eth* aliquando ſumatur pro coniunctione עם *nghim, cum*, Geneſ. 5.22. התהלך את אלהים *bithhallecheth elohim*; *Ambulabit cũ Deo*; ſed ſenſus grammaticalis eſt iſdem apud noſtros, & heb. R.S. ſic exponit; *Ideò quia fecit ipſe* (hic iuſtus) *hoc, diſpertiam ei hæreditatem, & ſortem in multis* עם *nghim*; *Cum patribus primis*; R.D. *Rabbim vengazumim hem Gog Vmagog*. *Multi, & fortes ſunt Gog, & Magog; & gentes, quæ cum eo venient cõtra Ieruſalem*; Declarat R. Abarb. *Propheta rogat Deum, quod diuidat ei in multis*; hoc eſt, *quod Iſrael*, ימשול *imſciol*; *dominetur ſuper populos multos ex gentibus, & det illos illi*, לנחלה *lenachalah, in hæreditatem*. *Et fortium diuidet ſpolia*. *Vocat fortes gentes robuſtas, quæ aſcendent contra Iſrael in diebus Gog, & Magog*; שיתן *ſceithen*; *Quia dabit D.S.B.* שללם *ſcelalam*; *ſpolium eorum in manibus ipſorum*, ideſt, *Iſrael*; *Et hoc pro eo quod effudit ad mortem animam ſuam*, ideſt; *quia Iſrael*, בגלות *bagaluth*; *in captiuitate dedit animam ſuã ad mortem*; על קדושת השם *ngal chedusceth haſcem*; *Ob ſanctificationem Dei*. Hæc ille. Et notandum ly שלל *ſcialal, ſpolium*; accipi duplici ſenſu à RR. primò ſpiritualiter, vt exponit R. S. qui fortes, cum quibus iſte iuſtus dicitur participare ſpolium, intelligit primos patres, & ſanctos Patriarcas, quæ doctrina eſt thalmudica. Codice סוטה *ſutah*, cap. 1. fol. 40. col. 2. *Et fortium diuidet ſpolia; ſicut Abraham, Iſaac, & Iacob*; שהיו עצומים בתורה ובמצות *ſcehaiu ngazumim bathorah vumiznoth*. *Qui fuerunt fortes in lege, & præceptis*. Sed ſpolium quod participarunt iſti Sancti fuit præcipuè præmium vitæ æternæ, & eius fœlicitas, quæ tota eſt ſpiritualis; Ergò arma, quibus ſummi

Pa-

Patriarchæ,& iste iustus,acquisierunt spolium felicitatis æternæ,debent esse spiritualia;vtpotè obseruantia legis, & voluntatis diuinæ, obedientia, humilitas, tolerantia passionum,persequutionum,laborum,peccatum multorum ferre,pro inimicis,& transgressoribus orare; pro ipsorum salute vitam, & animam in mortem tradere, & inter iniquos mori. Secundò accipiunt RR. ly, *spolium*, in sua lata, & propria significationis voce; prout significat, quidquid in bello, vi belli, & armorum detrahitur à militibus de manu hostium,vt aurum,argentum, vestes, supellex, & similia bona. Etiam nos vtrumque significatum concedimus.

In primitiua Ecclesia Iudæi opponebant Christianis Iesum Christum Nazarenum non esse Messiam,eò quod infans non abstulerit fortitudinem Damasci, & spolium Samariæ. Vide sect. primam. Nunc R. Abrabaniel hîc, videns præsens oraculum Isaiæ; *Ecce intelliget seruus meus*; ad vnguem,& solùm verificari de Iesu Nazareno,sic opponit; *Et dispertiam illi in multis. Si Christiani exponēt hoc esse,quia acceperunt multi ex populis,* דתו *datho, legem eius;* ואמונתו *vcemunatho; & fidem eius. Quomodo exponēt de eo; Et fortiū diuidet spolium?* האם אותו האיש עשה מלחמות ושלל שלל ובזז בז *Haim otho baisc ngasa milchamoth vscalal scealal vuzaz baz; forsitan iste homo gessit bella, & spoliauit spolia, & prædatus fuit prædam?* Hæc ille.

Cui respōdetur, Iesum Christum Nazarenum verum regem Messiam, esse illum Emmanuelem filium Virginis prophetissæ, cui Deus pater nomen fortissimi bellatoris, & spoliorum deprædatoris imposuit; *Voca nomen eius; Celes spoliator, festinus prædato*; Ipse est ille de quo Moyses dixit; *Dominus, vir bellator, Dominus nomen eius*; Multa bella fecit, per se, & per suos fideles, & semper facit,

& multa spolia participauit, & quotidiè ei pater partitur, & participat, vt experientia compertum est, iam mille, & sexcentis annis,& ipse R. Abrab. dum negare nequeat illa verba Dei patris; *Et dispertiã illi in multis*; verificari de Iesu Nazareno, quia acceperunt multi ex gentibus illius fidem, & legem euangelicam, confitetur nolens veritatem;Si arma huius Gigantis bellatoris sunt spiritualia;animi illius eximia pulchritudo,gratia,splendor,maiestas,& diuinitas;si illius gladius est lex eius,per quam,& per suos discipulos fidei suæ subegit totum mũdum; ergò illius spolia erunt animæ,& gentes ad Deum verum conuersæ per pœnitentiam; Hæc est illa promissio,quam fecit Deus pater filio suo regi Messiæ,psal. 52. *Postula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*; Ad hũc finem misit Deus regem Messiam,vt per suos discipulos aggregaret ad suã fidem,& religionem maximam partem gentium ex ferè omnibus mũdi prouincijs,Isa.49. *Vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ*;Vocantur infideles conuersi ad Iesum Christum Nazarenum, spolia Christi, quia ablata de manibus satanæ; quia Iesus Christus verus bellator, & dux in cruce debellato dæmone, & parta victoria, ista prętiosissima spolia animarum sibi, & fortibus discipulis suis partitus est.Quod quotidie facit iste celer spoliator, plurima participans huiusmodi spolia,dũ vbique animas peccatis, & morti æternæ obnoxias per suos fideles, eripit,saluat,& ad vitam æternam perducit;dùm gentes infideles,& impias per suos prędicatores vbique terrarum potestati satanę mancipatas,& subiectas,ab idololatri a, & à peccatis auocando; ad veram fidem, religionem, & Dei gratiam, & sanctitatem suscitat, & reducit. Bella temporalia Iesu Christi Nazareni,sunt illa,quę per suos

 ser-

seruos Principes, Reges, & Imperatores Christianos quotidiè facit; qui Christo, & eius Ecclesiæ opima reportant spolia, vti sunt templa, ornaméta, aurum, & lapides prætiosi; quę omnia prius diabolo, & eius sceleratis sacrificijs inseruiebant, tunc, & nunc translata sunt ad ministeria Iesu Christi Nazareni veri Dei, & illius Ecclesiarum. Circa quod vide nostros eloquentes expositores, Forerium, Corn. à Lapide, Sanctium, Sanchez, Palatium, & alios. Et hoc totum promisit Deus pater filio suo Iesu Christo Nazareno; *pro eo, quod tradidit in mortẽ animam suam*; hoc est, propter eius constantem obedientiam, voluntariam tolerantiam passionis, & mortis, & summam charitatem erga omnes peccatores, quam ostendit moriendo in cruce in medio sceleratorum; *Et cũ sceleratis reputatus est.*

CAPVT TERTIVM.

Hic festinus spoliator, & celer prædator filius prophetissæ, qui antequam sciret vocare patrem suum, et matrem suam abstulit fortitudinem Damasci, et spolia Samariæ, est Iesus Christus Nazarenus filius vnigenitus æterni patris, & filius primogenitus Virginis Mariæ.

OMnes antiqui, & SS. Patres in hac prophetia duplicem agnoscunt sensum litteralem; vnum litteralem historicum, clarè, & apertè dispositũ, quæ est spoliatio, & captiuatio regnorum Syriæ, & Samariæ; Nam additur statim ratio, cur regnum Israel deuastandum sit; quia abiecit aquas Siloè, idest regnum Dauid, & cultum veri Dei; Alterum litteralem sensum, siue dicas allegoricum sub

hoc

hoc signo,& historia, breuiter; & celatè contentum; sed principaliter intentum, quæ est spiritualis spoliatio, & deprædatio diaboli,inferni, peccati, & mortis, facta per passionem,crucem,mortem,& resurrectionem Iesu Xpi Nazareni. Hac ratione per virtutem Damasci intelligunt gentiles, qui in ipsum credunt,per spoliũ Samariæ Israelitas, qui ex circũcisione amplexati sunt illius fidẽ; per regem Assyriorum diabolum, qui tunc regnare putat,cùm homines à religione Dei deturbat; quæ omnia conueniunt cum supradictis; sicq; Armiger infans Iesus Nazarenus in incunabulis,& vagiens, sua mira pulchritudine, & gratia, & diuinitate, postquam ad se traxerit cœlestes angelorũ choros,pastores iudæorum primitias, mira quadam,& potentissima virtute Reges Magos gentiũ sapientes,& Reges longè distantes,ad se spontaneos incitauit, & attraxit. Ista est fortitudo, virtus, & opes Damasci,& Samarię,quas despoliaturus describitur iste infans. Damascus,& Samaria,vt potè gentilium,& idololatrarum ciuitates sunt huius mundi symbola, cuius fortitudo,opes,& diuitiæ sunt pompa,ambitio,auaritia, superbia,sapientia denique huius sęculi, & vafra cõsilia, quæ sunt arma satanæ, Deo inimica, & quibus toti orbi dominabatur. Sic enim Ioan.p.2.dixit: *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hæc sunt vniuersa armorum genera,quibus nostri hostes inuisibiles, visibilibus armis nos oppugnant, & confodere nituntur. Quas omnes satanæ virtutes,& arma festinanter Iesus Christus ab eo detraxit. Siquidem superbiam vitæ, quàm huius sæculi sapientiam nutrit, tunc spoliauit, quando stultam illam reddidit,vt Pau.1.Cor.1.admonuit: *Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit*

sapientiam huius sæculi? Et Isa.33. *Perdam sapientiam sapientum*;& Iob.5. *Apprehendit sapientes in astutia eorũ.* Quæ omnia spolia esse, quæ diximus facilè demonstrant. Siquidem Deus humanæ sapientiæ pompam,& apparatum, humaniq; ingenij vires, opes denique, mundanãque sapientiam ad callendam Dei sapientiam, vitamq; æternam consequendam, nihil sufficere docuit. Quapropter in illis statuit humanæ salutis fundamenta, quæ hominibus videntur ridicula, & despicabilia; qualia sunt, quod Deus fieret homo mortalis, ex virgine natus paupercula, pauperculamq; ducens vitam, tandemq; ignominiosissimam sustinens mortem crucis; quæ, vt cœperunt orbi clarescere mysteria, Iudæis fuerunt scandalum, gentibus autem stultitia; at verò diuina operante gratia sæculi sapientes, magniq; nominis philosophi huic stultitiæ suam concesserunt sapientiam; sæculiq; magnates huic paruitati suam subiecerunt magnitudinem, sæculi denique diuites, huic paupertati suam subdiderunt opulentiam. Vt verè dixeris Iesum Christum Nazarenum verũ fuisse spoliatorem,& prædatorem nostrorum bonorum humanorum;& non spoliat vt spoliet, sed vt nos ditet. O fœlicissimam commutationem, spoliat humanam sapientiam, & donat diuinam, spoliat opes, & humanam potentiam, vt cœlestes opes, cœlestemq; potentiã offerat. Vt eam qui sibi sapientes erant, sibiq; potẽtes, & sibiipsis gratulabantur; per stultitiam legis euangelicæ, sibi stulti, sibi infirmi, sibi pauperes,& tenues videantur; omnemq; sapientiam, potentiam, opulentiam in fide Christi solùm iacere credant.

Hæc sunt spolia, de quibus is ipse, qui spolia hæc detraxit, meminit Luc.2. *Cùm fortis armatus custodit atriũ suũ, in pace sunt ea, quæ possidet; Si autem fortior eo superueniens*

niens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Vtique satanas est fortis armatus iste, qui per peccatum vniuersum sibi subegerat orbem, & tyrannidem hanc, quam in homines exercebat, pacificam, & tranquillam tenebat. Certò namque diabolus sciebat, humanas vires impares esse, vt se à suo tyrannico imperio extricarent. Nam etsi liberũ arbitrium maculare se potest, emaculare tamen se, non sufficit. Arma verò in quibus tyrannus iste, & grassator humani generis pestilentissimus confidebat, quæ putas alia esse, præter ea, quæ hactenus diximus? Quæ sunt mundana sapientia, potentia, opulentia, mundanaq; voluptas, humani ingenij in malũ semper procliuis libido. Et demum vniuersa hęc visibilia bona, quę oculis nostris ablandiuntur, & vniuersa visibilia mala, quæ vt declinemus à via recta proprio horrore nos sollicitant; quæ omnia Ioann. verbis supra allatis assequutus est. Hæc sunt arma, quibus fretus satanas primum hominem adortus est, & prostrauit, atq; deiecit; Appetens namq; illa primi humani generis mater, sapere plusquam oportebat sapere, auidaq; sciẽdi bonum, & malum, delectatàq; pomi aspectu, gustuque eiusdem illecta; cum sibi consentiente viro suo Adam, truci satanæ manus victas dederunt, totaq; eius posteritas labefactata est. Aspice ergò, quæ, & quãta sit huius fortis armati armorum vis, atq; potestas. At superueniens Christus Iesus Nazarenus in mundum, oriens de sinu cœlestis patris, in ventrem intemeratum terrenæ venit matris; hincq; carne humana vestitus, carnisq; natiuitate prosiliens in orbem, cũ hoc armato forti congreditur, illumq; superans, arma eius abstulit, spolia detraxit, & distribuit, quando in cruce moriens, tartarea fregit vincula, & sepulturæ mandatus tertio die resurrexit à

xit à

xit à morte,& post quadraginta dies iuga cælorum petit, prædamque tulit tartari: *Et spolians principatus,& potestates,traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso*, Coloss. 2. & denique; *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*. Hæc sunt spolia,quæ celeriter detraxit, hæc est præda festina. Sed non solùm in cruce moriens huius tyranni trophæa reportauit, sed simul atque natus de Virgine sacra, adhùc infantili fragilitate impeditus,& humana non valens formare verba; neque patrem suum Deum infantili laudare lingua; neque virginem appellari matrem,sub tanta infirmitate,cum forti congreditur armato,illius deijcit humorē,& arrogantiā. Etenim fortis hic,angelus est,qui diuinos appetijt honores; At Christus, cùm Deus esset exinaniuit semetipsū formam serui accipiens; id quod plurimum Satanicum deiecit fastum. Quod si cupis alium cernere huius pueri cum Satana congressum adhùc sub ipsis crepundijs vagientis lege Matth. 2. Quid enim aliud est beatissimis Magis Ierosolymam ingressis, Herodem regem cum tota Ierosolyma turbari? Quid est, astu, fraudulentoque consilio,infantis recens nati natalem locum solerter exquirere,vt loco natali inuēto, infantem Christum Herodes occideret? nisi in rege, aut per regem Herodem regem diabolum, vt per membrum suum, cum Christo cōmittere bellum? At verò fortior erat Iesus paruulus,quā regia Herodis, atque satanica potestas, quæ quidem delusa est à Magis,qui per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Atque in hunc modum, puer Iesus diaboli arma abstulit,illiusquè vafrum,& versipelle ingenium fefellit,atq; Herodis conatus frustratus est. Rectissimè ergò puero Iesu nomē hoc ab æterno suo patre imponitur: *Accelera spolium, festina prædam*; quia non fuit segnis,&

tardus in superando hoc hoste, in detrahendisque spolijs istis; cùm vix natus, & modico tempore apud nos viuens & moriens spoliauerit tartara, & ditauerit cælestia. Vtinam, & nos affectemus spoliari ab isto prædatore, vt exuentes veterem hominem induamur nouum, qui secũdũ Deũ creatus est in iustitia, & sãctitate veritatis Eph. 4. Quotidiè enim Christus homines extrahit à desiderijs carnis, quæ militant aduersus animam, filiosque gehēnæ in filios lucis commutans, atque in inueniendis istis spolijs plurimum delectatur puer Iesus; Nam delitiæ eius filij hominum, hoc amat, hoc cupit, vt velimus ab ipso spoliari, & prædari; hoc clamat ex Euangelio; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; Matth. 11. Etenim cùm à Domino rapimur, reficimur; at cùm à satana abducimur, inficimur. Quamobrem si vitam trãsigimus istam, & in domini prædam, & spolium non transimus, id quidem non eo est, quò dominus iners est, festinus non est; (festinat namque prędari) Sed huius moræ, atque tarditatis obstinatio nostra in causa est. Ille namquè semper pulsat, semper clamat, citrà moram nos ad se trahere varijs modis curat. Quod si pulsanti corda nostra claudimus, si vocanti obticemus, si trahenti repugnamus, nostræ conuersionis in Deum moram obijciemus? Absit; Ille enim festinus est, & in opus hoc conuersionis nostrę nescit tarda molimina Spiritus sancti gratiâ. Nos ergò parare oportet, vt peccata post tergũ mittentes, in dominica spolia, Christiq; beatissimã prædam transferamur. Qui plura huiusmodi desiderat, habet sanctos Patres, & sacræ paginæ supra citatos expositores; Quod nostrum erat secundũ talentum à Deo datum, quoad potuimus, adimpleuimus, finem imponendo huius secundæ partis tractatus secũdi ad laudem eius, cui omnis honor, & gloria in sæcula. Amen.

VIR-

VIRGINIS PARTVS
TRACTATVS TERTIVS.
CAPVT NONVM ISAIAE
Iuxtà vulgatam, & Hebraicam versionem.

PRimo tempore: *secundum tempus primum*; Alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali; *Alleuiare fecit terram &c.* Et nouissimò aggrauata est via maris, trans Iordanem Galileæ gentium. *Et vltimò aggrauare fecit &c.* Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: *Populi ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam.* Habitantibus in regione, *in terra*, vmbræ mortis lux orta est; *splenduit eis*. Multiplicasti gentem, nō magnificasti lætitiam. Lętabuntur coram te, sicut qui lætantur in Messe; *secundùm lætitiam in Messe*; sicut exultant victores capta præda; Quando diuidunt spolia; *Sicut exultant in diuidendo ipsi spolium.* Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, sceptrum exactoris eius superasti; *Fregisti, contriuisti*; sicut in die Madian. Quoniam omnis violenta prædatio cum tumultu. *Quoniam omne preliū preliantis in tumultu.* Et vestimentum mixtū sanguine; *Et vestimentum volutatum in sanguinibus*; erit in combustionem, & cibus ignis. Paruulus enim; *Quoniam*, paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis; Et factus est principatus super humerum eius. Et vocabitur; *Et*

Vocauit nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, *æternitatis*. Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperiũ; *Magnitudini principatus*; Et pacis nõ erit finis; *Et paci non finis*; Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit; *Non est sedebit*; Vt confirmet illud, & corroboret, *illud*, in iuditio, & in iustitia; à modò, & vsque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet, *fecit*, hoc.

VERSVS PRIMVS.

Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali: & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium.

Obseruationes litterales.

COmmentaria, & glossas R. S. & R. D. more solito non traducimus, neque hîc ponimus, cùm non sit opus, & satius, & oportunius iudicauimus in explicatione cuiuscumque versus id prӕstare; *primo tempore*; heb. כעת *changhet*; *secundum tempus primum*; & sic videtur vulgatus accipere litteram כ *chaph* pro littera ב *beth*, ob eorum similitudinem; siue potius dicendum legitimam, & genuinam lectionem fuisse tempore S. Hieron. cũ littera ב *beth* & esse hanc; *In tempore primo*; prout sæpè reperitur hæc vox עת *ngheth*, tempus, Ezech. 35. 5. בעת *bengheth*; *In tempore iniquitatis extremæ*; Ierem. 18. 23. בעת *In tempore furoris tui abutere illis*; Ita hic, *In tempore primo*; quid sentiendum sit, cap. primo examinabimus.

Alleuiata הקל *hechal*. Radix קלל *chalal*; alleuiare, leuem reddere, à seruitute, à iugo, 3. reg. 12. 4. *Tu itaque nunc* הקל *hachel*:

hachel, imminuit, alleuia de imperio, uel seruitute patris tui durissima; Ab onere, Ion. p. 5. *Et miserunt vasa, quæ erāt in naui, in mare, vt alleuiaretur,* להקל *lehachel, ab eis.* Est coniugationis hiphnghil actiuæ, vnde legendum esset, *alleuiauit, leuem fecit terram Zabulon*; ita legunt RR. secundùm eorum expositionem; verùm rectè etiam legit vulgatus passiuè; *alleuiata est*; secundùm illam regulam; Verba, quæ carent casu nominatiuo, passiuè, siue impersonaliter accipiuntur. Alia significatione sumitur verbum, *chelal*, metaphoricè, pro vilipendere, despicere, Ezech. 22. 7. *patrem & matrem,* הקלו *hechalu, hach contumelijs affecerunt in te.* 2. reg. 19. 44. Isa. 23. 9.

Terra zabulon, & terra nephthali; istæ sunt duæ partes, quæ in diuisione terræ Chanaan sorte contigerūt duobus filijs istis Iacob, ab eisq; denominationem acceperunt: In hac sorte zabulon erant ciuitas Nazareth ad costām montis aquilonem versus, vbi Christus conceptus, & educatus fuit, mons Tabor, mare Galileæ, siue stagnum Genezareth, cui adiacent Capharnaum bethzaida, Tyberias, Magdalo, & Iud. cap. 19. 15. in sorte zabulon duodecim ciuitates numerantur; de eo predixit Iacob. Gen. 49. 13. *Zabulon in littore maris habitabit in statione nauium pertingens vsque ad Sydonem*; quod mare certè est mediterraneum, cùm Sydon ad ripam maris sit fundata, cui conterminabat sors zabulon. Pariter iuxtà terram zabulon contigua erat sors Nephthali filij Iacob amęnissima, in qua erant decem & nouem ciuitates, & villę earum, Iud. 19. 32. confinis, sicut & terra zabulon, mari Tyberiadis, siue Genezareth, quod mare, siue stagnum, vel lacus ex flumine Iordanis confluit etiam hodie.

Et nouissimo, supple, *tempore* והאחרון *Vehaacharon*; Quotiescunq; in sacra Script. hæc duo nomina reperiūtur; הראשון

ha-

barifcion ואחרון *veacharon*; ſenſus eorũ eſt ac ſi diceretur; *prius, & poſterius*; primo, & poſtea; Exod. 4. & 8. *Si non crediderint tibi, neque audierint ſermonem*; הָאֹת הָרִאשׁוֹן *haoth bariſcion*; *Signi prioris*; *Et credent verbo*; הָאֹת הָאַחֲרוֹן *haoth baacharō*; *Signi ſequẽtis, ſiue poſterioris*; Agge. 2. x. *Magna erit gloria dom⁹ iſtius*; הָאַחֲרוֹן *baacharō, nouiſſimæ*; מִן הָרִאשׁוֹן *min bariſcion*; *pluſquam primæ*; hoc eſt, domus poſterioris, quam prioris. Et hoc dico ad deludendam iuniorum iudæorũ falſam expoſitionem, quæ, vt aſtruant tertiam domum, ſiue templum ædificandum fore à ſuo Meſſia, exponunt ly, *baacharon*; non poſterioris, ſiue nouiſſimæ; ſed בית שני *baith ſceni*; *domus ſecundæ*; de quo ſuo loco, ſi Deo placuerit; hic noſter textus eſt euidenter illis contrarius, ſicut multi in lexicis videri poſſunt.

Aggrauata הִכְבִּיד *bichbbid*; hiphnghil, actiuum præteritum pro futuro, more prophetico, traducitur à vulg. paſſiuè; ratione prædicta כבד *chauad*; ſignificat onerare, iugo, ſiue onere, Nehem. 5. 15. *grauauerunt populum*; tributis, & oneribus. Verùm ſæpè pro augere diuitijs, ditare, & honorare accipitur, Ier. 30. *Et honorabo eos, et nõ erunt parui*; & opponitur in vtraque ſignificatione verbo הקל *hechel*, quod alleuiare ab onere, & vilipendere denotat; & de hoc infrà.

Via maris; diſſident ſcriptores in aſſignanda quæ ſit iſta via maris aggrauata. Nota hebraiſmũ, quando דרך *derech*, *via*, coniungitur cum nominibus loci, idem valet, quod, *verſus*, ſiue, *contra*, 3. reg. 8. 44. *Et orabunt te* (in captiuitate) *Contra viam ciuitatis*; דרך העיר *derech banghir*; *verſus ciuitatem, quam elegiſti*, Num. 14. 28. *Et reuertimini in ſolitudinem per viam maris rubri*; דרך ים סוף *Verſus mare rubrum*; Eſt iſdem hebraiſmus apud nos; דרך הים *derech baiam*; ideſt contra, verſus mare. Quare

hic

hic erit sensus litteralis,& ꝓprius; *Nouissimò aggrauata est versus mare trans Iordanem Galilaea gentium*, itaut ly, *via maris*, sit casus ablatiuus,& *Galilaea*, sit nominatiuus verbi, *aggrauata*. Quodnam sit hoc mare, S. Hier. putat esse mare Tyberiadis, cuius ora maritima sint Zabulon, & Nephthali, & cui adiacent multæ ciuitates. Lyran. vult, quod nomine, *via maris*, denotetur tota terra Galilææ gentium, ita dicta via maris, quia est ibi via publica ad portandum merces à Iordane ad mare mediterraneum,& è conuerso. Adrichomius in descriptione terræ Sanctæ; & videtur in eius tabula, quæ apud me est, ostendit,& describit hanc viam maris esse inter vtrumq; mare pag. 115.n.100. *Via maris, cuius in prophetia Isaiæ & Euangelio Matthæi fit mentio, indeque nomen habet quod è Syria in occidentem ad mare rubrum, siue mediterraneum ducat; publica quedam via est, quæ initium in Syria sumēs per mōtana Trachonitidis regionis et ciuitates Cedar, & Corozain, atque Iordanem fluuium, tandemque Vrbem Capharnaū transit, illincq; per littus maris Galilææ procedens, iuxtà Ciuitates Bethzaidā, Nephthali, Sepheth, & Naason præterit, & per Galilæam gentium, ac vallem Aser, quæ nunc S. Georgij appellatur, Ptolemaidem decurrens, merces suas in vniuersum occidentem distrahēdas ad mare magnum exonerat*. Hæc ille. Et certè ita res se habet, vti vidi oculis meis, & conformatur hebraismo prædicto; ex quo non videtur obstare huic veritati, quod ciuitas Zabulon,& Nephthali nō possint includi nomine viæ maris, cùm longè abessent à mare mediterraneo, & multum proximæ mari Tyberiadis; nam illa via maris sumebat suum initium in Syria, multò longius à mare, q̄ erat Nephthali,& pertransibat per easdem ciuitates stagni, siue maris Galilææ, & per totam Galilæam superio-

rem,

rem,& inferiorem, vti etiam nunc mercatores illi eãdem viam permeant.

Trans Iordanem. Hic locus difficilis est; Nam verè, vt omnes Expositores docent, via maris, siue tota Galilæa superior, & inferior, & ciuitates, & tribus Zabulon, & Nephthali erãt citra Iordanem; Quomodo ergò dicitur esse vltrà, & trans Iordanem, vbi erant sortes, & ciuitates Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasses? vt patet ex delineatione terræ Sanctæ. Posset quis respondere, aduerbium עבר *ngheuer*, quod transfert vulgatus *trans*, siue, *vltrà*, significare etiam partem, latus, è cõtra, è regione, apud, proximè. Deut. 1. 1. *Hæc sunt verba, quæ loquutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem.* Certissimũ est, Moysem nunquã transisse Iordanem, & tamen Scriptura asserit hæc loquutũ fuisse trans Iordanem בעבר *benghever*; sensus est; *in parte, in latere Iordanis, è regione Iordanis*; ita Iob. 1. 19. *repente ventus vehemens irruit à regione deserti* מעבר *mengheuer, à latere, à parte*, Cald. מסטרי *missitre, à lateribus deserti.* Pari modo, *via maris, trans Iordanem*; sit sensus; *Versus mare, in latere, vel è regione Iordanis*; itaut describat Isaias, & amplectatur totam terram Zabulon, & Nephthali, Galilæam superiorem, & inferiorem, his duobus extremis terminibus, maris mediterranei, & maris Tyberiadis; quod verissimum est, vt constat ex tabulis geographicis. Alij dicũt, quod Scriptura dicat Moysem illa loquutum fuisse trans Iordanem, quia respectu terræ Sanctæ (iuxtà quam Scriptura consignat plagas, & situs locorũ, vt docet D. Hier. Zach. c. 2.) illa regio campestris, erat trans Iordanem; quo sensu eodem, exponunt ly, *via maris, trans Iordanem*, quæ via, quàmuis esset citrà Iordanem, dicitur tamen esse vltrà Iordanem respectu Ierusalem; sed non placet, cùm Ga-

lilæa

lilæa gentium non sit trans mare Tyberiadis, sicuti verè illa regio campestris erat verè trans Iordanem respectu terræ sanctæ, & Ierusalem. Tandem alij sic explicant; *Via maris*, siue Galilæa gentium dicitur esse trans Iordanem, respectu Syriæ; nam ex Syria vltra Iordanem incipiebat hæc via maris, iamdicta, & pergebat trans Iordanem per Galilæam gentium ad vrbem Ptolemaidem, & mare mediterraneum, vt patet ex Adrichomio. Prima expositio, vt magis ad litteram, mihi placet.

Galilææ gentium; Matt. 4. 15. legit Galilæa, ita heb. גליל הגוים *ghelil hagghoim*, propriè finis, terminus, cõfinium regionis, 3. reg. 19. 11. *Tunc dedit Rex Salomon ipsi Hiram viginti vrbes in terra*, הגליל *haggalil, in terram confinij*, idest quæ erant in confinibus terræ Israel iuxtà Sydonem, Tyrum, Cęsaream Philippi, & Ptolemaidam; hæc est, & dicta fuit, *Galilæa gentium*; vel quia esset vicina Sydonibus, Tyrijs, & alijs gentibus ad aquilonem; vel quod diuersæ gẽtes Syrij, Ægyptij, Phenices, & Arabes eã incolerent; dicitur hæc Galilæa gentium, Galilæa superior in tribu Nephthali sita, ideò superior, quia magis propinqua scaturigini Iordanis, & vicina gentibus Sydonijs, & Tyrijs, in qua Salomon dedit Hiram regi viginti ciuitates, inter quas principales fuerunt Damascus, Philadelphia, Raphana, Scytopolis, Gaddara. In hac Galilæa superiori credibile est frequẽtiora fuisse commercia gentium, quã in Galilæa inferiori, sic dicta, quia à fonte Iordanis magis distabat, sita erat in tribu Zabulon, circa stagnum Genezareth, & Tyberiadem. In hac multæ fuerunt vrbes, vt Tyberias, Bethzaida, Corozaim, Capharnaum, quas Christus vocatione Apostolorum, prędicatione, miraculis, & habitatione illustrauit.

CAPVT PRIMVM.

An hebræi corruperint sacrum textum legendo ipsi, secundùm tempus primum, & vulgatus legendo, In tempore primo.

Ista animaduersio reperitur apud Forerium, qui hoc loco sic scribit: *Hebræi legunt* כעת *changheth, idest sicut tẽpore, vel secundùm tempus. Vulgatus* בעת *bengheth*, idest, *in tempore. Est autem facilis mutatio* ב *beth in* כ *caph, & contra; sed sensus valde diuersus esse videtur. Iudæi; ergò sua illa distinctione, et mutato* ב *in* כ *locum ita obscurarũt; vt qui cõmentarios illorum legerit, nequaquam ex eis quid sibi hoc loco Propheta velit, possit vmquam intelligere; In eodemque luto hærent nostri, qui hanc illorum impietatem non perceperunt. Cùm enim nullus sit locus in prophetis, qui apertiùs vocationem discipulorum Domini denunciet, quam hic, vt apud Matthæum videre potes. Impij illi, vt tenebras nobis effunderent, & vt locum, quem Matthæus adducit, penitus eneruarent, inuentũ hoc distinctionis excogitarunt; Vt cùm hæc pertinere ad captiuitatem Babylonicam (Assyriacam) dicerent, & tria tempora, & tres captiuitates (Assyriacas) hic cõmemorent, easque inter se conferrent; quod sequitur de populo, qui ambulabat in tenebris, quò referendum esset, incertum remaneret. Nos tamen Matthæi auctoritate, & antiqua Hieronymi versione suffulti posthabitis Iudæorum commentis, seruata tamen hebræi sermonis proprietate, locum multò aliter tibi, Christiane lector, & interpretabimur; & omninò ita interpretandum esse ostendemus.* Hæc ille. Quæ, vt magis pateant, & intelligantur, & veritas innotescat, an Iudæi vltra eorum falsas expositiones huius prophetiæ, corruperint

rint etiam ſacrum textum in littera ,vt putat Forerius; ad hoc, vt obſcurarent verũ ſenſum eiuſdem prophetiæ, quam certè viderunt in Euangelio Matthæi adductam, vt per eam comprobaret prædicationem Ieſu Chriſti, & vocationem Apoſtolorum, de qua verſu ſequenti; ideò Sciendum eſt, in textu hebræo, quem habemus præ manibus, ly, *primo tempore,* quod eſt in vulg. verſione principiũ capitis noni, ſpectat ad caput 8. antecedẽs; & totus iſte verſus primus, *primo tempore alleuiata eſt &c. vſque Galilæa gentium;* eſt verſus vltimus capitis octaui: itaut in hebræo, principium capitis noni ſit verſus ſecundus; *Populus, qui ambulabat in tenebris.* An hæc ſit corruptio, & malitiosè factum à Iudæis non caret magna probabilitate. Indubitatum eſt apud doctos, quòd poſt tempora Sanctiſſimi Doctoris Hieronymi verſionis vulg. auctoris; fuerunt aliqui ſapientes hebræi eorum, vocati Maſſorithæ, qui, cùm anteà ſacra Scriptura fuiſſet ſemper ſine punctis, ſiue vocalibus, apicibus, & notis diuidentibus capita, & verſus; ſed hæc omnia habebantur per traditionem vocalem tãtùm; ipſi anno Chriſti 500. in ciuitate Tyberiadis congregati excogitarunt, & adinuenerunt, puncta vocalia, & accentus diuiſiuos, quibus diuiſerunt totam Scripruram in capita, & capita in verſus, ſiue paſſus, ſicut illis viſum fuit. Hoc ſuppoſito, cùm inueniam, quòd ante tempus Sãctiſſimi Doctoris Hieronymi apud traductores ſacrę paginæ hebraicæ ſiue in græcum, ſiue in latinum accentibus diſtinctiuis deſtitutos, & ſola traditione ſuffultos, ipſi omnes inceperunt hoc caput nonum Iſaiæ ab hoc verſu; *Primo tempore alleuiata eſt;* ita Sept. Qui legũt: *Hoc primũ bibe, velociter fac. Regio Zabulon etc.* Ita Symmachus, qui incipit hoc caput nonum; *Primus accelerauit terram Zabulon, & terram Nephthalim; & vltimus aggregauit viam.* Ita, *Aquila*, quos vid as in

Biblijs regijs Complutensi, & Plantiniana. Ita ante S. Hieron. Euseb. Pamphili lib. 6. Demonst. Euan. Dem. 3. dicit: *Vetus translatio habet*; *Primo tempore alleuiata est terra &c.* afferens Septu. lectionem: *Hoc primũ bibe &c.* vtramque principium capitis noni; Cùm, inquam, ante Massoritas fuerit vetus lectio, & principiũ capitis noni; *Primo tempore,* constat ipsos alterasse, & mutasse lectionem communem, & antiquam respectu finis capitis octaui, & principij secundi. An verò fecerint malitiosè & in fraudem quis dubitabit? vt acutè obseruat Forerius; Eorum siquidem maligna mens fuit, separare versum primũ capitis noni; *primo tempore &c.* à secundo statim sequenti; *Populus, qui ambulabat in tenebris*; ne per hunc populum intelligeretur prędictus populus Zabulon, Nephthali, & Calilæa gentium; sed remaneret incertus, & dubius, vt esset liberum illis suo modo explicare illum, & ad alium sensum conuertere; & germanum sensum & genuinum antiquum Prophetæ, qui est de vocatione Apostolorum, & prædicatione legis Euangelicæ per regem Messiam Iesum Nazarenum, qui primò in Galilæa illam lucere fecit, obscurarent, & pœnitus eneruarent. Confirmatur hæc veritas, si recolantur, quæ annotaui v. 21. & 22. cap. 2. ibi vide fol. 252. vbi R.S. exponit illã miserrimam calamitatem, quam describit Isaias de captiuitate Assyriaca, & illa vltima verba vulgati; *Et non poterit auolare de angustia sua*: sic legit. *Quoniam non defatigatio illi, angustia ei*; & sic exponit. *Nam rex Assur qui dat pressuram ei* (idest terræ Israel, decem tribuum) *non ipse defatigabitur, non erit negligens, ut veniat contra vos tribus vicibus.* Hęc ille. Cùm ostenderimus ibi Prophetam loqui cum tribu Iuda, quæ magna ex parte à domo Dauid defecerat, & ideò illius tribus desolationẽ,

&

& vltimum excidium vaticinatur;& nullo modo loqui cũ decem tribubus;ergò contra veritatem prophetiæ R.S. & eius sequaces,copulant vltimo versui capitis octaui; *Et non poterit auolare de angustia sua*; principium capitis noni: *Primo temporè alleuiata est*(hinc deducens suas tres falsas, decem tribuum in Assyriam transmigrationes, à nobis abundè confutatas, & modò confutandas) cùm terræ Zabulon, & Nephthali, & Galilæa gentium non spectent ad tribum Iuda, sed ad decem Israel.

An verò mutauerint Massoritæ litteram בית *beth*; nã prima, & antiqua lectio erat בעת הראשון *bangheth bariscion*; *In tempore primo*; in litteram כף *chaph*; vt modò legitur; כעת הראשון *changheth bariscion*;*secundum tempus primum*; adest aliqua suspicio,cõsideratis illorum expositionibus: nam lectio cum ב *beth*;*In tempore primo*;est absoluta,non denotat depẽndentiam à verbis præcedentibus; *Et non poterit auolare de angustia sua*;siue,vt ipsi legunt: *Quoniã non defatigatio ei, angustia ei*; At verò lectio cum כ *caph*;*secundum tempus primum*; videtur dicere relationẽ ad præcedentia verba;*Quoniam non defatigatio ei*; idest non defatigabitur rex Assyriorum, qui angustiat Israel, sed secũdum tempus primum veniet Theligathphileser, & capiet Zabulon,& Nephthali;Attamen quis dicet,nõ ita apparet hæc corruptio, vt de ea conuinci possint; Tùm quia in Scriptura aliquãdo ponitur כ *caph* pro ב *beth*; Zach.2.6.*In quatuor ventos cæli dispersi vos*;heb. כ *caph*; sed legunt omnes RR. *bearbangh*;*In quatuor*; Tùm quia littera כף *chaph*,cũ dictionibus temporis denotat prope, circa,circiter,& respicit semper futurum,& in posterum; & præcipuè cum dictione,*nghcth, tempus*; Genes.18.10. *Reuertens reuertar ad te tempore isto, vita comiti*; כעת חיה *chengheth chaiiah*;*Circa hoc tẽpus vitæ*;R.S.*Circa tẽpus hoc*

anno

anno sequenti. Exod.9.18. *Et pluam cras* כעת *changheth; hac ipsa hora grandinem multam*. Ita vulg. Pagn. *Ecce ego pluo in tempore crastino*. Num. 23.23. כעת יאמר: *changhet ieamer*, Vulg. *temporibus suis dicetur Iacobo*, Pagn. *sicut in tempore ipso dicetur ipsi Iacob*. R.S. *Amplius futurum erit tempus, sicut tempus hoc*. Et sic sæpè alibi: Cùm ergò vulgatus hoc verbum, *changheth*, traduxerit alibi; *tempore isto; hac ipsa hora; temporibus suis*; semper in posterum, ità potest dici, quod hoc loco Isaiæ pari modo idem verbum traduxerit: *Tempore primo*; absque suspicione corruptionis litteræ, *beth*, in *caph*; Quid dicẽdum, nunc accipies.

CAPVT SECVNDVM.

Referuntur, & refelluntur expositiones RR. *super hunc sensum*.

THalmudistę Codice Sanehedrin cap.2.fol.121.col.4. adducentes caput 8. Isaiæ, & illa verba; *Nõ angustia illi, qui affligit illum*; tradunt; *Dixit R. Eliezer; Non tradetur populus*, עיף *ngbaieph; laborans in lege in manu illius*; שמציק לו *scemazich lo; qui obsidet illum*; Statim subditur, & vnitur sub eodem cap.8. primus versus cap.9. *secundũ tempus primum alleuiauit &c.* afferunt sensum, & declarãt; *Quid?* לא כראשונים שהקלו מעליהם עול תורה *lo charischionim scehechalu menghalehem ngol thorah; Nõ sicut primi, quia alleuiauerunt desuper illos studium, siue iugum legis*; declarat glossa R.S. Non sicut primi, decem tribus, terra Zabulon, & terra Nephthali, quia alleuiauerunt seipsos à iugo legis; sequitur codex; אבל אחרונים שהכבידו עליהם עול תורה *Aual Acharonim, scehichbbidu ngalehem ngol thorah*

Sed

Sed ultimi, qui aggrauauerunt super seipsos iugum legis. Glossa R.S. *Populus suus regis Ezechiæ aggrauauerũt &c.* & hoc est, quod scriptum est; *Et nouissimò aggrauauit uiã maris, trans Iordanem, Galilæam gentium*; declarãt; *digni fuerunt illi facere illis,* נס *nes, miraculum sicut egredientes de Ægypto, qui transierunt mare, & sicut ambulantes Iordanem.* Hæc ille. Quis non videat quam distorta, quã diuersa sit hæc expositio à sensu germano, & litterali huius textus, Tũ quia Isaias illis verbis vltimis capit. octaui apertè loquitur de extremo excidio tribus Iuda, & nõ de obsidione Ierusalem per regem Senacherib, vti citato loco ostendimus. Tum quia fraudolenter sepeliunt vocem, *chenghet; secundum tempus;* quæ semper in scriptura respicit tempus futurum, & in posterum; at ipsi exponunt de tempore preterito, & iam transacto multis annis quando rex Ieroboam, & decem tribus Israel apostatãdo à fide Mosaica Idolis seruierunt, & ideò contrà sensũ litteralem, suppresso nomine, עת *ngheth, tempore*, vertunt pluraliter, singulare הראשון *harischon, primo*, cum littera כ, à principio כראשונים *charischonim*, addendo dictionẽ negatiuam, לא, *lo*, nõ; *Non sicut primi*; tribus modis corrumpendo sacrum textum, & eius sensum litteralem; qui est, *secundum tempus primum*, vel, *primo tempore*; Præterea, si illi vltimi qui seipsos aggrauauerũt iugo legis, fuerunt populus Ezechiæ regis, idest tribus Iuda; quomodo audent dicere, hoc esse, quod Propheta subiungit: *Et nouissimo aggrauata est via maris, trans Iordanem Galilæa gentium*; cùm ista sint loca, terræ, ciuitates, & regiones Zabulon, Nephthali, Ruben, Gad, & Manasses, & decem tribuum, & gentium, & nequaquam, terra iuda, & illius ciuitatum, & populorum?

Nonne, hoc est cæcutire in medio lucis? Viderunt veritatem,

tem,ſed illam odientes,ad aliam falſitatem dederũt manus, figuratè exponendo litteram prophetiæ, per viam maris per tranſitum Iordanis, miracula, quæ fecit Deus cum populo hebræo, & quæ, vt faceret Deus cum rege Ezechia, & populo ſuo, obſeruatore legis, erant digni; O monſtrum, Thalmudiſtæ, qui vbique ſenſui litterali Scripturæ adhærent mordicus; & præcipuè quando nos oppugnant,hîc ad allegoricũ,& ſpiritualem confugiunt, vbi adeò litteralis, & hiſtoricus eſt apertus in verbis, certè vt magis oſtentent illorum odium contra regem Meſſiam Ieſum Nazarenum, de quo vident omnes prophetias verificatas, & adimpletas.

R.S.peritiſſimus thalmudiſta hoc loco,& 4. reg.17. 1. ſuis gloſſis mihi maximam ſuſpicionem facit,vel Maſsoritas corrupiſse hunc textum,vel ipſum falſum dicere, & chimericum de illis tribus Aſsyriacis tranſmigrationibus decem tribuum, de quibus ſuper abundè, & fuſiſſimè tractaui,tract.1.fol.152.tract.2.fol.124. Et quoniam in hac materia,eſt res magni ponderis, & præcipuum fundamentum;ideò denuò,ſed breuiter, eam tangam. R.S. in gloſsa huius textus, exponẽs cum Thalmudiſtis verba vltima capitis octaui: *Quoniam non defatigatio ei,qui affligit illam*; & de oppreſſionibus illatis à rege Aſsur populo Iſraelitico, ſic ſcribit: *Rex Aſſur,qui anguſtiat terram veſtram non ipſe laſſus, aut piger venire ſuper illam tribus vicibus. Primò,anno quarto Achaz, & vigeſimo Phacee; quando cæpit Aion &c. Galilæam, & vniuerſum Nephthali,*4.reg.15.29.*Secundò,anno duodecimo Achaz,* 1.Paralip.5.26.*Et tranſmigrare fecit Ruben, & Gad, & dimidiam partem tribus Manaſſes*. Tertia captiuitas fuit anno ſexto Ezechiæ,anno nono Oſee,quando capta fuit Samaria,quæ eſt ciuitas Regia, & tranſmigrauerunt omnes,

omnes,& hoc dictum est hic; *Quoniam non lassitudinei inimico,qui obsidet illam*, nempè terram Israel; quod dictum est ibi; *& ad terram contemplabitur*. His præmissis,cùm,vt diximus,hunc primus versus capitis noni, Massoritæ vnierint,tamquam vltimus, capiti octauo, pergit R. S. illum exponere secundùm allatam ab eo interpræ- tationē de tribus p̄dictis transmigrationibus. Hoc pacto. *Secundum tempus primum alleuiauit terram Zabulon*; הגלות הזו האמצעית קלה תהיה כאותה של עת ראשון אשר הקל להגלות את ארץ זבולון ונפתלי שאף כשניה לא הגלה אלא שני המטות וחצי המטה שבעבר הירדן אבל האחרון מסע השלישי הוא הכביד מאוד את הכל כמכבד את הבית *hagaluth bazu haamezanghith chalah thehieh,cheotah scel ngeth riscion, ascer hechal lehagaloth eth erez zabulon venephthali,sceaph basceniiah lo lugaleh ella scene hamathoth, vechazi hammatte, scebenghever haiarden,aual haacharon,massangh hasceliscij hu hichbid thiath eth chol,chemachbed,eth habbaith*. Captiuitas ista media leuis erit, sicut illa temporis primi. Nam alleuiauit transmigrare faciendo terram Zabulon,& terram Nephthali;quia etiam in secunda, nō fecit transmigrare nisi duas tribus, & medietatem tribus, quæ erant trans Iordanem. Verùm,Nouissimò,Vltimò; translatio, siue profectio tertia, ipse aggregauit, scopauit omnia, sicut scopans domum. Hæc ille.

In quibus primò animaduerto astutam, sed falsam expositionem huius R.S. supponit, vt verum est, quòd prima captiuitas facta à Theligathph. fuerit tribuum Zabulon, & Nephthali anno 4. regis Achaz, & secunda à Salmanasar fuerit tribuū Ruben, & Gad, & Manasses anno 12. regis Achaz, quod est falsum;sed vt istam secundam captiuitatem aliquo colore deduceret ex hoc textu, vtitur littera כף *chaph*,similitudinis,posita ante nomē עת *ngheth*,

tempus, בעת *changheth, secundum tempus primum*; & facit hunc sensum, sicut captiuitas prima primi temporis fuit leuis, quia non transmigrarunt nisi duæ tribus Zabulon, et Nephtali; ita captiuitas media, siue secunda erit leuis, quia etc. Si in textu hebraico scriptum esset ly, עת *ngheth*, tempus, non cum littera כף *caph*, בעת *secundum tempus*, vt legitur nunc, sed cum littera בית *beth*, בעת *bangheth, in tempore*, siue, *tempore primo*, vt scriptum erat ante Massoritas; non posset iste R. S. ex hoc textu deducere suam fictitiam secundam captiuitatem, vt patet; Nam legendo, *primo tempore*; ostenditur prima captiuitas tribus Zabulon, et Nephthali; et immediatè subdens Propheta; *Nouissimò aggrauata est via maris*; ostenditur secunda, et vltima captiuitas omnium tribuū Israel; hoc tamen dato et non concesso; ex quo colligitur aliqua suspicio de corruptione textus; cùm non suffragetur R. S. hebraismus adductus. Sed veritas est, quòd illarum tribuū, & trans Iordanē Ruben, et Gad, et dimidietatis tribus Manasses & citra Iordanem Zabulon, et Nephthali, vna tantùm fuit captiuitas facta anno 4. Achaz à rege Theligatphil. hoc eodem anno 4. regis Achaz, omnes istę quatuor tribus cum dimidia (quæ omnes describūtur ab Isaia, *terra Zabulon, & terra Nephthali, trans Iordanem*; & exponit R. S. *ista est transmigratio secūda Ruben, & Gad*; transmigrarunt simul in Assyriam, et omnium fuit vna tantùm captiuitas, eodem anno, et tēpore dicto. Ita apertissimè docuerunt RR. in libro Ialchuth Isaiæ signo רנט. Et in procemio Echah Rabbathi Threnorum Ieremiæ glossę magnæ folio כו colum. 4. quorum verba referre debeo, vt scias lector, R. S. suos magistros stultè deserere, & lectionem hebraicam primam, & germanam fuisse apud RR. non illam כעת *changheth, secundum tempus*; sed istā בעת *bangheth*.

bangheth. In tempore primò; Dicunt enim מטליות מטליות היו גולים *mitalioth mitalioth haiu golim; Migrationes migrationes transmigrarunt decem tribus;* hoc est pluribus transmigrationibus, migratione post migratione; Modò quærunt interrogando כיצד גלו *chezad galu; Quoniã modò trãsmigrarũt?* Sequitur responsio: רבי אלעזר אומר שבט ראובן ושבט גד גלו תחילה *R. Elengazar omer sceuet Reubẽ, vesceuet gad galu thechilah. R. Eleazar dicit, tribus Ruben, & tribus Gad transmigrarunt in principio, id est fuerunt primi;* רבי שמואל בר נחמן אומר שבט זבולון ושבט נפתלי גלו תחילה הדא הוא דכתיב בעת הראשון הקל ארצה זבולן וארצה נפתלי *R. Sciamuel bar nachman omer, sceuet zeuulon, vesceuet Nephthali galuthechilah hada hu dictiu, bãgheth harisćion hechal arzah zeuulon, vearzah Nephthali. R. Samuel filius Nachman dicit tribus Zabulon, & tribus Nephthali transmigrarunt in principio, siue fuerunt primi;* hoc est illud quod scriptũ est; *In tempore primo alleuiauit terram Zabulon, & terram Nephthali;* ומה מקיים רבי אלעזר קריה דרבי שמואל בר נחמן אלא בעת שגלו ראובן וגד כך גלו שבט זבולן ושבט נפתלי *Umah mechaiiem R. Eleazar cheriiah de R. Sciamuel bar nachman; Ella bangheth scegalu Reuben vegad, chach galu sceuet zeuulon, vesceueth Nephthali.* Et quid? *Confirmat ne R. Eleazar dictum R. Samuel filij Nachman?* (quod videlicet tribus Zabulon, & tribus Nephthali fuerunt primę, quæ transmigrarunt, & nequaquam fuerint primę tribus Ruben, & Gad, sicut ipse R. Eleazar dixerat, quæ à principio transmigrarint, sed quod fuerint secundæ; itaut illa transmigratio Zabulon, & Nephthali fuerit prima; & hęc Ruben, & Gad fuerit postea secunda; itaut in diuerso tempore, & aliquo annorum interuallo, postea euenerit hæc secunda transmigratio Ruben, & Gad, vt somniatur R.S.) Respondent; *Nequaquam; sed in tempore, quo tran-*

ſmigrarunt Ruben,& Gad,ità pariter,ſimili modo tranſmigrarunt tribus Zabulon, & tribus Nephthali. Vbi nota modum loquendi RR. debebant dicere; In tẽpore quo tranſmigrarũt tribus Zabulon,& rribus Nephthali, pariter tranſmigrarunt tribus Ruben, & tribus Gad; Nam Scriptura loquitur apertè de terra, & tribu Zabulon,& Nephthali;& nõ meminit tribus Ruben, & Gad; ſed hoc faciunt veritate ducti pęnitus excludentes fictitiam, & malitioſam illam ſecundam tranſmigrationem horum tribuum Ruben,& Gad (inuentam à R. S. poſt hos RR. multis ſæculis, vt myſteria regis Meſſiæ, ſeu Nazareni obſcuraret, euerteret) quæ accidit anno duodecimo eiuſdem regis Achaz, vt ipſe fingit. Non, inquã, ita fuit, ſed eodem anno quarto regis Achaz, quo tribus Zabulon,& tribus Nephthalim citra Iordanem tranſmigrarunt in Aſſyriam, ita *chach*, pari modo, ſimul,& ſemel in tempore eodem quo tranſmigrarunt tribus Ruben,& tribus Gad, quæ erant vltrà Iordanem. Et hoc probant ex allata Iſaiæ Scriptura retinendo legitimam, antiquã, primam,& ſinceram lectionem hebraicam בעת *bangheth*; *In tempore primo*; duabus vicibus in eadem traditione ſic legendo, excludendo, & damnando apertè lectionem Maſſoritarum כעת *chengheth*; *ſecundum tempus primum*; veluti adulteratam,& corruptam; ſupra quam fundauit, vt vidimus, R.S. ſuum figmentum prædictum; Tandem proſequuntur dicti RR. declarare reliquum text. Iſaiæ; והאחרון הכביר *Vehaacharon hachbbid*; *Et nouiſſimo aggrauauit viam maris*; ר אבא בר חנינה אמר הממס כנמכביר *Rabbi Abba bar Chanina Amar Hammamas chanimchabbid*. *R. Abba filius Chaninah dixit; Certiſſimè eſt hoc, ſicut ſcopatus*; Et hoc eſt, quod ſcriptum eſt Iſa. 14. 23. וטאטאתיה במטאטא *Vetetithiah bematete*; *Et ſcopabo cã in ſcopa terẽs*.

Hæc

Hęc illi. Et quia apud RR. *hichbbid*, sumitur pro verrere, scopis purgare, exponunt ly, *Nouißimo aggrauata est via maris &c.* de vltima transmigratione facta per Salmanasar anno sexto regis Ezechiæ, qui omnes alias tribus, quæ remanserunt in terra Israel ex prima captiuitate, scopauit, et in Assyriam transtulit. Quare ex hoc loco Isaiæ, non cognoscunt RR. antiqui nisi duas transmigrationes; primam, et vltimam; illam secũdam, quam R.S. adinuenit, pœnitus, veluti falsam, reprobantes; Et hæc satis pro præsenti capite.

CAPVT TERTIVM.

Vera, litteralis, & germana, et Catholica expositio versus prædicti: Primo tempore &c. *affertur, & explicatur.*

LVcidissimus Lyranus, Forerius, & nonnulli; hebræorum prędictam interpretationem de duabus transmigrationibus tribuũ Israel in Assyriam negant conuenire textui nostro, & longè aliam esse mentem Prophetæ. Tũ quia vt probatum est, capite præcedenti, numquam mentionem fecit tribuum Israel; sed semper de tribu Iuda loquutus est, & in fine capitis ei comminatur vltimũ regni sui excidium, & captiuitatem Babylonicam, vel Romanã. Deinde, vt rectè aduertit Forerius, quo loco Scripturæ probabunt ly הקל *hechal; alleuiata est terra*; siue, *alleuiauit terram Zabulon*; sumi pro leuius puniri, leuiter affligi, siue opprimi; immò oppositum significat, alleuiari, imminui à põdere, liberare à grauitate, à seruitute, vt videre est in omnibus lexicis, ad quæ semper remitto lectorem meum. Neque iuuat dicere cũm Palatio, &

Sanctio,

Sanctio, & Vatablo, hoc loco ly, הקל *hechal, alleuiata est*, siue, *alleuiauit*, continere talem sensum, idest leuiter afflixit, & spoliauit, respectu verbi subsequentis; *Et nouissimò aggrauata est*; quatenus posterior captiuitas fuit grauissima; Nam hoc est in quæstione, an hoc loco, & textu his duobus verbis significare velit Isaias has duas decem tribuum captiuitates; quod ipsi non probant, & nos oppositum supra ostendimus, cùm Propheta loquatur de terra Iuda, et eius præsenti, siue Babylonica captiuitate, et non de terra Israel, et decem tribubus, et illarum transmigrationibus prædictis. Et iterum ostendo ex verbo prophetico, הכביר *bichbbid*; quod traducit vulg. *aggrauata est*; alij; *aggrauauit*; idest rex Asur, eadē, qua suprà, ratione, cùm in tota Scriptura non inueniatur hoc verbum in tali significatione, hoc est, grauissimè afflixit, pœnitùs deleuit reliquas tribus Israel, pœnitùs de terra erasit, & imperium Ephraim prorsus extinxit. Ideò RR. hoc illorum significatum cum suprà aliquam Scripturam fundare nequeant, ad Rabbinicam inuentionem recurrunt; nā Rabbinicè הכביר *bichbbid*; *aggrauata est*; *Verrere*, significat. Præterea arguit Lyranus: *Si Propheta loqueretur de secunda captiuitate Assyriaca. Et nouissimò aggrauata est via maris trans Iordanem Galilæa gentiū, non fieret ibi mentio de Galilæa, quæ in prima captiuitate fuit magna ex parte immò ferè tota captiuata à Theligathphil. sed magis de Samaria metropoli regni, quæ fuit obsessa, & capta à Salmanasar*. Hæc ille. Adde, dicit Propheta, in hac vltima captiuitate; *aggrauata fuit uia maris trans Iordanem*. R.S. & alij dicunt; *hæc est captiuitas secunda Ruben, & Gad*; sed hęc non potest dici aggrauata; sed leuis, vt ipse suprà dixit; at Scriptura asserit apertè oppositum; vocat enim aggrauationem, & non alleuiatio-

nem,

nem, captiuitatem factam trans Iordanem, quæ est duarũ tribuum, cum dimidia Manasses; ergò R. S. vel sibi contradicit, vti verè facit, vel alius est sensus huius textus inclusus in illis duabus vocibus, *alleuiata*, & *aggrauata*; ab isto excogitato à RR. de duabus transmigrationibus decem tribuum in Assyriam; vti verè est, & admodùm diuersus.

Possent respondere R. S. argumento Lyrani, nomine, *Galilææ gentium*, intelligi totam terram Israel, sic .n. scribit in sua glossa; גליל הגוים היא כל ארץ ישראל *Galilæa gentium. Ista est vniuersa terra Israel*; & sic hoc nomine intelligi etiam Samariam, & vltimam captiuitatem decem tribuum, & regni Ephraim excidium; sed hoc est violentũ, & voluntarium, violentum; nam hæc, *Galilæa*; ideò nomen accepit, *Gentium*; quia magna ex parte ab illis habitata erat, & non ab Israelitis, & in ea Rex Tyri potiebatur viginti ciuitatibus, & hac ratione violenter, & incongruè exponit, & accipit R. S. pro vniuersa terra Israel, *Galilæam gentium*; Voluntarium cùm id non probet; neque ratio eius quidquam valeat, quã desumit ex significatione radicis גלל *ghalal*, deuoluere, reuoluere; Quia dicit ipse, *tota terra Israel*, facta est גללת *gholeleth, circũuolutio, siue reuolutio ad eam omnium gentium; nã omnes appetunt eam, & veniũt ad eam, vt eligant illã.* Hæc ille. Sed omnia sine fundamẽto, & chymericè; Nam illa pars vltima terræ Israelis confinis Sydoni Tyro, Ptolemaidæ ciuitatibus gentium, non vocatur גליל *Galilæa*, ratione prædicta à R. S., sed à circumferentia, à limite, termino, & cõfine regionis gentium, quibus hæc pars terræ Israelitis terminabat; Ita confines, & termini Philistinorum respectu terræ Sanctæ vocantur Galilææ, Ioel 34.

Ga-

וכל גלילות *vechol ghelileth*; *Et omnis terminus Philistinorum*; legit vulgatus; *Et omnes Galileæ Philistinorum*; ideſt, *regiones*, *confines*; Ex qua litterali veritate apparet, appellari illam regionem, Galileam gentium, quia confinis erat gentibus, non quia gentes appetãt, & eligãt illã; & hoc dato, cũ nomine toti⁹ terrę Iſrael compræhendatur terra Iuda, Regia, & principalis prouincia, etiam iſta intelligeretur nomine, *Galilea gentiũ*; quod obeſt hebræorum expoſitioni, vt patet; non enim aggrauata, & ducta fuit in captiuitatem Aſſyriacã terra Iuda. Videas, lector, quam longè diſtet, quam diſtorta, & oppoſita ſit, quam chymerica RR. expoſitio iſta, huius ſacri textus, quot corruptiones adinuenerint, verborum improprietates induxerint, litteralem ſenſum derelinquendo, ad myſticum confugerint, & ſibi ipſis contradixerint; Et hoc totum, vt his omnibus falſitatibus, à veritate ſubtraherent immediatum verſum ſequentem ſecundum; *Populus qui ambulabat in tenebris*; itaut nullo modo per iſtum populum intelligatur prædictus terræ Zabulon, & terræ Neptalim, & vltrà Iordanem, & Galilęæ gentium; nam ſuppoſita illorum falſa expoſitione de prima, & ſecunda captiuitate decem tribuum, nõ poteſt de iſto populo Iſrael verificari, hic ſecundus verſus; *Populus &c.* cùm ab ea hora vſque nũc, qui ſunt tria millia annorum degerint in obſcuriſſimis tenebris captiuitatis Aſſyriacæ. Vnde relinquitur, quòd Propheta de alio populo loquatur, quam de prædictis, nempè de populo Iuda; Et ſic euertunt, & ad falſitatem reducunt S. Matthæum, qui cap. 4. v. 12. affert prædictam auctoritatem Iſaiæ oſtendens verificatam fuiſſe à Ieſu Chriſto Nazareno, ſcribens; *Cùm audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galileã, et relicta ciuitate Nazareth, venit,*

&

& habitabit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim; vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam. Terra Zabulon, & terra Nephtalim; via maris, trans Iordanem, Galilæa gentium; populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Vbi apertè videtur, versum; *populus, qui sedebat in tenebris*; coniungi, & vniri cũ versu superiori; *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon &c.* & esse explicationem illius, ostendens, quæ sit ista alleuiatio, & aggrauatio; nempè reuelatio, & manifestatio regis Messiæ Iesu Nazareni, quę primò facta fuit in illis ciuitatibus, & regionibus sua prædicatione, vocatione Apostolorum, & miris miraculis, & prodigijs; quæ omnia mirè explicantur à Propheta illis duobus verbis; *Alleuiata est terra, & aggrauata est via maris*; Qui sensus adeò est verus, & solus litteralis; vt nõ possim adduci adhærere nonnullis ex nostris, & sentire cum illis, hunc textum Scripturæ duplici sensu litterali potiri, prædicto RR. & Euangelio. S. Matt. cùm euidenter ex dictis constet, primum sensum Rabbinicum opponi, & destruere sensum Euangelicum, qui hunc locum Isaiæ in Christo adimpletum esse docuit; & RR. negant, & aliò diuertunt opponentes se. S. Mattæo. Et sic rectè concludit Lyran. *Cùm omnes expositores catholici dicant, quod necesse est de Christo intelligi illud, quod dicitur sup. 7. Ecce virgo &c. eo quod dicitur Matt. 1. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quòd dictũ est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo &c. Eadem necessitate compellitur quilibet doctorum catholicus exponere de Christo, quod dicitur hic. Primo tẽpore alleuiata est; cùm Matt. dicat; hoc impletum esse in Christo.* Hæc ille. Cui addo, tenetur doctor catholicus expositionem huic euangelicæ con-

crariam omninò explodere, & falsam ostendere, veluti est prædicta RR., quod ab alijs prætermissum, ego adimplendum, quoad potui, curaui; & explosa falsa RR. expositione, nunc veritatem catholicam, & litteralem examinabo, & ostendam.

Not. primò, suprà multis ostendimus filium prophetissæ esse regem Messiam, cui pater Deus nomen imposuit; *festina spoliũ, accelera prædam; festinus spoliator, celer prædator;* quatenus, postquam venit in mundum, spoliare, & deprædari debebat è faucibus diaboli, peccati, & inferni animas hominum; hic erat finis aduentus regis Messiæ auferre peccatum, idest Idololatriam dè mundo, veri Dei, veram religionem docendo.

Not. secundò, ly, *Alleuiata est terra Zabulon*, debere sumi secundùm sensum, quem habet in sacra Scriptura, primò grãmaticaliter, *alleuiare fecit*; & significatiuè, alleuiauit, leuiorem reddidit, propriè liberauit, exemit ab onere, à pondere, à seruitute, Exod. 18.22. *leuiusque fit tibi*, והקל מעליך *vehachel menghalechah*; *Et alleuiabit te, partito in alios onere*; significat etiam in hac coniugatione Hiph. leuifecit, paruipendit, vilipendit, contempsit, 2. reg. 19. 44. הקלותני *hachillothani*; *Cur contempsisti me*; vulg. *Cur fecisti mihi iniuriam*; neq; in alia significatione reperies hoc verbum. Pari modo, *hichbbid, aggrauata est*; ut tetigi in obseruationibus, est eiusdem cõiugationis Hiph. actiuæ; *aggrauauit*; כבד *chauad*; nonnisi duo significata habet in sacra Scriptura, aggrauare aliquo pondere, magnitudine, vel multitudine, Gen. 18. *Et peccatum eorum*, כבדה *chabbedah, aggrauatũ est nimis*; Targ. *grauissimum est*; Septua. *magnum*; Deinde aggrauare diuitijs, honore, & gloria; & hoc est proprium, & frequentissimũ in Scriptura; vide lexica. Et in hoc sensu debet accipi in textu nostro verbum; *Aggrauata est.* Not.

Not. tertiò, vt ſupra dixi, hæc duo verba alleuiari, & aggrauari ſibi adinuicē opponi; vt ſi alleuiari ſignificat ab onere à pondere; aggrauari ſignificet pondere, & onere; ſi alleuiari ſignificat paruifieri, & vilipendi; aggrauari, æſtimari, honorare, & in prætio haberi; & ſecundū hos duos proprios, litterales, & genuinos ſenſus horum duorum verborum; prophetia, cùm nequaquàm poſſit exponi de duabus captiuitatibus decem tribuum Iſrael, apertè loquetur de rege Meſſia Ieſu Nazareno, vti oſtendit S. Mattæus; & hoc duplici ſenſu, vt dixi.

Primus ſenſus eſt, Emmanuel filius propheti ſſæ, cui nomen eſt; Celer ſpoliator, feſtinus prædator, Chriſtus Ieſus iā homo factus incipiens exercere officiū prædatoris, primò alleuiauit terrā Zabulon, & terram Nephthali, quia ibi conceptus, & educatus fuit, ibi in Chana Galilææ inuitatus ad nuptias, primum ibi ſignum fecit aquas in vinū conuertendo, Ioan. 2. ibi in regionibus, & ciuitatibus horum tribuum, primò ſaluator Euangelium prędicauit, & omnes pęnè Apoſtolos elegit, & collegit, vnde in pſ. 67. 28. vocantur Apoſtoli; *principes Zabulon, principes Nephthali*; hæc ergò Chriſti deprædatio per quam credentes in Chriſtum Ieſum liberati fuerūt à iugo diaboli, vocatur ab Iſaia alleuiatio ab onere peccatorum, & infidelitatis, illos ad ſuam fidem, & ſalutem conuertens. Deinde, *nouiſſimè verò aggrauata eſt via maris, trans Iordanem, Galilææ gentium*; ideſt maiorem prædam deprædatus eſt iſte celer ſpoliator, dum in illis regionibus ſuperioris, & inferioris Galilææ, & in illis ciuitatibus Capharnao, Bethzaidah, Tyberiade, Chorozain, & Nazareth, cōtinuata prædicatione, miraculis, & prodigijs, illas terras onerauit, aggrauauit, diuitijs ſpiritualibus, & diuinis muneribus illuſtrauit, & cumulauit;

conuertendo per se,& per suos Apostolos longè plures, quàm in prima prædicatione,ad suam fidem. Hîc,plusquam alibi in tota terra Israel, ingrauata fuit, & multiplicata prædicatio Euangelica; & hinc in vniuersas gentes disseminata,& propagata fuit. Hoc vult apertè demonstrare Isaias,dum immediatè subdit;*populus qui ambulabat in tenebris vidit lucẽ magnam*; hebraicè; *populi ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam,habitantibus in terra vmbræ mortis,lux orta ex eis*; Declarat,explicat Isaias, quid velit dicere; *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon,& terra Nephthali &c.*idest isti populi Zabulon,& Nephthali,istæ regiones, viæ maris, termini Iordanis,Galilææ superioris, & inferioris, illorum habitatores, versantes in tenebris infidelitatis Iudaismi corrupti pharisęorum erroribus, & mixti cum gentilismo, *viderunt lucem magnam*;nempè prædicationis Euangelicæ;*habitantibus in terra vmbræ mortis*;hoc est in densissima caligine ignorantiæ,& peccatorum;*lux orta est eis*; Idest Christus Iesus,qui primò ibi prædicare cæpit,illosquè suæ prędicationis lumine,gratia,& fide,& cognitionis suipsius claritate illuminauit; atque hoc est, quòd clariùs probat,& explicat Isa.versu sequenti tertio;*multiplicasti gentem*. Tu ò Emmanuel, Rex Messias, celer spoliator, prædicatione tua multiplicasti prædã, multas gentes ex iudaismo,& gentilismo conuertendo ad fidem tuam,de quo paulò post: ita ex D. Hier.& SS. Patribus omnes expositores.

Secundus sensus est,qui offertur à sapiente P. Hier. Prado, Ezech.pag.275.relato à P. Cornelio,secundum alterum significatum verborum,*alleuiari*,& *aggrauari*, pro vilipendi,& honorari; *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon*;vilipensa pro nihili habita;tũ quia regio illa 3.reg.

11. fuit vocata כבול *chabul*, à כבל *chabal* vox Cald., figni ficans cōpedē, siue clausū, ita terra clausa à fructu, sterilis, arenosa, in qua ob lutum, & arenam pedes detinentur, ita R. D. de pomis; ideò vilipendiosè talis vocata fuit à Rege Tyri, & semper habita pro ignobiliori regione terræ Israel. Siue quia, & verius, cùm esset confinis gētibus Idololatris, & cum illis commixtæ gens Israeliticæ; ista deficiens à lege Dei, ad infidelitatem deflectens prima cœpit Idola colere; ideòq; apud iudæos fuit illa regio in opprobrium, & contemptibilis semper; Vnde illud Io. 7. 52. *Numquid & tu Galilæus es?* 41. *Numquid à Galilæa venit Christus?* tamquam à loco ignobili, & vili; Et Nathanael p. Io. 46. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* hoc est à loco tam ignobili, & barbaro. Et sic tota illa regio Galileæ vocatur ab Isaia alleuiata, vilipēsa, contempta, & despecta. At verò nouissimis temporibus, tota illa regio aggrauata fuit, honorata, & illustrata fuit præsentia, habitatione, doctrina, & miraculis Christi Iesu. Ibi enim per ipsum facta est prima legis nouę prædicatio. Hæc fuit prima regio, quæ verbi Domini illustratione irradiata fuit; vt Euangelistę omnes tradūt Matt. 4. Luc. 4. Marc. 1. Ioan. 1. Hoc vult ostendere Isaias, dum subdit; *Populus qui ambulabat in tenebris*; ignobilitatis, idololatriæ, infidelitatis, & peccatorum; *vidit lucem magnam*; quia in Synagogis Galileæ Christo Iesu prædicante, lucem magnam veræ fidei, & doctrinæ euangelicæ viderūt & amplexati sunt, & veram nobilitatem, & honorem adepti.

Quæret aliquis, cur S. Matth. non retulerit verba Isaiæ vt iacebant; sed reliquerit illa quatuor nomina, ly; *primo tempore alleuiata*: & ly, *& nouissimo aggrauata est*; scribens tantùm; *Terra Zabulon, terra Nephthali, via maris, trans*

Iordanem Galilææ gentium; populus qui habitabat &c. Resp. P. Cornelius à Lapide; *clariùs Matthæum sensum proprium expressisse, amittendo ly, alleuiata, et aggrauata est; cùm hæc verba obscura sint;* sed certè verba Prophetæ prætermissa à Mattæo non video quomodo obscura visa Euangelistæ fuerint, cùm potius propheticum sensum iã expositum mirè contineant. Resp. alij, quod Matthæus more solito, sicut & cœteri Euangelistæ fecerunt, allegauit auctoritatem Scripturæ quantum ad sensum, non curando variare verba, vt est author Hieron. Sanctiss. in libro de optimo genere interpraetandi; sicut fecit cap. 1. & cap. 2. quæ responsio non placet Abul. cap. 4. Matth. q. 89. Nam hîc deficiunt verba, quæ sunt de essentia, & necessaria ad sensum faciendum, quæ non desunt cap. 1. citans Isaiam 7. *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabũt nomen eius Emmanuel;* & cap. 15. citans Oseam 11. 2. *Ex Ægypto vocaui filium meum;* & v. 17. citans Ierem. cap. 31. 15. *Vox in Rama audita est; ploratus, & ululatus multus;* quibus in locis est aliqua variatio in verbis textus, & fonte hebraico; at nulla verba desunt, quæ sint necessaria ad orationem, & sensum litterę prophetię faciendum; sicuti desunt hoc loco illa verba; *Primo tempore alleuiata est, & nouissimò aggrauata est;* cum cœtera verba, quæ remanent, & citat Matth. *Terra Zabulon, terra Nephthalim, uia maris, trans Iordanem, Galilæa gentium;* nullũ pęnitus sensum in se contineant; Resp. ipse Abul. *De industria Matthæus decurtauit auctoritatem Isaiæ, quia non induxit illam quantum ad totũ, quod intendebat Isaias; qui duo intendebat significare in hac prophetia; primum, quod viri Galilæi fuerint primi, quibus lux euangelica apparitura erat. Secundum erat, quòd ipsi postea obstinerentur, & obcæcarentur; nõ agentes*

pæ-

pœnitentiam ad prædicationem Christi. Primum innuitur, cùm dicitur; primò tempore alleuiata est terra &c. idest per lucem doctrinæ Christi alleuiata est à tenebris ignorantiæ. Secundum est, cùm dicitur; Nouissimò aggrauata est, fuit aggrauata per peccata sua, quia redierunt ad malum, non agentes pœnitentiam in Christi prædicatione. Matthæus autem intendebat hîc solùm significare, quod ista terra Galilææ fuerit primò illuminata doctrina Christi; de aggrauatione autem eius per obstinationem hîc nolebat dicere; sed infra cap. 6. vbi Christus improperauit ciuitatibus illis, in quibus prædicauit, & non egerunt pœnitentiam ad prædicationem eius, ideò non introduxit Matthæus hanc totam auctoritatem. Sed solùm illud; quod ipsa terra Galilææ, quæ erat populus habitans in tenebris, uidit lucem magnã. Hæc ille omnium scientissimus. Ego puto sentiendum. Matthæum magno mysterio, & prudentia, nõ incuria, & consuetudine, illa quatuor verba, *primo tempore, & nouissimo, alleuiata, et aggrauata est*, nõ citasse, & scripsisse; vt nempè ostenderet falsam esse expositionem RR. etiã sui temporis, tunc in Christo credentium. Qui ly, *tẽpore primo alleuiata est*, sic exponebant; & ita lego apud S. Hieron. Hebræi credentes in Christum hunc locum ita edisserunt. *Primo tempore hæ duæ tribus Zabulon, et Nephthali ab Assyrijs captæ fuerunt, & ductæ in hostilem terram, & Galilæa deserta est, quam nunc dicit alleuiatam esse, eo quod peccata populi sustineret; & ly; & nouissimò aggrauata. Postea autem non solùm duæ tribus, sed & reliquæ, quæ habitabant trans Iordanem, & in Samaria ductæ sunt in captiuitatem; deinde explicabant uersum sequentem, populus qui ambulabat &c. hoc modo;* Et hoc, *inquiunt, Scriptura nunc dicit; quòd regio, cuius populus primus ductus est in captiuitatem, & Assyrijs seruire cœpit, &*

quæ

qua prius in tenebris uersabatur erroris, ipsa primùm lucem uiderit Christi prædicantis, quem vide. Vt ergò hanc falsam hebræorum expositionem de duabus captiuitatibus decem tribuum fundatam in illis quattuor verbis; *primo tempore alleuiata est, & nouissimo aggrauata est*; pænitus euelleret, & extingueret, cõsultò prædicta verba silentio pertransijt S. Matthæus. Et etiam, vt sciremus sensum illorum genuinum esse, quem suprà explicauimus, & quẽ includit, & explicat versus sequens; *populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam*; qui est sensus illius; *primo tempore alleuiata est terra Zabulon &c.*, & altera medietas versus; *habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*; est declaratio medietatis versus superioris; *Et nouissimò aggrauata est uia maris, trans Iordanem Galilæa gentiũ*; & sic verbum, quod desideratur apud Matthæum in primo versu, reperitur in secundo versu, qui est illius declaratio, & significatio litteralis.

VERSVS SECVNDVS.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.

Obseruationes litterales.

P*Opulus*, עם *ngam*, nomen collectiuum plurium, habens in singulari significationem pluralem, & cõstruitur hoc loco cum participio, & verbo plurali ההלכים *habolechim*; *ambulantes*, ראו *rau*, *Viderunt*; itaut legendum sit; *Populi ambulantes in tenebris uiderunt lucem magnam*; & cum hac syntaxi auget multitudinem.

Ambulabat in tenebris; frequens hebraismus ambulare, sedere,

dere, commorari in tenebris, esse angustijs, miserijs, & calamitatibus coopertum, & oppressum, esse obscurum, ignobilem, pauperem, & infimæ sortis, prouer. 22. *Non stabit coram* חשכים *chascuchim, ignobilibus.*

Vidit lucem magnam, אור *or, lux,* per methaphoram omnis generis bona, salus, liberatio ex calamitatibus, tamquam ex tenebris, Isa. 60. 1. *Surge &c. quia venit lumen tuum,* lux tua, אורך *orech,* Cald. זמן פורקנך *zeman purchanech; tempus redemptionis tuæ;* Rex Messias, omnes RR. vocat Propheta hic hanc lucem גדולה *ghedolah, magnam,* hoc est grandem, admirabilem, excellentissimam, non ordinariam, non temporalem salutem, & liberationem à calamitatibus terrenis, à morte corporali; sed à morte æterna animę, à damnatione æterna; hoc certè denotat adiectiuum, *magnam;* quod solùm hoc loco in tota Scriptura reperitur coniunctum cum substantiuo, *lucem,* non sine mysterio, immò maximo. In lib. Esther, quando rescissum fuit, & deletum illud iniquissimum decretũ regis Assueri, quod tota gens Iudæorum deberet deleri, interfici, & annihilari, à puero vsque ad senem, vno die, & hoc consilio, & opera impijssimi Aman; quando posteà omnes Iudæi, mediante Regina Esther, liberati fuerunt ab imminenti morte, & viderunt Aman insidiatorem, & hostem Iudæorum suspensum in patibulo, quòd parauerat ipse Mardochæo, mortuum; posteaquam Iudæi interfecerunt decem filios Aman, & de hostibus, & persequutoribus suis impleuerint numerum septuaginta quinque millia ab illis occisis; Tandem hãc liberationem à morte temporali totius gentis Iudaicæ, & omnium inimicorum suorum interfectionem vocat Spiritus sanctus, *lucem factam Iudeis,* Cap. 8. 17. *Iudeis autem* היתה אורה *haietah Olim* [illegible] *orah;*

orah; facta est lux; hoc est ſalus, redemptio, & liberatio à morte corporali; Ideò antiqui RR. in libro Ialchuth Iſa. ſigno רפג docent Prophetam loqui de tempore Mardochæi, שאין לך שעת אפלה יותר *sceen lechah ſciangath aphelah iother*; Quia nō habes tempus magis caliginoſum, illo quo fuit Iſrael quando in Suſan ciuitate decretum fuit contra eos; להשמיד *lehaſcmid*; vt extirparetur tota gens iudæa; ideò ſcriptum eſt de illo die; *Iudæis facta eſt lux*; Verùm hæc expoſitio non eſt ad litteram, ſed accommodata, vt patet. Dum ergò Iſai. prophetìcè loquendo prædicit, quòd populi maximis calamitatibus oppreſſi ſub iniquiſſimo tyranno, videbunt lucē; hoc eſt liberabuntur ab illis miſerijs; ſed magnam, ſed admirandam; certè hęc lux, hęc ſalus debet eſſe pluſquam temporalis, multò maior, quā prædicta, quam fecit Regina Eſther, ſaluans totum populum ſuum à morte temporali, multò excellentior illa, quàm fecit Moyſes, liberans totum populum Iſrael à ſeruitute Pharaonis; certè hæc ſalus magna ſuprà omnes, non poteſt eſſe niſi illa, quā facere debebat Rex Meſſias ſuo aduentu in mundum, ſaluans, & liberans à morte ſpirituali peccatorū, nō ſolùm Iſraelitas, ſed omnes gentes. Audiant Iudæi hanc veritatem ex ore Dei, qui Iſa. 42. 6. loquens regi Meſſiæ, quem vocat ſeruum ſuum הן עבדי *hen ngaudi*; *Ecce ſeruus meus*; Ionat. משיחא *Meſſias*; R. D. & omnes. Iſte eſt Rex Meſſias; illi dicit; *Et dabò te in fœdus populi* לאור גוים *leor ghoim*; *in lucem gentium*, Cald. *populorum*; ideſt, tu ſeruus meus Rex Meſſias eris illa lux, illa ſalus, ille Saluator, qui nō ſolùm populum Iſrael ſaluabis, ſed omnes populos, omnes gentes in omnibus terræ finibus. Ita Deus replicat cap. 49. 6. *Dedi te* לאור גוים *leor ghoim*; *in lucem gentium*; declarat, quæ ſit iſta lux; *Vt ſis ſalus mea*; ישועתי *ieſciunghathi*; *vſque ad extremū*

terræ;

terra; Ista sola est salus magna, lux magna, fienda per regem Messiam, omnium gentinm; de qua loquitur hic Isa. *populi ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam*; Sed hæc est spiritualis animarũ, quàm faciet rex Messias prædicatione suæ legis Euangelicæ, qua à mente omniũ effugabit, & delebit tenebras ignorantiæ veri Dei; ita apertè cõfitetur fidei nostrę acerrimus hostis R.D. citato cap. Isaiæ 42.6. dicens: *Eris etiam in lucem gentium* (idest tu Israel, ipse exponit) *secundùm illud quod dictum*; והלכו גוים לאורך *Et ambulabunt gentes in lumine tuo*; Isa. 60. 3. והאור הוא *vehaor hai*; *& lux ista*; התורה שתצא להם מציון *hathorab scethez e labem meziion*; *est lex, quæ egredietur illis ex Syon*; optimè; sed quomodò exponit ipse illud cap. 60 Isa. v. 1. כי בא אורך *chi va orech: Quoniã venit lux tua*; audi; הגיע זמן ישועתך שהוא לך אורה גדולה *beghiangh zeman iesciunghatbech, scehù lecha orab ghedolab*; *Approximat tempus salutis tuæ, quod est tibi lux magna.* Hæc ille. Sed hæc salus fienda est à rege Messia, vt notum est; ergò rex Messias erit ista magna lux; ergò dum subiungit Isai. eodem cap. 60. v. 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo*; sensus erit. Ambulabũt gentes in salute illa magna tua, quàm faciet rex Messias liberando te ab hac captiuitate; Tu verò cap. 42.6. iam citato, exponis illud; *Eris in lucem gentium*; idest; *Tu populus Israel eris &c.* hoc nẽpè sensu, quo Isa. posteà cap. 60. v. 3. dixit; *Et ambulabunt gentes in lumine tuo*; & quod lumen istud, lux ista, est illa lex, quę exibit illis ex Syon, *illis*, hoc est gentibus; sed huius legis, per quam gentes saluabuntur, est author, & legislator Rex Mesias; ita Isa. 42.4. *Et legem eius Insulæ*, hoc est gentiles; *Expectabunt RR. Et legem eius*; תורה להם *quàm Rex Messias docebit eos expectabunt*; sicut dictũ cap. 2.3. *Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad*

montem Domini, & ad domum Dei Iacob, [Hebrew] *veiorenu; Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius;* RR. omnes subdunt; המורה הוא מלך המשיח *vehamoreh hu melech hamasciach: Et legislator iste Rex Messias.* Ergo colligitur, quod ista magna salus Israelitarum, & gentium omnium erat ipsemet Rex Messias, qui magna luce suæ legis nouæ illuminare debebat tenebras densissimas ignorantiæ veri Dei, in quibus populi, & gentes obcæcatæ ambulabant, & consequenter ista magna salus non poterat esse temporalis, & corporalis, sed spiritualis, & animarum, operanda per medium spirituale, & diuinum, nempè per lucem magnam prædicationis legis Regis Messiæ. Quis ergò erit litteralis, & germanus sensus verborum Isaiæ; *Populus qui ambulabant in tenebris, viderunt lucem magnam;* hoc est, legem regis Messiæ, per quam omnes salui facti sunt; Cùm verè hæc sola salus omnium gentium per Regem Messiam, magna debeat dici; quod obseruant RR. omnes; qui neque salutem, quam fecit Moyses tot prodigijs, & miraculis; neque salutem totius populi Iudæorum, quam fecit Esther, sed solam illam, quam faciet Rex Messias, dicunt ipsi, quæ erit omnium hebræorum, & omnium gentium, vocant hoc epitheto; תשועה גדולה *iesciungah bagghedolah;* salus magna, lux magna. Confirmatur [illegible]

Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis; hæc quidietas versus explicat, & auget prædictum sensum. Transeat, quod ambulare in tenebris denotet aliquem reperiri in calamitate, & miseria; certè modus loquendi significabit etiam paruitatem temporis; per modū transeuntis, quod citò liberabitur ab illo infortunio; qui enim ambulat, sed nō moratur, aut quiescit in aliquo periculo; dicitur, quod facilè, & citò ab eo exiet. Modò Isa. dicit

po-

populos, qui postcà viderunt lucem magnam, non solùm ambulare in tenebris, sed commorari, sedere, habitare, permanere, ישבי *ioſceue*; denotat longum tempus; *diù habitantes in terra umbræ mortis*; pſ. 1. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*; לא ישב *lo iaſciau*; non habitauit, perdurauit, perseuerauit; subdit Iſa. *In regione umbræ mortis*; בארץ צאלמות *beerez zalmaueth*; compositum ex צל *zal*, *umbra*; & מות *maueth*, *mors*; sumitur pro tenebris densissimis; & maxima obſcuritate; tenebræ concutientes timorem mortis, periculum mortis, quæ est umbra mortis, ita describit Iob sepulchrum, mortis, & mortuorum domicilium, 10. 21. *Antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine*; Quare Iſaias describit hos populos non solùm ambulantes in tenebris per aliquod breue tempus in calamitatibus, & miserijs constitutos, & hoc est; *populi ambulantes in tenebris*; sed per multum tempus, & diù cõmorantes in terra omnium miseriarum plena; hoc est, *habitantibus in regione umbræ mortis*; Certè hac phrasi non potest describi nisi tristissimus status, siue tempus captiuitatis, quod est mortis, & damnationis; Hoc mihi demonstrant duo Scripturæ loca, & RR. ibid., primo pſal. 23. *Et si ambulauero in medio umbræ mortis*; R. S. R. D. *in terra tenebrarum, & ista est desertum*, זיף *ziph*, de quo 1. reg. 23. 14. *Dauid erat in deserto ziph in silua*; R. Leui; *desertum per quod nõ transibant homines, ubi erat densissima, & obscurissima silua, in qua se reduxerat Dauid, & absconderat*. R. Abr. *hoc dicitur secundum significatum illorum verborum, quæ dixit Iſaias cap. 8.* על דרך מעוף צוקה *ngal derech mengnuph zucāh*; iuxtà illud; *Obscuratus angustia*; siue; *Obscuritas, angustia, pressura*; quibus verbis omnibus concedentibus, describit Propheta statum miserrimæ captiuitatis,

quæ-

quæcumq; illa sit, vide ibi, quæso, fol. 248. Et sic nomine vmbræ mortis, captiuitas ipsa designatur; ita clarè Cald. paraphrastes exponit; אזיל בגלותא *ezil bagalutha; Si quando ducar in captiuitatem, in planitie, siue terra, siue habitatione vmbræ mortis, non timebo &c.* Secundus locus est Ierem. 13. 16. vbi proponit Iudæis captiuitatem Babylonicam, vt timore perculsi, pęniteat illos scelerum pœnitentiam agant, & dent gloriam Deo; ijsdem pęnitus verbis, & tropis; *Date Domino Deo vestro gloriã antequã contenebrescat.* R. D. עליכם *ngalechem; super vos sol;* מרוב הצרות *merou bazeroth; præ multitudine tribulationũ;* idest, anteq̃ Deus inducat sup vos calamitates; *Expectabitis lucẽ;* R. D. עליד מצרים *ngbal iad mizraim: auxiliũ ab Ægypto; Et ponet eã in vmbrã mortis, ponet in caliginẽ;* R. S. הדי חשך בלכתם בגולה *hare choscech, belachthem bagolah; Quia tenebræ caligo, vmbra mortis in ambulando uos in captiuitatem, in carcerem Babylonicam;* euidentissimè ergò Isaias prædictis verbis; *populi, qui habitabant ib tenebris uiderunt lucem magnam, habitantibus in terra umbræ mortis lux orta est eis;* describit statum horum populorum miserrimè captiuorum. At verò Isaiam nõ agere hoc loco de captiuitate aliqua temporali horum populorum certum est; hæc enim vel esset decem tribuũ, quod non conuenit textui, nec admittunt RR. Vel esset captiuitas Babylonica, quod ipsi negant; ergò restat, quòd Isa. intelligat per populos ambulantes in tenebris, & commorantes in terra vmbræ mortis, populos captiuos captiuitate diabolica, quæ est peccati; peccatum .n. non solùm est vmbra mortis; sed ipsa mors animæ, & corporis, & æternæ in gehenna; peccatum est omnium miseriarum fons, & causa; peccatum obcæcat mentem, inducit Dei obliuionem, cruciat, & angit conscientiam; & mise-

rum

rum hominem seruum, & mancipium diaboli constituit. Quæ veritas, vt certissimæ fidei, ab antiquissimis hebræorũ theologis tradita fuit. Nam Berescit Rabba parasciah 89. fol. 56. colum. 2. *Seder Vaihij michez*; sic docent. Scriptum est Iob. 28. 3. קץ שם לחשך *chez sam lachoscech*; vulg. *tempus posuit tenebris*; Sept. *Ordinem posuit*; Hebr. Cald. Pagn. *finem posuit tenebris*; ומאי מעמיה *Vmai tangameh*: Et quid significat illud; *finem posuit tenebris*? Est responsio; שכל זמן שיצר הרע בעולם אפל וצלמות בעולם דכתיב אבן אפל וצלמות *scechol zeman sceiezer barangh bangolam ophel uezalmaueth bangolam, dictiu euen ophel uezalmaueth*. *Quoniam omni tempore, quo figmentum malum, in mundo; Caligo, & umbra mortis in mundo*, supple, *erit*. *Quod scriptum est; lapidem caliginis, & umbram mortis*. Iob ibidem; subdunt RR. נעקר יצר הרע מן העולם אין אפל וצלמות בעולם *nengbechar iezer barangh min bangolam; en ophel, uezalmaueth bangolam*. *Eradicatum figmentum malum de mundo, non caligo, & umbra mortis in mundo*; supple amplius, *erit*. Modo quæro ab hebræis, cuius est, cuius potentiæ, & virtutis est pœnitùs extirpare, & funditùs euertere de mundo, de corde hominis hoc figmentum malum, nisi solius Dei, & regis Messiæ? vti diffusè satis suprà ostendimus; Ergò istę tenebræ, & vmbræ mortis, in quibus ambulabant, habitabant, & immersi erant isti populi Galilæi, & omnes nationes, & gentes mundi, non erãt temporales captiuitates, calamitates, & exilia; sed erant figmentum malum, Satan, angelus mortis, à quibus omnia peccata. Ergò ista magna lux erit Rex Messias. Isti populi galilæi, & omnes gentes idololatrę verum Deum ignorantes, & multo tempore in vmbra mortis peccatorum cõmorãtes; Et primo tempore, terra, idest, metonymicè, habitatores Zabulon, & Nephthali,

Ga-

Ezechias Rex, & omnes habitantes Ierusalem furunt confirmati à Deo, quod Senacherib non ingrederetur Ierusalem, nec immitteret in eam sagittam, nec obsideret; immò statim post blasphemias contra Deũ;audiens, quòd Theracha rex Æthyopiæ,egressus erat, vt pugnaret contrà illum, discessit à Iudæa cum magna parte sui exercitus,& abijt in Æthyopiã,4.reg.19. duobus annis, quibus pars exercitus Senacherib remãsit in terra, Deus miraculosè prouidit annonam regi Ezechiæ, & habitantibus Ierusalem, & reuersus Senacherib ab Æthyopia, castrametatus propè Ierusalem quinquè milliaribus,illa eadem nocte,venit angelus Domini,& percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et si ita est, quomodò RR. audent exponere prædictã Scripturam;*Populi,qui &c.* de habitatoribus Ierusalem tempore, quo fuit Senacherib in terra Iuda? cùm Isaias hac phrasi; *ambulare in tenebris*, *habitare in regione umbræ mortis*; describat populos in extrema calamitate constitutos,in euidentissimo vitę discrimine commorari,& diù permanere,qualis non fuit tunc status Iuda,& Ierusalẽ? Ille timor,quo obtenebrati fuerunt Ezechias,& habitatores Ierusalem ad aduentum Senacherib in terra Iuda, & status illorũ in eo per paucos dies,vt constat, vocatur à rege Ezechia,Isa.37.3.יום צרה ותוכחה *iom zarah uethochechah;dies tribulationis, & correptionis*, textus citatus à RR. non vocat eum diem tenebrarũ,caliginis,& vmbræ mortis,quibus verbis describitur maxima miseria,extrema calamitas,carcer, captiuitas; sed diem tribulationis, & correptionis optimum diem, quo, mediante tribulatione,& timore illo,corripiuntur,& emendantur peccatores. Asserere, quod strages exercitus illius per angelum fuit lux magna, quàm ipsi viderunt, ex dictis ex-

Oliuetani. Mmm cluditur

ditur; Isaias siquidem per hanc lucem magnam intelligit Regem Mesßiam Iesum Nazarenum, qui primò populos Galilæos luce suæ prædicationis liberauit à tenebris ignorantiæ veri Dei, ab vmbra mortis omnium peccatorum, vti dixit Zacharias de filio Ioanne Baptista; *Illuminare ijs, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.*

VERSVS TERTIVS.

Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando diuidunt spolia.

Obseruationes litterales.

M*Vltiplicasti*; הרבית *hirbbitha, hiph.* omnibus modis, numero, diuitijs, honore, gratijs, beneficijs, psalm. 4. *A fructu &c.* מעת *mengheth, à tempore frumenti, & vini eorum multiplicati sunt.*

Non magnificasti, hiph. in fonte est, לא *lo*, cum *aleph*, *non*; Cald. & RR. legunt לו *lo*, cum *vau*, *illi*; Vtraque lectio est retinenda, cùm accommodetur sensui; & affirmatiua magis conueniat; *Magnificasti lætitiam*; cùm subdatur; *lætati sunt*; pro, *lætabuntur coram te; sicut qui lætantur in Messe*; heb. כשמחת *chesimchath*; *sicut lætitia in Messe*; *sicut exultant*; heb. *exultabunt*; pro præsenti; *Victores capta præda*; explicationis gratia; nam in fonte est tãtùm בחלקם *bechalcham*, שלל *scialal*; *in diuidendo ipsi spolium*.

RR. exponũt de rege Ezechia, & populo Ierosolymitano, quod Deus in illo signo stragis exercitus regis Assur, illos magnificauit, hoc est magnos, gloriosos, & famosos reddidit apud exteras nationes, quæ audierũt illa signa,

&

& miracula; & legunt; *Ei magnificasti lætitiam*; idest populo Iudæ prædicto; *Non magnificasti lætitiam*; inimicis eius; Siue negatiuè; *Non magnificasti lætitiam*; quia illa lætitia regis Ezechiæ non fuit perfecta; nam dictum est ei Isa. 39. 6. *Ecce dies venient, & auferetur totum, quod est in domo tua*. Quæ sequuntur; *lætabuntur &c.* sic explicat R.S. & alij; *sicut fuit in Egypto in diebus Moysis, etiã hîc Iudæi diuiserunt spolia Ethyopiæ, et Egypti, & desiderium omnium gentium; quia quando reuersus fuit Senacherib de Tharacha rege Ethyopiæ, venit Ierusalem cum omnibus thesauris Ethyopiæ, & Egypti, secundùm quod dictum est Isa. 45. 14. Ita dicit Dominus; Labor Egypti, et negotiatio Ethyopiæ, & Sabaim, viri sublimes, ad te trãsibũt, & tui erũt. Et omnia deprædati sunt Ezechias, et populus eius.* Hæc ille. Sed omnia sine fundamento; cùm sacra Scriptura nullam omninò mentionem faciat illorum spoliorũ & thesaurorum. Et quem adducunt textum ex Isaia, citent contra se, cùm ibi apertè loquatur de Cyro, qui potitus est omnia illa regna. Deinde, cùm factum Senacherib euenerit anno decimooctauo regni Ezechiæ, relatũ ab Isa. c. 37. sui vaticinij; & hæc prophetia de Cyro referatur cap. 45. euidens est fuisse aliquo tẽpore posteriorem, & sic illa auctoritas non suffragatur somnio RR.

Quare erit germana, & litteralis expositio correspõdens ad prædicta; quod Isaias ad Regem Messiam Iesum Nazarenum totum se conuertat, dicens; *Multiplicasti gentem*; audiamus D. Hiero. *Ad lucem ipsam, quæ apparuerat populo in tenebris constituto, idest ad Dominum Saluatorem fit apostraphe, & dicitur ad eum. Multiplicasti gentẽ*; idest; *repleuisti omnes gentes notitia tui; sed non magnificasti lætitiam. Iuxta quod Apostolus, mærorem sibi dicit esse perpetuum pro fratribus suis, qui sunt Israelitæ, nam con uersio*

gentium fuit interitus Iudæorum. Nam ipsi credere, & lucem acceptare renuerunt. Quasi dicat. Tu ò Emmanuel, per te, & per tuos Apostolos multiplicabis gentem fidelem, & credentem, sed nõ magnificabis lætitiam tibi, & illis; vel quia multò maiorem partem Iudęorũ, & gentilium videbis manere incredulam; vel quia quãuis multiplicetur gens credendo, nõ magnificatur lætitia in perseuerando, & bonis operibus eandem demonstrando. Hinc Christus dolens dicebat. *Væ tibi Corozain*. Et secũdùm lectionem affirmatiuam, *Ei; multiplicasti lætitiã*; sequitur enim; *lætabuntur &c.* Erit sensus; *Cùm ergò Christus aduenerit, & Christianorum gens de vniuersis regnis fuerit congregata, tunc lætabuntur Apostoli sicut Messores; Matt. 9. Messis quidem multa, & sicut exultant victores capta præda; Cùm fortis armatus, Matt. 12* Hæc D. Hieron. Ecce, Christum, & Apostolos esse veloces prædatores animarum.

VERSVS QVARTVS.

Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.

Obseruationes litterales.

I*Vgum enim* כִּי *chi; Quoniam*; reddit causam prioris lætitiæ; *Iugum* עֹל *ngol*, da עָלָה *ngalah*, quia ascendit super ceruicem iumentorum; figuratè dominium, sed cùm seruitute, & onere; & ideò addit סֻבֳּלוֹ *subbolo; oneris eius; sanal*, humero gestare, onus.

Et virgam humeri eius; מַטֵּה *matteh*; da נָטָה *natah, inclinare*; hinc baculus, virga, quæ facilè flectere facit; Dominium,

po-

potestas,potentia; sed dum subdit, *humeri eius*; denotat dominium iniquum aggrauans, angustians, ita Caldæ. שלטן עקתה *sciultanngacbetheh, potestatem angustiæ, afflictionis eius*; quæ inclinare,& incuruare facit humerum.

Sceptrum exactoris eius, שבט *sceuet*, virga, qua quis percutitur; dominium, potestas metonymicè, sed violenta, tyrãnica, הנגש *banoghes*, exactoris, qui cogit, affligit, impellit ad soluendum tributum; quibus verbis, quod est notandum, apertè describit propheta, Regem tyrãnum,& dominium eius in subditos iniquissimum, qui oneret, qui percutiat, qui incuruare faciat, qui angustiet, affligat, opprimat,& expirare faciat sub onere illos, quod facit omni colore rethorico, omnibus sacris verbis, quibus iniustissimum, & tyrannicum dominium describi possit; Et per illam regulam, vbi nomen substantiuum, vel adiectiuum, siue sit idem, siue diuersum, sed eiusdem significati, si bis, aut ter repetatur; significatur superlatiua loquutio in summo gradu, vt prou. 20. 14. רע רע *rang rang; malum malum dicit emptor*; hoc est, *pessimum*; Ezech. 21.37. עוה *nghauah, peruersitatem peruersitatem peruersitatem*; hoc est, *peruersissimè*, Isai. 6.3. קדוש *chadosc chadosc chadosc; Sanctus sanctus sanctus*; idest omnium Sanctorum sanctissimus. Ita hoc loco; *Iugum oneris eius, virgã humeri eius, sceptrum exactoris eius*, significabit, tyrãnicum dominium, pessimum, peruersissimum,& omnium tyrannicorum dominiorum, iniquissimum. Quis hoc negabit? Nota præterea illud relatiuum, *eius*, ter repetitum, ad populos Zabulon,& Nephthali, & Galileæ gentium populi, referri; nam iugum erat oneri illi populo, & virga percutiebatur humerus illius; *Et sceptrum exactoris eius*, hebr. בו *bo, in eo*, .i. populo. Porrò tyrannus vocatur exactor crudelissimus, quia illos populos angebat,& ini-

quissima,

quissima, atque grauissima tributa exigebat ab eis.
Superasti חתות *hachitbothi, fregisti*, propriè, alludens ad iugum, virgam, & sceptrum, quæ fiunt ex ligno, 1. reg. 2. 4. *Arcus fortium superatus est*; חתים *chatim fracti, prostrati*. *Sicut in die Madian*, miraculosè, statim, facillimè, eo modo, quo Gedeon fractis lagenis Madianitas vicit, Iud. 7. 10. RR. sic exponunt; *Iugum, quod fuit onus Ezechiæ, & quod fuit baculus humero illius graui ponderis, quia fecit soluere tributũ arduum, & fuit in tribu Iuda exactor; confregisti, & contriuisti simul in nocte vna*. Hæc illi. Et sic hoc graue iugum, virgam, & sceptrum erit arduum tributum, impositum Ezechiæ, & populo Iuda à tyranno Senacherib rege Assur. Ex quibus clarè videbis, lector, quàm sit violenta, & distet à veritate hoc RR. commentum, quod, vt melius pateat; aduertendum est summopere, quod sæpè tetigi. Nostrum Isaiam in his tribus capitibus numquã loquutum fuisse de decem tribubus Israel, respectu aduentus regis Assyriorum; nisi occasione impositionis nominis filio prophetissæ; *Voca nomen eius, Accelera spolia*: *Quia antequam sciat &c. auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum*, cap. 8. 4. sed semper de tribu, & terra Iuda, cap. 7. 17. *Adducet Dominus super te, & super populum tuum &c.* dixit Propheta regi Achaz, cap. 8. 6. *pro eo, quod abiecit populus iste. Aquas Siloach. Adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum*, & v. 21. & 22. *Et transibit per eam*: pariter loquitur de terra Iuda, & eius præsenti miserrima captiuitate, sicut ibi ostendimus. Vnde violenter, & contrà sensum Prophetæ RR. vnierũt primum versum capitis noni, tamquam vltimum capitis octaui, vt illorum falsam expositionem de terra Israel (*Et transibit per eam*; Rex Assur omnes decem tribus captiuando)
aliquo

aliquo color firmarent, vt suo loco vidimus. Cùm ergò Propheta in illis verbis; *primo tempore alleuiata est terra Zabulon*; relicta tribu Iuda, de qua anteà dixerat; *Et transibit per eam*, & reliqua; agat de tribubus Israel, Zabulon, & Nephthali; & immediatè subdat de istis populis *Populi, qui ambulabant in tenebris viderunt lucem magnam*; repugnat, ridiculum est, hos populos esse tribum Iudam, quæ vidit stragem exercitus Senacherib; & aliud maius signum, & mysteriũ includitur, in illa luce magna. Et hoc est præcipuum fundamentũ huius veritatis, quæ magis ex dicendis constabit. Porrò hæc magna lux cùm sit noster Emmanuel Rex Messias, illius victoriam de inimicis infernalibus cõparat Isa. cum victoria, quã obtinuit Gedeon, Iud. 7. de Madianitis, mediãte luce, quę apparuit & emicauit fractis fictilibus lagenis, sine vllo armorũ, & militari strepitu. Noster enim Emmanuel verus homo, & Deus, cùm lucem diuinitatis absconderet in carne mortali, vbi ista per passionem confracta fuit, diuinitas emicuit in resurrectione; & fractæ sunt vires Madian, idest dæmonis, tunc fregit iugum diaboli, idest peccatũ, quo grauissimo seruitutis iugo omnium colla premebat, & virgam humeri eius, qua vniuersos morte æterna percutiebat; *Et sceptrum exactoris*, quo peccata sibi quasi quoddam tributum reddere compellebat, contriuit, detraxit, de collo, & humeris illorum, sicut in die Madian. Vide P. Cornelium à Lapide mirè describentem hanc comparationem Victoriæ Emmanuelis, cum Victoria Gedeonis, cedendo Madianitas.

✠

VER-

VERSVS QVINTVS.

Quoniam omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.

Obseruationes litterales.

QVoniam omnis violenta; סאון *seon*, nomen formæ, *prælium conflictatio; prædatio*, סאן *soen*, participium actiui, *prælians, præliator*, à radice סאן *saan, præliari*; & sic secundùm litteram hebraicam legendum est; *Quoniã omnis conflictatio, siue prælium præliantis cum tumultu*. Noster vulgatus punctis destitutus, primum nomen *seon* vertit participium pasſiuum, *violenta*, & secundum nomen *soen*, traduxit nomen formæ *prædatio*; sed sensus est iſdem; *Cum tumultu* ברעש *beranghasc*, in commotione, tremore, terræmotus propriè, qui fieri solet in bellis.

RR. sic exponunt, quoniam non erit hoc prælium, sicut reliqua prælia, in quibus prælians præliatur cum tumultu, & strepitu equorum; sicut dictum est Iob 39.24. *In strepitu, & terrore absorbet terram. Et vestimentum obuolutum sanguine*; nam percutiunt isti cũ illis in percusſione gladij, & vestimentum obuoluitur in sanguine; sed istud bellum, non erit in eo gladius, nec sanguis, nec strepitus; sed fiet combustione ignis; quia percusſit in eo exercitu angelus nocte, & combusti sunt, aliqui dicũt, quod anima combusta fuit, at non corpus; Alij quod etiam corpus combustum fuit, non autem vestimenta eorum, quæ fuerunt spolia. Hæc illi, sed nõ ad rem, vt statim videbimus.

Sensũs est. Vult reddere rationem Isai. cur dixerit de Emmanuele: *superasti sicut in die Madian*; quasi dicat, sicut

Ge-

Gedeonis conflictatio sine prelium facta fuit cũ maximo tumultu, tremore, & cõmotione castrorum Madian; nam vt legitur Iud. 7. confractis hydrijs, & tenentes milites lampades accensas manibus sinistris, & dextris tubas sonantes, dicit sacer textus; *omnia castra turbata sunt, & vociferantes, vlulantesquè fugerunt, immisitq; Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde trucidabant.* Ita Regis Messiæ Iesu Nazareni, cuius nomen, *Accelera spolium, festina prædam*; violenta deprædatio commotionem fecit in castris mundi, & dæmonis, omnesq; dæmones fugauit, prostrauit, & in tartara deiecit, luce, & sono tubæ euangelicæ per vniuersum orbem diffuso, vt experientia patet. Et sicut in prælijs, peracto conflicto, corpora, & vestes occisorum hostium sanguine cruentes comburuntur, & sunt cibus ignis; vti fecisse Gedeonem de Madianitis occisis creditur; Ita Emmanuel, dæmones quasi cruentatos sanguine tot animarum, quas peccato occiderunt, eo etiã proprio, prout à Christo, cæsos, æternis ignibus comburendos, deputauit, quæ magis ex sequentibus patebunt, esse vera.

VERSVS SEXTVS.

Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis; & factus est principatus super humerum eius.

Obseruationes litterales.

E*Nim* כי ילד *chi ieled; Quoniam*; omnes expositores, etiam hebræi, confitentur dictionem *chi*, esse rationalem, siue causalem, significantem causam omnium prædictorum bonorum, ortus magnæ lucis, deiectionis impijssimi tyranni, lætitiæ in magna messe, victoriæ omnium inimico-

rum,& partitionis spoliorum,esse paruulũ, & filium, qui natus est,qui datus est,לנו *lanu, nobis*; ad nostram vtilitatem,vt omnia ista bona obtineamus, causa, & merito illius. Ita Cald. Ionathæ ארי *are*;*Quoniam,propterea quòd*; R. D. grammaticorum princeps, sensus est ac si dicent; זה יהיה בזכבת הילד *zeh ibeieh bizchuth baieled*; *Hoc erit propter meritum paruuli,qui natus est nobis*. Solus R. S. ne à ratione cogeretur confiteri veritatem, exponit dictionem כי *chi*;*Quoniã*;aduersatiuè,non causaliter,hoc sensu, אף על פי *aphngal pi*;*Etiamsi:quamuis*; hoc sensu; *Quãuis Achaz impius sit, filius tamen eius,qui natus est illi, Vt sit nobis in regem,iustus est*. Sed nimis apertè eius perfidia conuincitur. Tùm quia non loquitur Propheta cũ rege Achaz,sed cum domo Dauid in futurum de filio nasciturо,& non de filio nato, vt infrà. Tùm quia in suo dicto fatetur,quod negat; Quid enim est dicere,*Quãuis Achaz impius sit*,nisi immeritus,indignissimus his omnibus beneficijs,vt illa à Deo exhibeantur?Ita ille sic explicat 4. reg. 19. in illud: *Zelus Domini exercituum faciet hoc*; .i. nõ *propter meritum vestrum*; *Quoniam multiplicauit* הרשע *barascingah*;*iniquitatem*;*Achaz pater tuus*;Et quid est dicere;*filius qui natus est illi,erit iustus*, nisi dignus, & meritus erit,vt Deus illi omnia ista bona conferat?nam vbi est iustitia, ibi est meritũ; ergò inuitus fatètur dictionem, *chi*,esse causatiuam. Tùm quia versu 4. *Quoniam iugũ oneris eius*,chi,versu 5.*Quia,chi,omnis violenta prædatio*, sunt causatiua, vt patet; cùm reddant rationem lætitiæ metentium,& militum;& cur illa victoria futura sit prodigiosa sicut in die Madian;& non erit eadem met dictio, *chi*,causalis,quæ immediatè versu sexto, & eodem ordine,sequitur; *Quoniam paruulus &c.* cùm reddat rationem,& causam, cur hæc omnia mirabilia fieri debeant à

Deo?

Deo? Tandem errat iste R. in grammatica. Nā ista docet dictionem כי *chi*; *Quoniam*; aduersatiuè exponendam, quādo in eodem textu præcedit causa aduersandi, Gen. 48. 14. *Iacob sinistram manum posuit super caput Manasse; qui maior natu erat*, heb. legit כי מנשה הבכור *chi Menasch habbechor*; *Quoniam Manasse primogenitus*; legendum est aduersatiuè; *Quamuis &c.* ps. 41. *Sana animam meam*; כי חטאתי לך *chi chathathi lach*; *Quia*; idest; *Etsi peccauerim tibi*; modò in textu nostro; *Quoniā paruulus &c.* nulla est ratio aduersandi, nisi quam sibi fingit ipse R. S. de patre Ezechiæ impio, pęnitus alienam à veritate, & sensu prophetiæ.

Paruulus, & filius ילד בן *ieled ben*; R. D. in sua glossa vult esse reduplicationem eiusdem rei duabus dictionibus; Verùm si propriè loquamur, est differentia inter *paruulum*, &, *filium*; *ieled*, & *ben*; & inter *paruulus natus est*, & *filius datus est*; Nam, *ieled*, ad natiuitatem refertur, quæ est propria matris parere filios; sicuti בן *ben*, *filius*, à בנה *banah*, *ædificare*, ad patrem refertur principaliter, qui est fundamentum, & principium generationis, & ædifitij filiorum; pari modo verbum, *natus*, ילד *iulad*, innuit matrem; sicut *datus*, denotat patrem; qui solus dominus filij, illum donare potest. Quare Propheta verbis prædictis explicare vult, hunc puerum habere matrem, & patrem, & esse hominem verum natum, & genitum ex matre; Et esse filium Dei, verum Deum, & habere Deum patrem; Nam si iste paruulus vocatur admirabilis, idest Deus; & dicitur filius; ergò Deus erit illius pater, & sic in diuinis erunt duæ personæ pater, & filius; non enim Deus filius potest esse filius alicuius increati, & de hoc alibi.

Natus est, datus est, ילד נתן *iullad ni thàn*, נתן *nitthan*, dare, præbere, exhibere, donare; hinc donum, munus, Deut. 16.

Quilibet iuxta domum manus suæ. Certè hic filius si donandus est nobis, à quo donandus est? certè à patre suo; An erit iste Achaz impius Idololatra? absit; Deus, qui est pater huius filij, donabit illum nobis ad nostram salutem operandam. *Natus*, יולד *iullad*, est præteritum passiuum pongal, pariter, נתן *nitthan*, *Datus*, præteritum passiuum niph. Verum, stat pro futuro, & futurum tamquam præteritum enunciat propter rei certitudinem. Hoc est frequens in prophetis. Vide Pagn. lib. 3. c. 12. Inst. Gram. Exemplum persimile habetur Iudic. 13. 8. dixit Mansoe Domino; *Veniat quæso vir Dei, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est*, heb. הויולד *haiullad*, idem verbum, & tempus præteritum, ac in nostra prophetia, & sic legitur, *qui natus est*, cùm certè nūdum erat conceptus, & mater esset sterilis; ideò exponendum est per tempus futurum; ita R. S. העתיד להולד *banghatid lehanualad*; *tempore futuro nascetur*; R. D. *quando erit natus*; pari modo 3. reg. 13. 2. Vir Dei prophetizans dixit; *Hinneh ben* הנה בן נולד לבית דוד יאשיהו שמו *nolad leued Dauid ioſciiahu ſcemo*; *Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomen eius*: verbum, *nolad*, est præteritum pasiuum, RR. exponunt; יהיה נולד *Iheieh nolad*; parietur, nascetur; & subdit R. Leui rationem; Nam prophetæ vident res futuras; כאלו הם הווים *cheillu hem hauuaim, ac si essent existentes*; sic se habet res, & sensus textus nostri, verba, *natus*, & *datus*, sunt præterita pasiua, sed debent exponi futura, *Nascetur*, & *dabitur*. Nam est prophetia facta domui Dauid respiciens tempus futurum; ita Cald. Ionathæ; אמר נביא לבית דוד *Amar neuiia leueth Dauid*; *Dixit propheta domui Dauid*. *Quoniam infans nascetur nobis*. Quare non fit promisio, & non est prophetia de Ezechia filio Achaz iam genito saltem ante, decem annis; sed domui

Da-

Dauid, familiæ, & posteritati regiæ promittitur fore ex ea oriundus iste admirabilis, & diuinus infans, & filius, vt infra magis constabit.

Et factus est principatus super humerum eius; ותהי *vathehi*; *& erit*; omnia in futuro sunt exponenda, etiã secundùm falsam RR. expositionem, de Ezechia; nam tempore huius prophetiæ anno quarto regis Achaz non erat Ezechias rex, vt possit dici de eo, *factus est principatus &c.* neq; fuit vocatus princeps pacis, nisi post stragem exercitus Assyriorum, quæ post hanc prophetiam 30. annis euenit; *Principatus* המשרה *hammisrah sarah*, vel *sarar*, principem agere, principatum obtinere; certè his verbis, iste infans, & filius ex domo Dauid futurus erit princeps, & rex terræ, & regni Iuda; ita R. D. dicitur, *super humerũ eius, ad significandum imperium*; verùm quod subdit, ꝙ Rex Achaz seruiuit regi Assyriorum; & fuit onus illius, hoc est tributum super humerum suũ; At verò paruulus idest rex Ezechias, non erit seruitus, & tributum super humerũ eius, sed imperium; falsum est, nam Rex Ezechias mortuo patre per aliquot annos soluit tributum, & seruiuit regi Assyriorũ, itaut vera non sit expositio RR. 4. reg. 18. 7. *Et rebellauit à rege Assur*; ideò dicatur, quia Achaz pater eius fuit seruus eius; At Ezechias in principio regni noluit soluere tributa, & rebellauit ab eo; hoc inquam, verum esse non potest. Tùm quia rex Ezechias accepit regnum Iuda valde attenuatum, & debilitatum ob maximas, & plurimas calamitates, quas, regnante Achaz, perpessus fuerat. Tùm quia in principio regni sui totus se occupauit in purgando, & ornando templo Dei, & eius culto restaurando. Tùm quia si anno sui regni primo rebellasset, cùm adhùc viueret Salmanasar, qui anno sexto eiusdem Ezechię venit cõtra Osee ben Elah,

certè

certè statim bellum intulisset contra eum. Tùm quia si statim anno primo rebellauit à rege Assur, hæc defectio durauit annis quatuordecim; nam *eo anno quartodecimo regis Ezechiæ ascendit Senacherib ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & cæpit eas*, 4. reg. 18. 13. quod nō est credibile vllo modo, tàm Salmanasar, quàm Senacherib, dissimulasse toto hoc tempore, & non vindicasse hanc iniuriam rebellionis; Non enim fortius erat regnū Iuda, regno Israel, quod tamen Salmanasar, simili de causa, aggressum cępit, & extinxit anno sexto regni Ezechiæ; Et iam victor de Israelitis, & capta Samaria, & decem tribus in Assyriā missis, potuisset idē facere terræ Iudæ, illam inuadendo, & illius habitatores in Assyriam deportando; dicendum ergò est contra RR. Ezechiam non defecisse à Salmanasar, sed per decem saltem annos illi seruitutem, & tributa impendisse; & sub Senacherib postea defecisse, ratione cuius defectionis venit contra eum, vt ipsemet rex Ezechias confitetur v. 14. *Peccaui* (R. D. quia defeci à te, & non seruiui tibi) *recede à me, omne quod imposueris mihi feram*. Cùm ergò Ezechias iugum tributorum, & seruitutis regis Assyriorum tulerit super humerum suum, non erit per R. D. hic infans, & filius, cuius humerus nunquā fuit iugo seruitutis, & tributi aliorum aggrauatus; sed semper liberum, & absolutum dominium, et imperium gestauerit. Quam veritatem videns R. S. se conuertit ad sensum mysticum, quē affert Cald. וקביל אוריתא עלוהי למטרה. *Vechabbil oraitha ngalothi, lemitrah*; Et *suscipiet legem super se, ad seruandam eam*; sic explicans, *Iste infans* Ezechias *erit seruus D. S. B. & iugum eius super humerum eius, quia studebit in lege, & custodiet præcepta, & inclinabit humerum oneri D. S. B.* Hæc ille. Sed Ezechiæ non conuenit hæc laus, qui peccator

cator fuit, et à collo suo iugum legis diuinæ aliquandò excussit, vt infrà. Soli Emmanueli regi Messiæ hoc est proprium; Imperium suum, virgam et sceptrum ferre super humerum suum, et non imponere subditis suis, sicut diabolus facit, qui onera imperij sui, nempè peccata, imponit humeris peccatorum; At verò rex Messias Iesus Christus accipiens super se peccata omnium; *Et peccatũ multorum ipse tulit*, Isa. 53. in ligno crucis, regnum, et principatum spirituale animarum obtinuit. Vnde illud propheticum originem habuit iuxtà Sep. seniores ps. 95. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno.*

CAPVT PRIMVM.

Quis fuerit iste infans, & filius, Rex, & Imperator, an Ezechias.

IN Thalmud. Codice Sanehedrin c. 11. fol. 121. col. 3. citatur ille versus 16. cap. 10. Isaiæ, *propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, legitur*, dixit D. S. B. Veniet Ezechias, qui habet octo nomina, ויפרע *uebiprangh*, et abstrahet, siue vlciscetur de Senacherib, qui habet octo nomina, Ezech. scriptum est, *Quoniam infans natus &c. Et vocabitur nomen eius, Admirabilis &c.* Quid Ezechia? חזקיה *chizchiah*; שחזקו יה *scechazecho iah*; *Quia fortificauit eum Deus; siue quia Ezechias fortificauit Israel ad patrem eorum qui in cœlis est. Senacherib scriptũ est de illo Thiglath; phileseri, Palmana, Salmanesser, phulsernin, Asnaphar, Rabba, Veiachbira.* Hæc ibi. Vbi R. S. explicans quomodò illa octo nomina dicantur esse nomina Ezechiæ, cùm sint omnia nomina diuina: reddit rationem שהחזיק ישראל העוסקין בתורה

scche-

Scebechazich Israel hangosechen bathorah: Quia roborauit Israel fortes reddidit occupantes se in lege. Vbi vides, quam leuiter,& sine rationabili fundamento impropriè & extrinsecè hæc nomina diuina tribuant Ezechiæ, quæ nunquam, & nullibi dicta fuerunt de illo.

R.D. hoc dicit de Ezechia, *Infans natus &c.* quia in diebus regni eius facta est salus ista Israeli, cũ cæsus fuerit exercitus Assur; & vult dicere. *Hoc erit* בזכות הילד *biszchuth haieled, propter meritum paruuli huius, qui natus est nobis;* optimè dicit; sed falsum est, hunc paruulum esse regem Ezechiam; Est enim primò contra Scripturam, quæ asserit Deum liberasse Ierusalem, à tyrannide Senacherib, & momentaneè illius numerosissimum exercitum per angelum extinxisse, non merito iustitiæ, & bonitatis Ezechiæ; sed, Isaiæ 37. *Protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me, & propter David seruum meum.* Non dicit propter te iustum seruum meum. Quinimmò 4. reg. 20. 6. restituendo Deus sanitatem Ezechię dixit; *Addam diebus tuis quindecim annis;* Hic R. D. de mente suorum doctorum, cognoscit peccatum, & demeritum in rege Ezechia; dicunt .n. hos quindecim annos fuisse ex illis, qui ex maiori numero annorum vitæ suæ (quibus vixisset si non peccasset) decurtati fuerunt propter punitionem peccati; ולענש עון היו מחסרין *Vlnghone sc nghauon haiiu mechasserin; Et ad vindictam peccati imminuti fuerunt;* Isa. 37. 20. Ezechias postulans liberare de manu Senacherib solum orat id fieri propter Deum ipsum solum; *Quoniam tu Dominus* לבדך *leuadecha, solus;* R.S. אין ישראל ראוין *en Israel reuim; non erant digni Israel;* nec populus, nec Rex, quod faceret illis נס *nes, miraculum,* 2. Paralip. 32. 20. Deus duas assignat causas illius liberationis; *propter me;* Cald. בדיל מימרי *bedil memri; propter verbum*

meum;

meum. Et propter Dauid seruum meum. Hoc loco Isa. 9. eandem causam primam assignat. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Cald. במימרי *bememre; In verbo, siue propter verbum Domini exercituum fiet istud.* Hic R.S. *Quia zelatus est nomen suum;* ולא מחמת זכות שבידיכם *velo mechamath zechuth sceebbeiadechem; Et non propter meritũ, quod fuerit in manibus vestris;* & addit R.S. למדנו שתמה זכות אבות *lammadnu sceethamah zechuth auoth; Docemur, quod finitum erat meritum patrum;* quæ est doctrina Thalmudistarum Codice sciabbath cap. 5. fol. 62. colum. 4. quærentes, *quo tempore defecerit meritum patrum;* מאימתי תמה זכות אבות *meemathi thamah zechuth auoth.* Aliqui dixerunt à diebus Iheosciuangh; Alij à diebus Azael; Alij à diebus Eliæ, qui in oratione, quà ignis descendit de cęlo, adduxit merita patrum; Tandem concludunt; Dixit R. Iochanã; מימי חזקיהו *mimmechizchiiauh à diebus Ezechiæ;* Quod dictum est; *Ad multiplicãdum imperium eius &c. Zelus Domini exercituum faciet hoc;* Vbi Glossa R.S. ולא זכות אבות *velo zechuth auoth; Et non meritum patrum;* Adde Is. 38. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima;* R.S. dicit, quod ista pax, illa sanitas, illa liberario fuit amarissima regi Ezechiæ; שארי תלו לי רפואה בזכות אחרים *scehare thalu li rephuah bizcuth acherim; Quia suspenderunt mihi sanitatem merito aliorum.* Qui sunt isti? *propter me, & propter Dauid seruum meum;* subdit R.S. כאן הודעתני שאני חוטא *Hinc cognoui, quod ego sum peccator.* Hæc ille ex Codice Berachoth cap. 10. fol. 18. col. 1. Non pudet ergò R. D. dicere hunc infantem, gratia, & merito cuius D.S.B. tot miracula, & beneficia fecit immeritissimo populo Iudæ, esse regem Ezechiam? cùm in ipso, immò in Achaz patre suo inclusiuè defecerint merita Patrum? cũ propter illius peccatum decurtauerit

Deus annos vitæ suæ? cùm per Thalmud rex Ezechias agnouerit se esse peccatorē,& nullius meriti,quia Deus donauit illi sanitatem,vitam,& liberationem à rege Assur,merito aliorum,& non suiipsius? Confiteātur omnes RR. veritatem,hunc infantem,& filium, cuius merito, & iustitiæ,& sanctitatis gratia Deus omnia illa miracula operatus est tempore regis Ezechiæ,non fuisse istum regem,neq; alium ex Israel tunc temporis existentem; sed forè regem Emmanuelem Messiam Christum Iesum. Vide quæ diximus tract. 1. fol. 243. & seq.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur ex doctrinis Thalmudistarum, hunc admirabilem paruulum, & diuinum filium esse nostrum Emmanuelem Regem Messiam.

SI iste paruulus est ille, cuius merito, & gratia Deus liberauit Ierusalem à rege Senacherib; certè alius esse nequit nisi noster Emmanuel; nam iste puer describitur rex ex familia Dauid. *Et factus est principatus super humerū eius; super spolium Dauid, & super regnum eius sedebit.* Et Emmanuel vocatur rex terræ Iuda c. 8. *Et erit extensio alarum eius* (idest exercituum Senacherib) *implens latitudinem terræ tuæ* (idest regni tui Iuda) *ò Emmanuel.* Deinde Isai. eodem cap. 8. siue loquatur, & alludat ad coniuratos tunc cōtra Ierusalem Phacee, & Rezin; siue tempore Ezechię ad regem Senacherib, illorū consilium, vires, & exercitus irridet, qui quamuis cōgregati, & consulti, & armis, & gladijs accincti, vt Ierusalem expugnēt, & capiant; omnia tamen in cassum; immò ipsi hostes vincentur, dissipabuntur, exterminabuntur; & Ierusalem liberabitur;

berabitur; reddens causam huius liberationis, subdit immediatè כי עמנואל *chi nghimmanuel*; *Quoniã Emmanuel*; idest; Quoniam Emmanuel filius hangalmah rex Iuda, & Ierusalem, defendet, & proteget vos. Ac per RR. Deus exterminabit exercitum Senacherib, ob gratiam, & merito huius paruuli; dicit .n. Isa. hoc capite; *Virgam humeri eius &c. superasti sicut in die Madian* (quod c.8. prædixerat; *Adducet Dominus super populum Iuda &c. Regem Assyriorum*) & statim reddit rationem כי ילד ילד לנו *chi ieled iulad lanu*; *Quoniam infans natus est nobis*; ergò iste puer non erit nisi noster Emmanuel, qui est rex Messias. Vide quæ docui ad rem præsentem tract. 1. fol.242., & colliges efficacissimum argumẽtum pro hac veritate contra perfidiam iuniorum Iudæorum.

In primis se offert auctoritas irrefragabilis Caldęi Ionathæ, de qua latius infrà, qui aperrè de rege Messia omnia hæc exponit, legens illa duo verba שר שלום *sar scialom*; *princeps pacis*; משיחא רשלמא יסגי עלנא ביומוהי *misciecha discIama isgghe ngalana beiomohi*; Lyra.& alij vertunt ista Caldæi verba; *Messias, in cuius diebus multiplicabitur pax super nos*; potest legi actiuè; *Messias, qui pacem multiplicabit*; (יסגי *isgghe*, est futurum actiuum; si pũctetur vocali segol) *super nos in diebus eius*. Dices etiam Ezechiam vocat Caldæus Messiam, cap.10.27. *In die illa auferetur onus de humero tuo, & iugum eius de collo tuo*; *& computrescet iugum à facie olei*; Cald. *Et cõterentur populi*; מןקדם משיחא *min chodam mesciecha*; *à præsẽtia Messiæ*; RR. *id est Regis Ezechiæ, qui vnctus fuit oleo vnctionis*; sed non rectè. Nam reddit causam Isaias, ob quam iugum, & onus imperij Senacherib franget Deus conteret per angelum illius exercitum; *à facie olei*; לפני שמן *liphne sciamen*; idest; *propter oleum*; *liphne* enim significat causam; sed Deus

non extinxit exercitum Senacherib propter Ezechiam, vt probatum eſt, ſed propter ſe, propter verbum ſuum, *& Dauid ſeruum ſuum*; iſte ſeruus eſt oleum, iſte eſt Meſsias Rex filius Dauid, noſter Emmanuel, iſte paruulus, & filius natus, & datus nobis, verus rex Ieruſalem, & totius mundi; *Et erit principatus ſuper humerum eius*; eſt ille, propter quē, cuius merito, gratia, & amore Deus nō ſolùm liberauit Ieruſalem à tyrannico ſeruitutis iugo Senacherib, ſed omne genus humanum à ſpirituali tyrannica ſeruitute diaboli, computreſcens oleo, & pinguedine meritorum noſtri Emmanuel, virgam, iugum, & ſceptrum poteſtatum infernalium, quę ſunt omnia peccata, & figmentum malum.

Thalmudiſtæ pluribus locis fatentur hunc infantem eſſe Regem Meſſiam, & quæ hîc dicuntur de ipſo ſolo verificanda. Maſſecheth Sanehedrin cap. 11. fol. 127. col. 2. quærentes de aduentu Meſſiæ, dixit R. Hillel; אין משיח לישראל *en Maſſiach leiſrael; Non amplius eſt Meſſias Iſraeli*; שכבר אכלוהו בימי חזקיה *ſcecheuar achaluhu bimechizchiah; Quia iam comederunt illum, ſiue epulati ſunt eum in diebus Ezechiæ*. Dixit R. Ioſeph שרא ליה מריה *ſcera leh marehe; Pareat ei Deus eius; Ezechias nonne fuit in domo prima; Et nonne Zacharias prophetauit in domo ſecunda, & dixit; Ecce Rex tuus venit tibi &c.* Ergò verum non eſt, quod Ezechias fuerit Meſſias, ſiue ſuo tempore vixerit Meſſias. Iſta conſiderans R. Ioſeph albo libro עקרים *nghicharim*, radicum c. 42. ſerm. vltimo dicit; RR. noſtri מסכימים *meſachimim*, conſentiunt, quod prophetiæ dictæ ſunt על חזקיה *ngal chizchiah*, ſup Ezechiā; אלא שלא נתקיימו בו *ella ſcelo nithchaiiemu bo; ſed non ſunt implere in eo*; Porò inter prophetias dictas de Rege Ezechia iſta; *Quoniam paruulus &c.* eſt principalis, ita reperio in eodem

dem Codice Sanehedrin c.11.fol.121.col.2. *Ad multiplicandum*, למרבה *lemarbbeh, imperium, & pacis non erit finis etc.* R.Thanchum expoſuit nomine R.bar chapara. Quare omne *mem*, quod eſt in medio dictionis פתוחה *pethuchah*, eſt apertum, & iſtud eſt, סתומה *ſethumah, clauſũ*, בִיקש *bicheſc*: Quæſiuit D.S.B.facere Ezechiam משיח *maſciach, Meſſiam, & Senacherib Gog, & Magog* (*idem eſt efficere vt quæ de Meſſia dicta erant, in Ezechia adimplerentur*) *Dixit attributũ iuditij, coram Deo, Domine mundi, Dauid regem Iſrael, qui dixit tot cantica, non feciſti Meſſiam; & Ezechiam, cui præſtitiſti tot mirabilia iſta, & nullum coram te dixit canticum, facies Chriſtum? Ideò* מתתם מיד *mithatham miiad*; (*clauſum fuit ſtatim apertũ mem*; Hæc ibi. Vbi R.S.in gloſſa declarat *mem* clauſum ſignificare in mente Dei eſſe occultas, & reconditas; צרותיהן *zerotheben*; caſtigationes Iſrael, quibus finem Deus impoſuiſſet per Ezechiã, ſi præſagia, quæ de Meſſia dicta ſunt, in eo implere noluiſſet; quod indicant RR. dum dicunt, quod terre, quæ Deum orauit, & cecinit, vt faceret Ezechiam Meſsiam; יצתה בת קל, *iazethah bath chol*; *Exiuit filia vocis, & dixit*: רזי לי רזי לי *razi li razi li*; *ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi*; R.S. שני רזין רז פורענות רז הישועה *ſcene razin raz purnganuth, raz haieſciungah*; *duo ſecreta; ſecretum punitionis, ſecretum ſalutis*. Iterum Iſai. 24.8. *Hei mihi quouſque*. R. S. dixit propheta; *Heu vſquequo*; לאו יבא משיח *lauo maſciach*; *Venies Meſſias*. Iterum facta eſt vox de cœlo, Iſa. 24.16. *præuaricantes præuaricati ſunt, et præuaricatione tranſgreſſorum præuaricati ſunt*. Hæc ibi. Ergò cùm hæc prophetia; *Quoniam paruulus datus eſt nobis*; cum reliquis, dicta ſit de Meſsia; nã Deus volebat hanc adimplere in rege Ezechia, antequam clauderet litteram illam *mem*, poſitam apertam in medio dictionis

ad

ad multiplicandum imperium, & pacem sine fine; quod est solius Messiæ proprium; quod Deus non effecit in eo Rege propter ingratitudinem, restat, quod in rege Messia sit verificandum, & de eo tantùm loquatur, & intelligatur in suo proprio significato. Confitentur hanc veritatem R. Abr. & R. D. hoc loco, dicentes, hîc est *mem* clausa, vt 2. Esd. 2. 13. in fine, vbi deberet esse clausa, est aperta; *Considerabam muros Ierusalem; quia* דם פרוצים *hem peruzim; quia ipsi dissipati sunt, mem aperta significat muros apertos, & dißipatos; Et sensus est; quando claudentur muri Ierusalem; qui erunt dißipati toto tempore captiuitatis; quod erit tempore salutis; tunc aperietur imperium, quod erit occultum vsque ad regem Messiam.* Hæc illi. Si ergò solo tempore regis Messiæ reædificabuntur muri Ierusalem, & tunc aperietur illa *mem* clausa, quia eius imperiũ amplificabitur, & dilatabitur inter omnes gẽtes sine termino, hoc enim dicit Propheta; *Multiplicationi imperij, & paci sine fine;* certè soli Messiæ conuenit hæc prophetia tota.

R. Bechai doctissimus inter eorum theologos alia expositione idem confirmat. Nam berescith, parasciah נח *noach* fol. 22. col. 2. sequens traditionem suorum antiquorũ de duplici Messia; *filius Ephraim, qui occidetur, & morietur in bello Gog, & Magog; & filius Dauid, qui non morietur; sed venturus est, ut viuat in æternum;* subiungit; כי מעת בואו יהיה תתלז שנים לתשלום *chi mengheth boo ibeieh thathlaz scianim lethasclom haeleph hascisci;* Quia à tempore aduentus eius erunt octingenta, & triginta septem anni, ad integritatem millenarij sexti; והוא כמנין למרבה המשרה שר שבות ם סתומה תר ואחר התלז יכנס מיד באלף השביעי *Vehu cheminiian lemarbbeh hamisrah scechescboth mem sethumah thar veachar thathlaz iechanes miiad beeleph ba-*

basceuinghi; Et hoc secundùm numerum Isa. 9. 7. ad multiplicãdum imperium. Nam computationes mem clausæ, sexcenta. Et post octingenta, & triginta septem, colligetur statim in millenario septimo, quod est totũ, שבת sciabbath, quies; & vita sempiterna; & ideò dixit Dauid psal. 21. 8. Vitam petijt à te, dedisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Hæc ille. Quæ, quoniam in tractatu meo Sceptrum Iuda, examinantur, & non spectant ad rem nostram, sufficit nobis, quod de mente suorum sapientum exponat hanc prophetiam de sæculo, & diebus Regis Messiæ, filij Dauid, & de æternitate vitæ, & imperij illius.

In libro ספרי siphri, apud Ialchuth Thillim fol. 100. colu. 2. legitur; *Dominus benedixit populo suo in pace,* בשלום *besciálom.* R. Chaninah סגן הכהנים *segan bachoanim: præfectus sacerdotũ;* & R. Nathan omer, dicit; זה שלום מלכות בית דוד שנ׳ למרבה המשרה *zeh scialom malchuth beth Dauid scenemar, lemarbbe hamisrah. Ista pax est regnum domus Dauid, quod dictum est. Ad multiplicandum imperium, & pacem sine fine*. At regnum domus Dauid, aut nullum est, aut regis Messiæ; ergò de isto loquitur Propheta Isaias; *Paruulus enim natus est nobis &c. cuius imperium super humerum eius &c.*

In libro Beuarim rabba fol. 196. col. 3. & in libro Ialchuth berescith fol. 40. col. 2. in illis verbis Iacobi ad Esau fratrem suum, Gen. 33. 13. *Nosti Domine mi; quod paruulos habeam teneros & præcedat Dominus meus;* sic exponunt, quod dixit Iacob ad Esau; עד עכשיו יש לי להעמיד מלך משיחנו שכתוב כי ילד יולד לנו *ngad ngacsciau iesc li lehãgamid melech mesciichenu, scecchathuu bochi ieled iulad lannu;* Vsq; nunc ego debeo, ad me spectat, vt stare faciam regem Mesiã nostrum, quia scriptum est de illo; *Quoniam paruulus datus est nobis, filius datus est nobis;* Galat. lib. 3. cap. 17.

&

& lib.6.cap.14.duo alia loca citat, quæ, quia non inueni in libris hebraicis ab ipso citatis, relinquo. Ex his omnibus colliges, quam perfidè R.S. R.D. & iuniores detorqueant hanc prophetiam ad regem Ezechiam, cùm ipsorum magistri verè, & propriè de solo rege Messia intelligi, & verificari posse doceant.

Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.

Obseruationes litterales.

OMnia verba huius prophetiæ secúdùm Syntaxim grãmaticalem debent legi in præterito, *& factus est* &c. & *Vocauit nomen eius &c.* ratio est, quia primum verbum *natus*, & secundum, *datus*, sunt præterita, ita, *factus est*, & *vocatus est*. Item ו *Vau* præcedens verbũ יהי *thebi, fiet*, futurum, &, ו *vau*, præcedens, יקרא *ichra, vocabit*, futurũ, cùm ambo sint punctata vocali, *a, pathach*, debent legi in præterito, vt sciunt grammatici: *Et factus est, & vocauit.* Verùm propheticè exponenda sunt, & intelligenda in futuro, *Nascetur, dabitur, & fiet, & vocabit.*

Admirabilis. Notat D.Hieron. hæc nomina non esse coniũgenda bina, & bina, vt, *Admirabilis consiliarius, Deus fortis: pater futuri sæculi, princeps pacis.* Sed separatim, & distinctè, singula legenda, ita vt sint sex attributa, quæ Emmanuelis opera egregia declarent. RR. vt vidimus volunt esse octo nomina distincta, de quo infra.

Et vocabitur. Notum est in scriptura hoc verbum passiuũ, *vocari*, sæpè vsurpari pro esse rei; pro re existente, & subsistente in eo subiecto, de quo talis res dicitur, realiter. Gen.21. *In Isaach*, יקרא *Iecchare, vocabitur tibi semen*; idest

idest יהיה *ibeieh, erit*, Isa. 14. 21. *Non vocabitur* לא יקרא *lo icchare; in saeculum semen impiorum*; Cald. R. S. לא יתקימו *lo ithchaiemu. Non persistent, non erunt filij tui Nabuchd.* nam in Balthasar eius nepote extinctum fuit semen illius omninò, Isa. 56. 7. *Quia domus mea, domus orationis,* יקרא *Icchare, vocabitur, erit*; sic Isa. c. 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*; idest erit iste puer Deus nobiscum.

Nomen eius; est pariter frequens hebraismus, nomen sumi pro essentia, & natura rei denominatae, Genes. 2. 19. *Omne quod vocauit Adam animae viuentis*; הוא שמו *hu scemo; hoc nomen eius*; idest, hoc nomine denotatur quidditas & natura cuiuscumq; animae viuentis, R. Abr. Adam imposuit nomina rebus secundùm naturam cuiuscumque, כפי תולדת *chephi tholedeth*; R. Mois. Geru. imposuit Adam לעצמו *lengazmo*, secundùm substantiam illius rei, nomen, in quo possunt cognosci proprietates illius naturales תולדותיו *tholedothau*; & hoc est, quod dicitur; הוא שמו לעולם יקיים *hu scemo lengolam icchaiiem; Hoc nomen eius in aeternum subsistet*; idest, haec est quidditas rei nominatae perpetua subsistens. Obseruationes litterales, quae hic desiderantur, vide tract. 1. fol. 83. tract. 2. fol. 110.

CAPVT PRIMVM.

An Massoritae hebraeorum magistri corruperint hunc textum legendo; Et vocauit; *non autem* Et vocatum est nomen eius &c.

LYran. & omnes post eum affirmant, Massoritas, vt hunc locum obscurarent, & eneruarent, vt potè qui fuerunt vocalium, siue punctorum inuetores, per alienam, & spuriam punctationem verbi, ויקרא, legitimam, & lit-

teralem lectionem adulterasse; Nam prædictum verbum variè punctatum potest legi actiuè, & passiuè; si punctetur littera tertia ף *choph, ch*, cum pũcto in ventre, qui vocatur *daghesc*; & subtus habeat *chamez, a*; & littera quarta ר *resc*, punctetur, *zere*; quæ duo vocalia, & *daghesc* in prima radicali sũt signa caractheristica cõiugationis passiuę formatur futurũ tertiæ personæ, & legendum est; *vaiccharè*; *Et vocabitur*; si verò prædictæ litteræ consonantes punctētur his vocalibus; sub littera ף *choph, ch*, ponatur *sceua*; e quiescens, sine *daghesc* in medio; & sub littera ר *resc*; r ponatur *chamez, a*, formatur futurum tertiæ personæ verbi actiui, & legitur, *vaichra*; *Et vocabit*; sed melius: *Et vocauit*; ratione *vau* conuersiui futurum in præteritum. Modò cùm sacra Scriptura semper caruerit vocalibus, vt ex Sept. senum, & Vulg. & Symmachi antiquis versionibus euidenter colligitur; & lectio vocalium sola traditione tenebatur, anno salutis quingẽtesimo, & suprà, Massoritæ vocalium inuẽtores, poterant suo arbitratu facere dictum verbum & actiuum, & passiuum per variam punctuationem; Et sic actiuè punctauerũt illud; An verò hoc fecerint malitiosè, & contra sacri textus legitimum sensum, hoc est inquirendum.

Et primò, est magnum argumentum huius corruptelæ, & perfidię Massoritarum, scire, quod ante illos, omnes translatores in græcum, vt Septuag. Symm., Aquila, Theodotion, & ex nostris Tert. Iust. Euseb. Hieron. traduxerint vniformiter passiuè; *Et vocabitur*; siue; *Et vocatũ est*; sed cùm istorum auctoritas non acceptetur ab illis, sentiant suos Thalmudistas, citatos v. 6. c. 1. hi siquidem dũ docent Ezechiam habere, ista octo nomina, idest vocari istis octo nominibus, conuincunt omnes Iudęos confiteri legendũ esse; & punctandum passiuè; *Et vocabitur nomen eius*;

eius; ideſt Ezechiæ. Comprobatur efficaciſsimè hæc Maſſoritarum iniqua corruptio ex auctoritate ſuprema Caldæi Ionathæ, apud quem ſecundùm priſcam, & primæuam lectionem, ante Seruatoris aduentum, & inuentionem punctorum, oſtenditur non per vocalia, ſed per litteras eſſentiales, hoc verbum, ויקרא, legendum eſſe, & ſemper in Eccleſia hebraica lectum fuiſſe paſsiuè; ſic enim legit, ויתקרי *veithchere*. *Et vocabitur*. *Et vocatum eſt*.

Notiſsimum eſt, quòd vbicumque in ſacra Scriptura reperitur verbum קרא *chara*, in tempore futuro, in coniugatione actiua יקרא *ichra*, *vocabit*; correſpondet ſemper Cald. per eandem coniugationem actiuam. Exempla ſunt infinita; ſed accipe ſimillima ad rem noſtrã, Gen. 1. 4 ויקרא אלהים *vaichra elohim*; *Et vocauit Deus lucem diem*; Cald. וקרא *vchra*; *Et vocauit*; Leuit. 1. 1. ויקרא *uaichra*; *Et uocauit*; Cald. וקרא *uchra*; *Et uocauit*; ita Onchelos in tota lege; Iſa. 65. 15. *Et ſeruos ſuos uocabit* יקרא *ichra*; Ionathas, יקרי *ichre*; *vocabit*; Ierem. 36. 4. *Et vocauit* ויקרא *vaichra*; Ionathas וקרא *vachra*; *Et vocauit*; *Ieremias Baruch*; Similiter vbicumque in ſacro textu reperitur in paſsiua ſignificatione; Cald. habet coniugationem, *hithphanghel*, quæ Caldaicè eſt paſsiua, Gen. 48. *Et inuocabitur* יקרא *veicchare*; Cald. ויתקרי *veithchere*; *nomen meum*: Iſai. 4. *Tantummodo inuocetur*; יקרא *icchare*; Cald. יתקרי *ithchere*; *nomen tuum ſuper nos*; Ierem. 7. 11. *In qua inuocatum eſt*, נקרא *nichra*; Ionathas דאיתקרי *deithchere*; *nomen meum*; Cùm ergò Cald. Ionathæ vertat verbum, ויקרא *vaichra*, per coniugationem paſsiuam, ויתקרי *vehithchere*; & non per actiuam, וקרא *vchra*; euidentiſsimè, & à priori colligitur, primam, & legitimam lectionem huius verbi, iã ante templi ſecundi deſtructionem ferè ducentis annis, & vo-

calium inuentionem ſeptingentis,fuiſſe paſsiuam;*Et uocabitur*; *Et vocatum eſt nomen eius &c.* & conſequenter Maſſoritas,punctando,& legendo actiuè,ſacrum textum in vocalibus corrupiſse. Adde lectionem paſsiuam neceſſariò requiri ex naturali connexione textus, tùm propheticè,tùm grammaticè;Nam tria verba præcedentia, *natus,datus,factus eſt*,ſunt omnia paſſiua præterita;ergò hoc quartum verbum, quod dicitur de paruulo, & eius nomine vocando, erit paſſiuum, & præteritum, legendũ ויקרא *vaicchare*; *Et vocatum eſt nomen*; ratio eſt, quia ו *vau*,præcedens eſt dictio copulatiua ſimul,& cõuerſiua; vnitur enim,& refertur verbis præcedentibus, cũ quibus conuenire debet,& tempore,& coniugatione; cùm præcipuè oratio ſit continua, & non interrupta de eadẽ perſona; ſed tria verba præcedentia ſunt præterita, & paſſiua; ergò grammaticè legendum eſt ſubſequens verbum paſſiuè; *Et vocatum eſt*; ſiue propheticè; *Et vocabitur nomen eius*; Vide ſup.fol.75. ſenſus ergò genuinus, & litteralis erit; *Et vocabitur nomen eius admirabilis &c.* Paruulus iſte erit ipſemet Deus, eius natura; præter eſſe verũ hominẽ filiũ Dauid;verè diuina exprimitur, & teſtatur his diuinis nominibus,& attributis ſoli Deo proprijs, & eſsentialibus.

Dicet aliquis,poſse ſaluari Maſsoritas, qui, quamuis actiuè punctauerint verbum,*vaichra*;*Et vocauit*; tamen voluerint, quod legatur paſſiuè; *Et vocatum eſt*; per ellipſim, quatenus verba tertiæ perſonæ vſurpantur indeffinitè,& imperſonaliter,nullo nominatiuo expreſso. Vnũ exemplum ex multis,Mich.2.4. ביום ההוא ישא עליכם משל *baiom hahu iſſa ngalechem maſcial*; Vulg. *In die illa ſumetur ſuper nos parabola*; ita Sept. Pagn. ſequutus R.D. *In die illa ſumet lamentator*;& hac ratione, ויקרא *vaichra*;poteſt legi

legi passiuè; *Et vocabitur nomen eius*; Equidem, vt verum fatear, cum veritate sacri textus, vtraque lectio est germana, & recta; Et primò si legatur passiuè, sicut traduxit Cald. & omnes ex fonte hebræo ante Masforitas; *Et uocatum est nomen eius admirabilis &c.* idest, iste paruulus, est verè, & essentialiter ipse Deus (& hic est sensus prophetiæ) iisdem penitus sensus seruatur si legatur actiuè assignando suum nominatiuum, qui erit, *uocans* קרא *chore*; sicut in exemplo adducto; Et legatur; *Et vocabit*; quisque Israelita, siue fidelis nomen eius; *huius videlicet paruuli, admirabilem, consiliarium &c. Deum fortem*. At verò R. S. & R. D. & omnes iuniores iudæi non admittentes constructionem passiuam; *Et vocabitur*; secundùm prædictam regulam, & solùm actiuam; *& vocabit*; peruertunt & corrumpunt veritatem, & sensum germanũ prophetię; sic .n. dispungũt, & cõstruũt; *& vocabit nomen eius; D. S. B. qui est mirabilis, consiliarius, Deus, fortis, & pater æternitatis; vocat nomen paruuli huius, idest Ezechiæ principẽ pacis, quia pax, & veritas erit in diebus eius.* Hæc illi in suis glossis, sed perfidè, & crassè; Nã in tota Scriptura vbi inuenient hanc syntaxim, quod casus nominatiuus sit post verbum, & casum accusatiuum; & casus accusatiuus diuisus sit in duas partes; & vna ponatur in principio proxima verbo, & altera in fine versus post nominatiuum, vti peruertunt isti? certè nullibi. Et si talis esset constructio grammaticalis, quam ipsi fingunt, opus erat, quod בעלי הטעמים *bangale batangamim*; auctores accentium, per accentus diuisiuos hanc constructionem distinguerent, & declararent. Si enim ly שמו *scemo*; *nomẽ eius*; est accusatiuus verbi antecedentis; *& vocabit*; & nomen quod sequitur, פלא *pele, admirabilis*, cum reliquis est nominatiuus; posuissent super, vel subter accusatiuũ, *nomen*

eius;

eius; aliquem accentum distinctiuũ; pariter, si duo vltima nomina, שַׂר שָׁלוֹם *sar scialom; princeps pacis*; esset accusatiui casus, pars altera, per alium accentum, conueniens erat, id demonstrassent; vt in re tam graui, certò pateret, & cognosceretur, quod ille paruulus verus homo, non vocabatur illis diuinis nominibus; & sic euitaretur maximus error, existimandi illum infantem esse simul hominem, & verum Deum; quod cùm non fecerint, sed immediatè post ly שְׁמוֹ *scemo, nomen eius*; sine vllo accentu distinctiuo posito in medio, sequatur nomen פֶּלֶא *pele, admirabilis*; signum est omnia illa diuina nomina dici de isto paruulo, & eius diuinitas essentialiter dicatur, & prædicatur; & legendum esse passiuè, & non actiuè; *Et vocabitur nomen eius admirabilis*; idest iste puer erit verus Deus, verus Emmanuel, Deus, & homo simul: Neq; accentus positi supra illa nomina faciunt hanc distinctionem; Nã & verbum; *&* *vocabitur*; & dictio sequens; *nomen eius*: & omnia alia sequentia nomina habent supra se aliquem accentum, positum tantùm siue ad cantum, siue ad prolationem, siue ad ornatum, non autem ad distinctionem faciendam in oratione, vti sunt accentus, *Atnach, reuiangh, zacheph, chaton &c.* Hæc dixi ad plenitudinem doctrinæ; nam etsi posuissent accentus distinctiuos, non tamen oppositum concluderetur; cùm legitima lectio, & prisca, antequam & puncta, & vocalia reperirentur semper fuerit passiua; *Et uocatũ est nomen &c.* quæ lectio est diuinæ auctoritatis; puncta verò & accentus hominum mendaciorum inuentio.

✱

CAPVT SECVNDVM.

Illa omnia, siue octo, siue sex nomina puero imposita, esse penitus diuina, & soli Deo conuenire, & illis diuinitatem infantis describi, ostenditur.

פלא *pele*, *Admirabilis*.

PRimum nomen diuinum, radix *pala* significat rem arduam, occultam, mirabilem, remotam à cognitione, sensu, facultate, & viribus humanis. Hinc miraculum, prodigium, effectus supra naturam solius diuinæ omnipotentiæ, Exod. 15. 11. עשה פלא *ngboseh pele*; faciens mirabilia. Hoc nomine significatur Deus in sua infinita, & absoluta essentia, Iud. 13. 17. Quærens Manue scire ab angelo Deum repræsentante, quod esset nomen eius? Respondit ei Angelus; *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* והוא פלא *uehu peli*; Cald. והואמפרש *uehu mephorast*: *& ipsum est occultum, separatum, incognoscibile*; R. S. R. D., & omnes מכוסה ונעלם תמיד הוא שלא תוכל לדעתו *mechussah unenghelam thamid hu, scelo thochel ledangtho*; *Occultum, absconditum semper est, ut non possis cognoscere illud*; & sic videtur hoc non esse nomen illius angeli; sed epitheton illius nominis, proprietas eius; Et quis nesciat inter varia Dei nomina, illud solum quadrilitterum *iod, he, uau, he* יהוה *Iehouah*, vocari ab omnibus, שם המפורש *scem hammephorasc*, caldaicè, quod hebraicè est idem, quod שם הפלא *scem appele*; nomen diuisum, separatum ab omni respectu ad creaturam, occultum, reconditum, cognitu impossibile à creatura; dum ergo angelus dicit Manue; *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* non loquitur de seipso prout creatura angelica,

sed

sed de Deo in ordine ad illud nomen prædictum ineffabile, solius Dei proprium, & essentiale, *Iehouah*, cuius vicem gerebat ille angelus, cuius nominis diuini proprietas, & epitheton, est esse occultũ, mirabile, & impossibile cognitu. Dum ergò Isaias dicit, quod primum nomen, quo vocandus est iste paruulus, est פלא *pele*, vult asserere, quod erit ipsemet Deus in propria sua infinita essentia, & deitate, sed, *pele, admirabili*, ab omni intellectu creato incognoscibili; quia abscondita, & tecta sub nostra humanitate infantili, passibili, & mortali. Et quis esse potest iste nisi Rex Messias? certè nobis prædixit Ierem. 23 6. quod Rex Messias vocãdus esset hoc nomine; *Iehouah*; *Et hoc est nomen eius, quo uocabunt eum Dominus iustus noster* יהוה צדקנו *Iehouah zidchenu; iustitia nostra*; ita R. D. notat; קרא ישראל המשיח בזה השם יי צדקנו *Israel Ichra masciach bezeh hascẽ, Iehouah zidchenu; Israel uocabit Messiã hoc nomine, Deus iustitia nostra.* Etsi R. D. hoc loco exponit hoc nomen diuinũ, *pele*, super illam rẽ miraculosam; משב השמש אחורנית *scesciau hascemesc achoranith; Quando reuersus est Sol retrorsum;* Cur nõ affirmabit hoc nomen de Rege Messia, qui ore omnium RR. efficere debebat per seipsum multò admirabiliora miracula, quæ non fecerunt Moyses, & omnes simul prophetæ.

יועץ Iongheź; Consiliarius.

SEcundum nomen diuinum proprium D. S. B. qui & in creatione mundi, & gubernatione nullam pœnitus habuit creaturam, à qua consilium acciperet, ita Isa. 40. 13. *Quis adiuuit spiritum Domini?* ואיש עצתו יודיענו *ueusc nghazatho iodinghennu; Et quis consiliarius fuit ei? R. S. Quis scire fecit D. S. B. consilium? R. D. Non angelus, & multò minus homo scire fecit ei consilium suum, quando fecit*

mundum,

mundum, & Deus, & ita facies; Et ideò dictum est; Extendens cælos solus. Hæc illi; Si ita est, vel insaniũt RR. vel exponendi sunt, dnm dicunt, Deum in creatione hominis consuluisse angelos, *faciamus &c.* Deũ nihil agere in his inferioribus, quin prius consulat familiam superiorem, qui sunt angeli; solius Dei est proprium non egere consilio creaturarum ob suam infinitam sapientiam, quà omnia creauit, omnia moderatur; *In principio; In sapiẽtia creauit Deus &c.* Quare hic paruulus erit Verbum patris, sapientia genita, quæ in carne humana dedit nouam legem gentibus; Et hic est Rex Messias; *Et legem eius insulæ expectabunt; Iuditium gentibus proferet; Docebit nos vias eius*; R.D. exponit; *Consiliarius, quia consilium Dei stetit ei*, supple Ezechiæ; *Et consilium Senacherib dissipatum est*; Si ita est, aperi quæso oculos, & vide, Iesũ Nazarenum esse hunc paruulum, Regem Messiam consiliarium, quem vos crucifixistis, hoc consilio, vt eius mẽmoria, & lex æternæ obliuioni traderetur, sed oppositum successit; nam illius consilium, doctrinam, & legem euãgelicam, & cultum diuinum; vos videtis iam mille & sexcentis annis stetisse, creuisse, & totum orbem impleuisse. E contra vos, eiecti, & proiecti de terra vestra, omnibus vestris tẽporalibus, & spiritualibus bonis destituti, serui omnium gentium vbique terrarum, semper in peius ruerites, sine lege, sine sacerdotio, sine principe, sine religione, & tandem sine Deo vero, miserrimam vitam degitis, priuati omni sapientia, & consilio, gens perdita, & periẽs consilijs, misera, & pauperrima, vti prædixit de vobis Moyses, Deu. 32. כי גוי אובד עצות המה *chi goi ouad nghezoth hemmah.*

אל *El, Deus.*

Tertium nomen diuinum, ex decem, & primis nominibus ſubſtãtiuis Deo attributis, de quo ſatis egimus trac. 1. fo. 218. Aquila, Symmachus, Theod. ſemichriſtiani, & Lutherus, nõ legũt ly, אל *el*, ſubſtãtiuè, *Deus*, ſed appellatiuè *fortis*; ita & R.D. יכול *iachol, potens*; ſed contrà veritatem textus, nam Septuaginta vertunt, *theos*, Deus, Cald. אלהא *elaha*, ita Syrus, & Arabicus antiquiſſimus. Hæc duo nomina infantis ſunt eadem quæ cap. 10. ſequenti verſ. 21. ponuntur; *Reliquiæ conuertẽtur, reliquiæ Iacob*; אל אל גבור *el el ghibbor*; *Ad Deum fortem*; Cald. קדם אלהא גברא *chodã elaha ghibbara*; *Ad Deum, coram Deo forti* (eadẽ pænitùs verba quæ hic) R.D. *Conuertentur pænitentia perfecta*; אל יהוה *el Iehouah*; *Ad Deum, qui videre fecit fortitudinem ſuam in fortibus terræ*; (occidendo exercitũ Senacherib) ſi ita eſt, vt exponis; cur perfidè eadem pænitùs verba, & nomina, quæ hic ponuntur, non exponis eodem modo? cur primum nomen אל *el*, non exponis ſubſtantiuè, pro Deo ipſo, *Iehouah*, & alterum nomen adiectiuè, *fortis*; ſed primum nomen אל *el*, exponis adiectiuè יכול *iachol, potẽs*? Nonnè eſt eadem tua interpretatio, & gloſſa vbique? hic enim dicis; *potens fortis; quia in gigantibus fuit potens contra eos, & præualuit, et in momẽto paruo percuſſit eius exercitum.* Ergò malè ly אל *el*, adiectiuè traducis, *potens*, cũ ſit ſubſtantiuum nomen Dei, à te explicatum per nomen *Iehouah*, altero loco; ſtat ergò ly, *el, Deus*; pro vero Deo; quo nomine cum adiectiuo ſequenti, *Ghibbor, fortis*; alludit, & indicare vult hunc paruulum eſſe illum filium, *hangalmah*; cuius nomen eſt, *Emmanuel*; Nobiſcum verus Deus, fortis, omnipotens, ſaluator, in carne humana; *Deus vir belli, Iehouah.*

גבור *Ghibbor, fortis.*

Quartum nomen diuinum, sed adiectiuũ, *fortis*; hinc videas, si, אל *el*, esset adiectiuum, non posset euitari tautologia *fortis & fortis*; נִּבֹּר *ghibbor*, strenuum, fortẽ, potentem viribus significat, à radice גבר *ghauar*, viribus, robore, virtute fortitudine præualuit. Hinc dominus, princeps, hęres, synonimũ cũ איל *ail*, siue, *eial*, *fortitudo, robur*; est nomen adiectiuum coniunctum cum nomine Dei substantiuo, אל *el*, Deut. 10. 17. האל *Hael*, *Deus magnus*; הגבור *baghibbor, fortis, & terribilis*; Si quæras ab hebræis quodnam attributum diuinũ significetur hoc epitheto, *Deus fortis*; Resp. R. Bechai הגבור בדין *haghibbor bedin*; *fortis in iuditio*; quod subdit Moyses, *qui personã non accipit, nec munera*; Erit ergò sensus: Iste paruulus erit Iudex fortissimus, æquissimus in iudicando. Nonne sacræ Scripturæ nobis talem promittunt Regem Messiam? ps. 72. 2. ידין עמך בצדק *iadin nghamecha bezedech*; *Iudicabit populum tuum in iustitia*; R. Abr. *Erit* שופט צדק *sciophet zedech*: *Iudex iustitiæ*: R. D. מלך צדק *melech zedech*; *Rex iustitiæ*; Iudex, & rex iustissimus. Quis ergò erit iste puer, nisi Rex Messias, Deus, Iudex, & rex iustissimus omnium hominum, & angelorum, regens eos in virga ferrea directionis ęquitatis, et iustitiæ.

אבי עד *Aui ngad, Pater futuri seculi.*

Quintum nomen diuinum, *Aui*, pro *Au*, iod paragogicum; sed quomodò erit pater iste paruulus, qui est filius? hoc nomine metaphoricè dicitur, maior, magister, dominus, primus alicuius rei inuentor, & origo, Gen. 4. 21. *Ipse fuit* אב *aui, pater, auctor, magister, canentium cythara*. Dictio עד primò indicat tempus, donec, vsque; *Donec ponam inimicos*

micos tuos, Donec ueniat qui &c. Deinde adhuc, dũ, Iob. 1. עד *yngad, cũ adhuc ille loqueretur.* Tertiò denotat עולם *ngholam*, totum tempus huius mundi, siue æternitatem perpetuã; Quoquocumq; modo dicatur, hic auctor, & pater temporis, siue æternitatis, non potest esse nisi Deus, Exo. 15. *Dominus regnabit,* לעולם ועד *lengolam uanghed; in seculum, & æternitatem;* Vulg. *in sæculum, & ultra*; sed vltra sæculum, quod est tempus præsens, non est nisi ęternitas. Hinc Deus Isa. 57.15. vocatur, *habitator æternitatis, siue habitans æternitatem,* שוכן עד *sciochen ngad.* Est ergò sensus; iste puer est ipsemet Deus, qui est permanés omni tempore; שהוא ברא *scehu bareo*; qui fuit auctor, & creator illius, *qui est eius Dominus*; שביה הוא *scebbeia ohu*; demens, & addés illud; sicut addidit vitæ Ezechiæ annos quindecim; ita R.D. Nunc dicant mihi, quem ipsi expectant auctorem, & patrem temporis venturi, vel futuri sæculi nisi Regem Messiam, hoc non eget probatione; expectant enim ipsi Regem Messiam, qui in diebus suis incipiat tempus summæ fœlicitatis, & sæculum aureum, in quo per vocationem omnium gentium ad veram fidem, sicut vnus est tantùm Deus, ita totius mundi sit vna tantùm fides, vna religio; quod sæculum fœlicitatis perficietur, & consumabitur in resurrectione mortuorum in sæculo venturo æternitatis, hoc credunt, hoc sperant Iudæi à Rege Messia. Ergò ille paruulus qui ab Isaia hoc nominé vocatur Pater, Auctor præsentis, & futuri sæculi, erit Rex Messias. Quod certè adeò verum est, & ita peculiare Regis Mesiæ, vt R. Ionath. in sua paraph. qui secundùm veritatem, & chabbalam, idest theologiã illius temporis catholicam, & germanam intelligẽtiam, exponit istam prophetiam de Rege Mesia; huic muneri & proprietati illius adiunxerit nomen eiusdem Mesiæ;

קים לעלמיא משיחא *chaiiam lengalmaia meſcichah; Permanens, viuens, ſuperſtes in ſecula Meſſias*; ideſt in iſto ſæculo, & æternitatis.

שר שלום *ſar ſcialom; Princeps pacis.*

Sextum nomen diuinum R.S. aſſerit; *etiam hoc nomen, princeps pacis, eſt de diuinis nominibus D.S.B. Et vocatio huius nominis non eſt ad nomen proprium, ſed ad nomen dignitatis, & imperij, ſicut dicitur Ruth.4.12. dixit populus ad Booz de Ruth Moabitide quam ſumpſerat in coniugiū; faciat Dominus hanc mulierem ſicut Rachel &c. & habeat celebre nomen in Bethleem*: וקרא שם בבית לחם *vchra ſcem benuetblechem; Et vocet nomen in Bethlehem; ideſt acquirat famam, & nomen*; יגדל שמך *igdal ſcemecha; Magnificet nomen tuum*; ſic 2.reg.7.29. *Et feci tibi nomen grande.* Pari modò hoc loco; *Et vocauit nomen eius*; ideſt, *dabo ei nomen, famam, & dominationem.* Hæc ille. Vult dicere; illa quinque nomina, & etiam hoc ſextum; *princeps pacis*; ſunt diuina; non poteſt eo nomine vocari Ezechias; ſed ſenſus eſt; *Et vocabit nomen eius*; ideſt Rex Ezechias, faciet Deus, quod acquirat famam, celebrem, grandem; dando illi pacem, & vitam per quindecim annos, miraculosè exterminans exercitũ Senacherib; Videas lector quomodo veritatis oſores, et prophetiarũ corruptores; ſeipſos decipiant, & alios, qui illos ſequuntur, his ſubterfugijs falſitatis; cùm Propheta loquatur de nomine proprio, & particulari, quo vocandus eſt iſte puer, dicens; *Et vocabitur nomen eius*; non dicit textus; *Et vocabit nomen*; vt eſt in Ruth, neq; dicit; *Et faciet nomen grande illi*; qui modi loquendi non ſignificant nomen aliquod proprium imponendum illis perſonis ita vocandis, ſed acquiſitionem honoris, famæ, et celebritatis, et dignitatis,

&

& dominationis, sed hoc loco ista vocatio nominis est ad nomen proprium huius paruuli, quod ostendit legitima, et prisca lectio, ante corruptionem Massoritarum, quæ est Caldæi: *Et vocabitur*, & omnium ante illos, passiuè, erit iste puer, et vocabitur: deinde ly, *nomen eius*, relatiuũ *eius*, ostendit personam pueri tali nomine propriè vocandam; sed si per te ista sex nomine sunt diuina, et nullo ex illis vocatur iste puer, quali nomine suo proprio vocabitur, cùm nullum sit nomen expressum nisi sex nomina prædicta? relinquitur certè, et necessariò dicendum, nomen proprium, et personale huius pueri esse omnia illa sex nomina diuina. Equidem hoc nomen diuinũ, *princeps pacis*, non potest conuenire Regi Ezechiæ, nã solus Deus est princeps, et auctor pacis, et omnium bonorum. Hinc Paralip. 1. 22. *scelomoh erit nomen eius*, reddit rationem; שלום ושקט *vescialom vascecbet: & pacem, & tranquillitatem dabo super Israel in diebus eius*. Ergò hoc nomen *princeps pacis*, pacis auctor solius Dei est. At verò, quis nesciat hoc nomen, *pax*; שלום *scialom*, esse propriũ Regis Messiæ, Isa. 52. 7. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis*, שלום *pacem annunciantis*, מבשר טוב, *bonum prædicantis*, ישועה *iesciungah*, *salutem*; En omnia bona in pace inclusa, à quo expectant hebræi istam pacem, salutem, et affluentiam omnium bonorum à rege Messia, qui hæc omnia præstabit; et ideò vocatus fuit à Patriarcha Iacob, שילה *sciloh*, Saluator, fœlix, pacificus, pacis, et omnis fœlicitatis auctor; ergò Rex Messias erit princeps pacis, erit Deus. Hoc vult dicere apertè Ionathan in sua paraphrasi; משיחא דשלמא יסגי עלנא ביומוי *mescicbab disclama isghe ngalana beiomobi; Messias qui pacẽ multiplicabit super nos in diebus eius*. Vult dicere hoc nomen; *princeps pacis*, non debet imponi Regi Ezechiæ,

qua-

quatenus in diebus eius quindecim ãnis facta fuerit pax, non ab ipso Rege, sed à Deo, immò sine vllo merito suo, nam talis nominis impositio est verbalis, est nomen ventosum sine re, et merito, sed hoc nomen, *princeps pacis*, solius Messiæ Regis est proprium, et intrinsecum, quia ipse opere, et merito suo augebit, multiplicabit pacem super nos; pacem, quæ est omnium bonorum spirituali ũ, & diuinorum fons; pacem, quæ in salute animarum per fidem, & gratiam supernaturalem consistit. Hanc pacem ipse rex Messias augebit, et multiplicabit semper in diebus suis, in hoc præsenti sæculo, per suam fidem, et legẽ euangelicam, quæ semper diffunditur, & multiplicatur per vniuersum orbem; per gratiam, & per bona opera, vt mereamur in futuro sæculo æternitatis perfrui illa pace supremæ beatitudinis in cœlo. Hoc de Rege Messia prędixit pater eius ps. 72. 7, *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis*, heb. ורב שלום *verou scialom*, Cald. eadem verba, quæ supra, ומגיע שלמא *vsghinghe scelama: & multiplicitas pacis*; sed quãto tempore durabit, multiplicabitur ista pax? quindecim annis regis Ezechiæ? an quadraginta annis Salomonis? O amẽtes; *In diebus eius*; qui sunt dies Messiæ? suum sæculum, à tẽpore, quo venit, vsquequo durabit luna, עד בלי ירח *ngad beli iareach; donec sine luna*; idest erit mundus, ergò vsque ad finem mundi; R. Abra, תמיד *thamid, semper*; In tota æternitate; nam neque luna, neq; cœli destruentur post diem iuditij; R. S. עד לא עולם *ngad longolam; Donec non sit mundus*; sed mundus semper erit: & regnum Messiæ, est regnum omnium sæculorum. Cùm ita sit, solus Rex Messias erit princeps pacis; & iste paruulus, qui vocatur, & est ipsemet Deus, noster Emmanuel, Deus in carne nostra factus verus homo, q̃ merito suo infinito multiplicat super nos pacem, & gratiam suam.

VER-

VERSVS SEPTIMVS.

Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iuditio, & iustitia, á modò, et vsque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.

MVltiplicabitur לםרבה *lemarbbe*; est nomen, quod indicat, *mem* heemanthi, formatiua nominis, littera ל *lamed*, ad varios casus mittit datiuum, & accusatiuum, & genitiuum; potest legi, *Amplitudini principatus*, siue, *ad magnitudinem, siue multiplicationem imperij, & dominationis* (ita notat R. D. esse in regimine, quia pũctatum vocali *zere*) *& pacis sine fine*; R. S. exponit duobus modis; primò tamquam participium hiph. מרבה *marbbeh*, cum segol, & facit hunc sensum, cui imponetur hoc nomen, *principes pacis*? Resp. *Regi Hmarbbeh, multiplicanti imperium D. S. B. super se timenti à facie eius*. Et equidē optimè in hoc; nam imperium, quod multiplicare, & ampliare debebat Rex Messias per vniuersum orbem non erat temporale, sed spirituale, in multiplicatione fidelium, ad veram fidem, & cultum D. S. B., ad obseruationem eius legis euangelicæ, & in custodia pacis cum Deo, & proximo, omnia peccata euitando; propagatur enim regnum Messiæ Iesu Nazareni, non bello, non rapinis, non violentia veluti regna mundi, sed pace, gratia, obseruantia mandatorum Dei, amore, & dilectione, vt patet, perpetua, & maxima experiētia; ergò Rex Messias Iesus Nazarenus erit ille Rex paruulus, verè Deus, verè princeps pacis, *cuius imperium super humerum eius*: qui

legem,

legem, quã docuit, suscepit super humeros, perfectissimè adimpleuit, nobis relinquẽs exẽplũ vt sequamur vestigia eius. Neque ista possunt dici de Rege Ezechia, quãuis fuerit iustus, & obseruator legis diuinæ, tùm quia & ipse aliquandò peccauit, & præcipuè Isa. 39. superbia, iactantia, & ingratitudine peccauit in Deum; dicitur enim 2. Paralip. 32. 25. *Quod non iuxta beneficia, quæ acceperat à Deo, retribuit, quia eleuatum est cor eius contra Deum.* In hoc maximè peccando, quòd cùm legati regis Babylonis venissent ad inquirendum de illo maximo prodigio facto in retrocessione Solis; & hoc ad gloriam Dei; & nõ erat conueniens, quòd Ezechias magnificaret in hoc, seipsum; sed benè debebat dare magnitudinem, & gloriam Deo, & manifestare illis magnitudinem Dei, quia ad hoc venerant illi legati; ipse verò elatus animo, hanc legationem ad sui gloriam conuertit, & quod ad se videndum venissent de terra longinqua; Vnde iustè ira Dei in eum exarsit; Ita RR. Sed præterea quia amplitudo eius spiritualis imperij, & pacis nõ habet finem; *est sine fine,* אין קץ *en chez;* Imperium Salomonis fuit maius sine comparatione imperio regis Ezechiæ, diuitijs, latitudine terrarũ, & toto vitæ suæ tempore per quadraginta annos potitus est pace tranquillissima; & hac ratione asserit Scriptura, quod Salomon nominabatur, & reddit rationem; *Et pax erit in diebus suis; Et* pro *quia.* Hic sacer textus assignat terminos pacis, & trãquillitatis huius Regis, idest totum tempus vitæ Salomonis; At hoc loco, in quo regno, amplitudine, & pace nullam ponit, neque loci, neque temporis metam, neque finem, immò asserit esse multiplicandam sine fine. Et tu vis coarctare hoc imperium ad finem vitæ regis Ezechiæ, quæ fuit tantùm quindecim annorũ est nimis aperta, repugnantia, & falsitas.

R.S. querit euadere, ne veritati tam apertè succumbat, duabus vijs: prima est. *Et paci datæ illi, puta Ezechiæ, nō est finis, quinpax erit ei;* מכל עברין *michol ngauarau; de omnibus peccatis suis.* O ridiculum; Propheta loquitur de multiplicatione Imperij regni Dauidici, & pace eiusdem sine fine; non de remissione transgressionum, quas fecit rex Ezechias; preterea hoc nō esset singulare huic puero, & regi Ezechiæ; siquidem pax, & indulgentia transgressionum omnibus penitentibus est sine fine, idest numquā reuocatur æqualiter. Secunda via magis ad litteram accedit; ואין קץ זה לשון הפסק עלמות אלא אין קץ לסביבו *Veen chez ze lescion hephsech ngolamoth ella en chez lesauiuau; Et non finis; Ista est interpratatio: cessatio, truncatio saeculi, siue temporis.* Nisi siue; *Non finis circuitibus eius*; idest, non cessabit pax in eius sæculo, siue non erit finis pacis circumquaquè; omni tempore, & in omnibus locis, & finibus imperij eius erit pax. Sequitur R.S. *Super thronū Dauid erit pax ista in iuditio, & iustitia, quam faciet Ezechias:* ולשלום *vlscialom; & paci; littera ista,* ו *vau; Et;* תיקון המלה *thicbun bammillah; est ad ornatū dictionis; Ipse;* הרבה *harbbah; multiplicādo imperium super humerū suū; Et quæ retributio* ושלם *iscialem, dabitur ei;* הנה לשלומו אין קץ ואין קצבה *Hinneh lisclomo en chez, veen chezcuab.* Ecce *paci eius non finis, & non decurtatio:* מעתה ועד עולם *mengatthah venghad ngolam;* Ex hoc nunc, & vsque in seculum; עולמו של חזקיהו כל ימיו וכן שאמר חנה על שמואל וישב שם עד עולם *ngolamo scel chizchiau chol imau, vechen sceamar channah ngal sciamuel, veiasciu sciam ngad ngolam; Seculū suum, idest Ezechiæ, omnibus diebus eius.* Et ita est illud *quod dixit Anna super Samuel,* Et *habitabit hic vsque in sæculum.* Hæc ille magnus R.S. de quo gloriātur Iudæi, quod breuiter, & perspicuè commentatus est in totum

vetus testamentum per Spiritum sanctum super ipso manentem; nec ante illum ipsi similis extitit; sed isti loquuntur eo spiritu mendacij; ברוח שקר *beruach sceber*; quo omnes illorũ RR. pleni sunt, & à quo decipiuntur, vti quondam prædixit Ierem. 8. Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum; עט שקר סופרים Verè mendacia operantur RR. quando, vel sacrum textum corrumpunt, addendo, vel minuendo litteras, syllabas, & dictiones, vocalia alterando, tempora, & nomina mutando, siue glossas, & commenta adinueniunt, quæ litteralem, syncerũ, et genuinum sensum Scripturæ peruertunt, et adulterantur, veluti talis se exhibet hoc loco noster R. S. Primò quia sensus ly, אין קץ *en chez*, *Non finis*, siue, *sine fine*, vbique in sacra Scriptura significat infinitatem, siue numerũ, et multitudinem innumerabilem, vt ipsemet R. S. fatetur, Eccles. 4. 16. אין קץ לכל העם *en chez lechol banga*; vulg. *Infinitus numerus est populi*, R.S. *fructificati, et multiplicati sunt*; עתר מדי *iother mad dai, plus nimio*; Eccl. 12. 12. אין קץ *en chez*, *Non est finis faciendi libros*, R. S. *Si venimus ad scribendum*, לא הספקנו *lo besephachnu*, *Non sufficimus, non finimus*, Iob. 22. 5. *Nonne iniquitas hæc magna*, ואין סוף *veen soph*; *Et nõ est finis iniquitatum suarũ*; vulg. *& infinitas iniquitates tuas*, Isa. 2. 7. *Non est finis thesaurorum eius*, R. D. אין סוף למספר *en soph lemispar*, *Non est finis ad numerandum*, Naum 2. 10. ואין קצה *veen chezab*; *Non est finis diuitiarum*, R.S. אין חשבון *en cheschbon*; *Non est numerus*, Naum 3. 3. *Non est finis cadauerũ*, R.S. ולא היה חשבון *velo haiah cheschbon*; *& non fuit computus*; Et sic vbique, si alia remanent loca, semper infinitatem, siue numerũ innumerabilem significant, et exponit R. S. illas duas dictiones, אין קץ *en chez*, *sine fine*. Nonne ergo violenter attrahit R.S. illarum significatum ad angustos

terminos, & confines terræ Iuda regni Ezechiæ, & ad tā paucos annos, nempè quindecim, vitæ eius? cùm apertè textus loquatur de amplitudine principatus longè lateque, & pacis sine fine? Secundò eadem violentia, attribuit Ezechiæ, quod omnes Scripturæ exclamant, esse propriū solius Regis Messiæ, nempè, *super solio Dauid, & super regnum eius* (non est *sedebit*, in fonte, sed sub intelligitur) *vt confirmet illud, & corroboret in iuditio, & iustitia*, ita psal. 72. *Deus iuditium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis*; Omnes RR. *Regi Messiæ da*, qui *filius Regis Dauid est*; quia eius proprium est iudicare in iustitia, & in iuditio populum tuum, Isa. 11. 4. *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate*, hoc est iuditio, *pro mansuetis terræ*, Ierem. 23. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iuditium, & iustitiā in terra*, Isa. 42. 1. *Iuditium gentibus proferet*; *In veritate educet iuditium; donec ponet in terra iuditium*; Ipse verò R. Salo. sic applicat Ezechiæ; *super thronum regni Dauid, erit pax ista, in iuditio, siue propter iuditium, & iustitiam*; שתעשה חזקיהו *scenghasah chizchiahu, quā faciet Ezechias*. Videas lector quomodò peruertat iste R. hāc Scripturā. Dicit enim sacer tex. *Iste paruulus, et filius, erit Deus, ad quid? qualis erit finis?* subdit; למרבה המשרה *lemarbbeh hāmisrah; Amplitudini principatus*; Thalmud. vt supra vidimus, ad multiplicandū imperium Rex Messias per totum orbem, & vltrà addit; ולשלום אין קץ *vlscialom en chez; Et paci sine fine*; quia tempore Regis Messiæ erit perpetua, & incessabilis pax, asserunt ipsi. Modò declarat Isaias, quodnam futurum sit istud imperium amplissimum pacis sempiternæ, subdens; *super solium Dauid, & super regnum eius*. Hoc imperium amplissimum, & pacatissimum erit solium Da-
uid,

uid, & regnum eius, de hoc regno prædico, & vaticinor; quod iste paruulus tot diuinis nominibus nuncupatus, futurus Rex huius regni Dauidici; illud magnitudine, & pace infinita multiplicabit, & ampliabit, sed quomodo? *Vt confirmet illud, & corroboret;* hæc duo verba essentialia, quæ germanũ sensum prophetiæ explicant, sepeliuit R. S. primum verbum לְהָכִין *lehachin*, traducit vulgatus, *Vt confirmet;* est infinitiuus, hiph. radix כּוּן *chun*, significat creare, fundare, restituere, reficere rem collapsam; De creatione, & fundatione psal. 24. *Et super flumina* יְכוֹנְנֶהָ *iechonenah, præparauit, fundauit, creauit eam;* De reparatione, & restitutione rei collapsæ accipe textum proprium; ps. 89. v. 5. *Vsque in æternum præparabo* אָכִין *achin, semen tuum;* declarat וּבָנִיתִי *vbanithi; Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam;* R. Abr. & cum eo omnes RR. sic exponunt; עַד *ngad, vsque;* הַזְּמַן *hazeman;* significat tempus, & sensus est; semen eius vsque hodie; ואם נפסקה מלכות שנים רבות עד תשוב ותעמוד מלכותו לנצח *veim niphsekah malchutho schanim rabboth, ngad theschub, vethngamod malchutho lanetsach: Et quamuis defecerit regnum eius annis multis, ad hæc restituetur, et stabilietur regnum eius in sempiternum.* Et hoc est, quod dixit Nathan Dauidi ex parte Dei; וְהֲכִינוֹתִי כִּסְאוֹ עַד עוֹלָם *vehachinothi chisso ngad ngolam; & stabiliam,* ædificabo, restituam thronum eius vsque in æternum, tempore Regis Messiæ; ita R. D. Alterum verbum וּלְסַעֲדָהּ *vlesangadah, corroboret;* est veluti synonimũ superioris; & auget hęc phrasis significationem superlatiuè, & certitudinem rei venturæ; eius significatum est, stabilire, roborare, recreare, fulcire, psal. 104. v. 15. *Et panis cor hominis,* יִסְעָד *isngad, roborat, recreat;* hinc 1. reg. 10. 12. מִסְעָד *misngad*, basis, fulcimentum, columna, sustentaculum, & significatum illius, *ut corroboret;* explicat mirè

Cald.

Cald. legens, אבנא ולמבנא *vlminna, vt ædificet, instauret, restituat, reficiat*; Alludens ad illud Ierem. 31. *quia Adhuc ædificabo te, & ædificaberis*; Cald. *instaurabo te, vt stabiliam te*; Ex quorum verborum significatione euidenter colligitur solium, & regnum Dauid præsupponi collapsum, deperditum, & ad nihil redactum, deberi à paruulo isto creari, fundari, restaurari, refici, firmari, & stabiliri super bases immutabiles, perpetuas, & æternas in iudicio, & iustitia. Et sic est sensus litteralis, innatus, & germanus; hic paruulus erit verus Deus, & homo simul qui amplificabit principatum, & pacem sine fine super thronum Dauid, & super regnum eius illud creando, ædificando, restituendo; & corroborando, non temporaliter, sed spiritualiter, *in iudicio, & iustitia*. Verum totum hoc magnum opus solius Dei est, & solius Regis Messiæ, solius Dei; nam 2. reg. 7. sic loquitur Deus Dauidi; *suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo*; והכינותי את ממלכתו *vahachinothi eth mamlactho*; *Et firmabo regnum eius*; וכוננתי את כסא מלכותו עד עולם *vechonanthi eth chisse malchutho ngad ngolam*; *Et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternū*: quæ sunt penitùs eadem verba, quæ dicuntur ab Isai. de isto paruulo, de quo additur amplius verbū, *vt corroboret illud*; quod Cald. declarat, *vt ædificet, & instauret illud*; Deinde solius Regis Messiæ est hæc suprema excellentia, quem omnes hebræi expectant, vt hoc regnū Dauid tot sæculis penitùs extinctum denuò recreet, ædificet, restituat, & stabiliat, & corroboret, in perpetuum, non amplius casurum. Ergò sequitur euidentissimè hunc paruulum fore verum Deum, & Regem Messiam; ita Deus per prophetam Amos 9. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & readificabo aperturas murorum eius*; Cald. R. S. R. D. & oēs; *In die illa* הכיכן לגאלה

præ-

preparata ad redemptionem, *stare faciam*; *restituam*; מלכותא דבית דוד *regnum domus David*; omnes RR. subdunt; על יד מלך המשיח *yngal iad melech hămasciach*; *per manum Regis Messiæ*.

Sequitur ergò euidentissimè, hunc paruulum diuinũ, Deum & hominem, de quo vaticinatur Isa. quod creabit, ædificabit, stabiliet, corroborabit solium, & regnum domus Dauid in iuditio, & iustitia, esse Regem Messiam; quod optimè sciens R. S. vt talem veritatem opprimeret, malitiosè præterijt expositionem illorum duorum verborum. Vlterius videas alias apertas corruptiones sensus litteralis; cùm enim sensus illorum verborum; *Magnitudini principatus*; ולשלום *vlscialom*; *& paci*, in casu tertio, quod ostendit littera ל *lamed*, & ו *vau* antecedens sit copulatiuum substãtiuo nomini antecedenti; למרבה *lemarbbe*; *Amplitudini principatus*; denotet eundem esse casum datiuum nominis sequentis, & legendum secundùm grammaticam in datiuo; *& paci*; ipse corrumpit nomen, *lemarbbe*, abijcit cõtra veritatem litteram ל *lamed*, præfixam, quæ mandat datiuo, abijcit מ *mem*, quæ est formatiua nominis; abijcit *zere*, sub vltima littera ה *he*, quæ vocalis ostendit regimen genitiui subsequentis, *hammisrah*, *imperij*; Et ipse format participium præsens, siue infinitiuũ; addens litteram ה *he*, in principio, hoc pacto, הרבה *herbbah*; & exponens; *Ipse Ezechias multiplicans imperium*. Verùm, cũ quod sequitur ולשלום *vlscialom*, non conueniat, sed dissonet sui imaginationi, cadet in quintam huius textus corruptionem, dicens, quod littera ו *vau*; *&* *paci*; posita est ornatus gratia; תיקון המלה *thicun hamilla*; quod est falsum, vt patet; nam est copulatiuum nomini antecedenti, quod demonstrat ל *lamed*, vtrique nomina affixa; ergò erit in casu tertio datiuo; *Et paci non*

finis;

finis; & sensus quem affert est omnino alienus à veritate textus; nam cùm nesciat accōmodare illud ל *lamed, paci;* ולשלום imaginatus est omnia hæc addere; *Ipse Ezechias harbbah multiplicando imperium super humerum suum; & quæ retributio* ולשלום *iustitiam, dabitur eis* הנה לשלום *Hinneh lisclomo enchez; Ecce paci eius non est finis;* videas sextam corruptionem, addens ly, *paci*, relatiuum, *eius;* quod nō est in textu, & penitus discrepat ab eo sua imaginatio; Nam non agit Propheta de mercede danda huic Regi paruulo; sed quod in iuditio, & iustitia, hoc est suprema sua sanctitate, creando, restituendo, & corroborando extinctum, & annihilatum regnum domus Dauid, illud erit semper ad multiplicationem, & pacem eiusdem imperij infinitam, æternam, perpetuam, in hoc sæculo, & in futuro æternitatis; Quod de hoc loquitur Isaias, & non paucis annis, & terminis angustijs imperij, dum dicit.

Amodo, & vsque in sempiternum.

R. S. suæ falsæ opinioni insistens interpraetatur מעתה ועד עולם עולם של חזקיה כל ימיו *menghathah vengad ngolam ngolamo scel chizchiahu chol iamau; A modò, & vsque in seculū; seculū eius;* idest, *Ezechiæ, omnibus diebus vitæ suæ; ita inuenimus quod dixit Anna;* 1. reg. 1. 22. וישב שם עד עולם *vaiasciau sciam ngad ngholam:* vulg. *& maneat ibi iugiter;* sed quam erroneè ostendam, vox עולם *ngolam,* significat sæculum, temporis spatium, vel finitum, vel infinitum, iuxtà subiectam materiam de qua agitur; locus citatus Regum, vt omnes RR., significat sæculum Leuitarum, qui seruiebant templo quinquaginta annis; & sic Samuel, qui vixit quinquaginta duobus annis, demptis duobus ablactationis, seruiuit Deo עולם *ngolam* sæculo

sæculo Leuitarum. R.Leui vocat hoc sæculum *Iubilæi* יובל *iouel*, quod est pariter 50. annorum; & sic intelligunt illud Deuter. 15.11. *Et erit tibi seruus vsque in æternum* לעולם *lengolam omnibus diebus, vsque ad annum Iubilæi*; Quando Deo tribuitur, vel rebus perpetuis, semper æternitatem significat, siue præteritam, siue futuram; & præcipuè quando obseruatur phrasis prædicta; *A modò, & vsque in sempiternum*; Mich.4.7. *Et regnabit Dominus super eos* מעתה *mengatha; ex hoc nunc, & vsque in sæculum*, idest æternaliter. Nunc dico, non rectè R. S. per ly, *& vsque in sæculum*, intelligit sæculum vitæ Regis Ezechiæ, hoc est reliquum vitæ eius, quod vixit, putà quindecim annis: Nam non inuenitur in Scriptura, quod עולם *ngolam*, significet tempus vitæ alicuius, vt ipse supponit, & exponit; sed significat, vel sæculum Leuitarum, vel sæculum Iubilæi, vel longum tempus absconditum, & indeterminatum; Et quamuis Anna dixerit in suo voto postulans à Deo filium masculum dixerit; *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ*; כל ימי חייו *chol ieme chaiiau*; & postea vers. 22. *Vt appareat in conspectu Domini; Et maneat ibi*; עד עולם *ngad ngolam*; *vsque in sæculum*; vulg. *iugiter*; Vnde apparet, quod intelligat per עולם *ngolam, sæculum*, omnes dies vitæ Samuelis; hoc tamen non probat falsam expositionem R. S. primò, quia dato quod ita sit hoc loco, non tamen concludit eundem esse sensum in hac prophetia, cùm nulla præcedat mentio Regis Ezechiæ, neque dierum vitæ eius, vt ly, עד עולם *ngad ngolam*, possint intelligi omnes dies vitæ eius, vt intelligitur hoc loco regum; nam עולם *ngolam* significat tempus longum, indeffinitum, & indetermina-

terminatum, nisi determinetur ad certum spatium annorum per aliquod additum, vt diximus de sæculo Iubilæi, vel Leuitarum, vel seruitutis; cùm ergò hoc loco Isaiæ nulla præcedat mentio annorum vitæ regis Ezechiæ, non rectè exponit R. S. Prætereà, quæ hic narrantur per ipsum, euenerunt post stragem exercitus Senacherib, post, quam Rex Ezechias vixit quindecim annis in pace,& tranquillitate; Quomodo ergò exponit R.S.ly, *Vsque in sæculum*, ideſt sæculum eius Regis Ezechiæ, ideſt omnibus diebus vitæ suæ? si tantùm ex annis quinquaginta quatuor quibus vixit, nonnisi quindecim regnauit in pace; Si Anna dixit; *Et manebit ibi vsque in sæculum*: ideſt omnibus diebus vitæ suæ; iam præmiserat, & dixerat vers. 11. *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ*; & ita ab anno secundo ablactationis vsque ad quinquagesimum secundum, quo mortuus est, seruiuit Deo. Vlterius, vt referunt R.Leui,& R.Dauid; omnes RR. eorum, illud עד עולם *ngad ngolam*, docent dictum fuisse ab Anna, non vt iterum repeteret, quod dixerat, *in vita sua, vel omnibus diebus vita sua*, sed per Spiritum sanctum vaticinata; על דרך הנבואה *ngal derech hanneuuah*, quod filius suus Samuel in ministerio Dei pertingere debebat vsque ad annum quinquagesimum, qui vocatur, עולם של יובל של לוים *hangolam scel Iouel*, ò *scel leuiim*; *sæculum Iubilæi, siue Leuitarum*, vt diximus. Quam veritatem perspiciens R.D. non est sequutus hanc totam prædictam corruptionem; sed ly, *A modò, & vsque in sæculum*, sic exponit, ואעפ שיהיה לה הפסק כימו הגלות עוד תשוב לקדמותה *veaphngal pi sceieheieh lah hephsech bimme hagaluth nghod thesciuu lechidmuthah*. *Etiamsi*

erit

tius ei (ideſt regno) *defectio in diebus captiuitatis; adhuc reuertetur ad principium ſuum*; vbi apertè reijcit imaginationem R.S.intelligentis per, *vſque in ſæculũ*, quindecim annos reſiduos vitæ Ezechiæ; ſed totum tempus, quo permanſit regnum domus Dauid, vſque ad captiuitatemBabylonicam,ſiue potius Romanam, in qua pęnitus defecit,& ſceptrum,& regnum de domo Dauid,& de tribu Iuda; quod tempus fuit, ſecundùm hebræos, ſeptuaginta anni captiuitatis Babylonicæ, & quadringenti, & viginti anni, quibus ſtetit domus ſecunda; qui omnes faciunt numerum quadringentorum nonaginta annorum; Immò fatetur ly, *Et vſque in ſæculum*, ſignificare dies Regis Meſſiæ, à quo ſolo expectant, quod regnum domus Dauid tot ſæculis proſtratum, dirutum, & pęnitùs exciſum, & ablatum; denuò orietur, reficiatur, reſtauretur, & reducatur ad maiorem amplitudinem, magnificentiam, & gloriam, quam vmquam fuerit ſub quolibet Rege illis ſæculis; ſed talis regni Dauidici noua creatio, & reſtauratio erit ad æternitatem in hoc ſæculo, & in futuro, quod non indiget probatione; Ergò cùm talis renouatio,& corroboratio regni domus Dauid, ad illius amplitudinem,& pacem, ſine fine multiplicandam, in iuditio, & iuſtitia, Iſaias vaticinetur,& aſſeueret,efficiendam eſſe ab iſto paruulo diuino; euidentiſſimè oſtendit, hunc eſſe Regem Meſſiam; & ſenſum ly, עד עולם *ngad ngolam, vſque in æternum*, eſſe hunc; *A modò*; ab eo tempore,quo venit Rex Meſſias; *& vſq; in æternum*; in hoc ſæculo, & in futuro æternitatis perſiſtet, durabit regnũ Regis Meſſiæ; *in iuditio, & iuſtitia*; quibus duobus nominibus, tam frequenter Meſſiæ appropriatis, non

ſolùm ſignificantur illæ duæ, forenſis, & politici iudicij, partes; quarum vna quæ dicitur, משפט *miſcpat, iuditiũ*; conſiſtit in condemnatione impiorum; altera verò, quę dicitur, צדקה *zedachah, iuſtitia*, in defenſione iuſtorum; nam hæç duæ proprietates requiruntur in quolibet Rege, & Iudice; vt rectè, & iuſtè regat populum; ita 2. reg. 8. 15. *faciebat quoque Dauid iuditium, & iuſtitiam omni populo*; & 3. reg. 10. 9. *Conſtituit te Deus Regem, Vt faceres iuditium, & iuſtitiam*, dixit Regina Saba Salomoni; ſed amplius, & principaliter, hoc loco, nomine iuditij, & iuſtitiæ non accipitur tam ſtrictè pro extrinſeca, & politica iuſtitia; ſed generaliter pro omne id, quod æquũ, & iuſtum eſt, eo ſenſu, quo dixit Dauid; *feci iuditium, & iuſtitiam*; quæ iuſtitia eſt complexio omniumvirtutum, & eſt ipſa ſanctitas, totiuſq; hominis rectitudo; quà tàm Deo, quàm proximo, & ſibi ipſi tribuit homo id, quod debet; iuſtitia enim eſt virtus, quæ cuique ius ſuum tribuit. Hoc eſt regnum Regis Meſſiæ ſpirituale animarum in fide, & gratia, & ſanctitate, & obſeruantia legis diuinæ, & exercitio omnium virtutum ad æternam illarum ſalutem, & gloriam obtinendam, Et hóc regnum non erit ſempiternum, & omnium ſæculorum? Hoc verum regnum ſpirituale nolunt cognoſcere, & confiteri miſeri Iudei, quod eo tempore, quo ſub Herode Idumæo pęnitùs corruit, & interijt regnum domus Dauid, & ſceptrum Iuda, Ieſus Chriſtus Nazarenus filius Dauid ſecundùm carnem; ſed Deus, & filius Dei iſte paruulus diuinus, verè Emmanuel, Deus in carne humana, verum regnum Dauid ſpirituuale, & animarum cœpit reædificare, non armis temporalibus, vi, aut ferro; ſed armis ſpiritualibus,

In iuditio, legis euangelicæ; *in iustitia*, suæ passionis, & mortis. Corroborauit illud in perpetuum, & stabiliuit per suam gratiam, toti regno suo spirituali fidelium illam communicando medijs sacramentis, indulgētijs, & Sanctorum intercessionibus; in iuditio, & iustitia, quę faciunt fideles in omni bonitate, & sanctitate, vestigia illius sectantes, vt tandem ab ipso in cęlis coronam iustitiæ æternæ beatitudinis mereantur accipere.

De Regno Christi alibi. Et qui plura desiderat circà omnia prædicta, quę ad varios sensus pertinēt, videat doctissimos, & pios Expositores Hugo Cardin. Franc. Forerium, Cornel. à Lapide, & quidem egregiè, & piè; Sanctium, Sanchez, Gabr. Vasquez, Mich. à Palatio, Didac. Aluarez.

Zelus Domini exercituum faciet hoc.

Doctissimus, & sanctissimus Hieronymus aduertit, quòd cœpta Emmanuelis, & nascentis pueri de Virgine prophetia ex eo loco vbi dicitur ad Achaz, *pete tibi signū à Domino*, versiculo isto finita est, quo infertur; *Zelus Domini exercituum faciet hoc*; quæ verba explicauimus Tract. 1. fol. 245. ibi vide, ne eadem repetamus; In heb. עשה *ngasah fecit*; sicut omnia prima verba præterita; sed in futurum exponenda; קנא *chana*; *zelatus est*; zelus est animi pasṡio, indignatio; quando amans videt rem à se amatam indignis modis tractari, dolet, & studet, & conatur illā defendere, & vindicare. Et zelus in Deo est nimius amor, excesṡiuus amor, quem ad existentia habet. Est ergò sensus; quod iste paruulus nascatur nobis, & detur nobis non meritis ascribatur humanis, sed Dei benignitati, & amori erga nos; Zelus Domini

quo

quo zelatus est salutem generis humani fecit Deum ex virgine nasci hominem; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; Zelus, & studium quo saluti humanæ Deus prospicit, fecit hoc, vt dictus Emmanuel conceptus de Spiritu sancto, & natus ex Prophetissa; *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium*. Deus Vir belli. Celer spoliator, & festinus prędator. *Voca nomen eius; Accelera spolium, festina prædam*; extorqueret prædam Samariæ, & fortitudinem Damasci animarum nostrarum ab hoste infernali; fregerit, comminuerit iugum, virgam, & sceptrum illius, auferendo Idololatriam, fomitem prauum, & omnia peccata. Zelus Domini, nimia charitas, qua nos peccatores, & inimicos suos dilexit, fecit, vt filius suus vnigenitus, coæternus, & consubstantialis factus homo susciperet super se, & super humeros suos sceptrum crucis, & super illud clauis affixus in iuditio, & iustitia, idest merito sanguinis, passionis, & mortis suæ, crearet, reædificaret, confirmaret, & in æternum corroboraret regnum Dauid, qui est totus mundus, & omnes animæ saluatę, & glorificandæ per ipsum. O miram, & ineffabilem huius paruuli charitatem, qui cùm esset Deus sola potentia poterat hominem liberare, noluit potestate, sed iuditio, & iustitia; & in omnes angustias, & dolores spontaneus sese conijciens, dispendio incomparabilis vitæ suæ, & sanguinis sui largissima effusione ingratissimum hominem à peccato, & æterna damnatione liberauit, & supernæ, sempiternæquè beatitudini destinauit.

Quæ tria singularissima infinita beneficia in hoc Incarnationis Verbi mysterio compræhensa, his tribus Tracta-

tibus

tibus proposui, exposui, & demonstraui Hebræis, & Hæreticis, quorum resipiscentiam, & salutem semper zelatus sum; Et Diuino Emmanueli Iesu Christo Nazareno Regi sæculorum, eiusque Virginissimæ Matri Prophetissæ Mariæ, Oliuetanæ Religionis authrice, indignissimus seruus, et vilissimus, immensorum beneficiorum pondere onustus, memoriæ, et gratitudinis ergo offero, et consecro. Sperans, et orans quàm enixè à Diuinissimo filio Emmanuele, et Virginissima Matre eius remissionem peccatorum meorum.

FINIS.

Omnia subdita sint correctioni Sacrosanctæ Ecclesię Catholicæ, & Apostolicæ, Romanæ.



INDEX
RERVM NOTABILIVM
TRACTATVS SECVNDI, ET TERTII.

 Duæ

Sit laus Deo, Deiparæq; Virgini.